





SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM THE
SUBSCRIPTION FUND
BEGUN IN 1858.
23 Jan. 1873.

ANECDOTUM ROMANUM

DE

NOTIS VETERUM CRITICIS

INPRIMIS ARISTARCHI HOMERICIS

ET

ILIADE HELICONIA

EDIDIT

ET COMMENTARIIS ILLUSTRAVIT

Gotthilf
FRIDERICUS OSANNUS.

GISSAE
PROSTAT APUD I. RICKERUM.

MDCCCLI.

Praefatio.

Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam.

Seneca.

„Brieflicher Mittheilung entnehmen wir die vielversprechende Notiz, dass der Padre Secchi in Rom das Zeugniss eines pergamenischen Grammatikers besitzt, welches aussagt, dass Homer ursprünglich äolisch geschrieben habe, und dass man eine alte und eine jüngere Ilias gekannt habe, von deren ersterer der Grammatiker die Anfangsverse anführt. Die Bekanntmachung dieses ἕρμαιον steht zu erwarten, sobald die Bearbeitung „eines kirchlichen Schriftstellers des dritten Jahrhunderts, der griechisch geschrieben", vollendet seyn wird, mit welcher der genannte Gelehrte gegenwärtig beschäftigt ist." Haec verba, in Mus. Rhen. 1842. p. 479 vulgata, nuper casu primum legenti mihi non poterant non in mentem venire ea, quae a. 1819 ex codice Romae quodam in chartas meas transcripseram, quorumque tribus ante annis quam ista vulgata sunt particulam, quae ad dialectum Aeolicam, qua usus esset Homerus, spectarent, Symbol. litt. T. II. p. 118. inserueram, ab eo qui primus ἑρμαίου notitiam dedisse sibi visus est, neglectam. Atque loci, quo opusculum illud repertum diceretur, rationem habens vix poteram dubitare quin quod ego servarem fragmentum ab illo haudquaquam diversum esset atque ex eodem adeo codice ductum esset, donec omnem scrupulum exemit iterata eiusdem rei notitia accuratior, his verbis in eodem Musei Rhen. vo-

lumine p. 640 exhibita: „Von anderer Seite wird die dort [p. 479] über Homer mitgetheilte Notiz noch etwas näher dahin bestimmt, dass das Zeugniss des Pergamenischen Grammatikers in einer ausführlichern Vita Homeri steht, dass die Behauptung, Homer habe eigentlich in äolischem Dialekt gedichtet, eben durch die wörtliche Anführung des Anfangs der *alten* Ilias, wie man sie genannt habe, bewiesen werden soll, und endlich, dass diese auch die „Ilias vom Helikon" geheissen habe." Haec, si quae de Vita Homeri narrantur excipias, de qua edoceri cupio ardentissime, cum iis quae in chartas meas conieci, ita concordant, ut de eodem fragmento deque eodem codice hic agi persuasum mihi quidem habeam. Decem iam ferme annis, posteaquam ἕρμαιον illud quod dicitur in lucem protrahendi spes facta est, frustra quod sciam elapsis, consilium id aliquando vulgandi iam olim conceptum nunc si persequerer, eo minus arbitratus sum aliena vineta caedere me visum iri, quo qui eius Anecdoti primam notitiam iam a. 1839 in vulgus emiserim, in maiore mihi ipse iure versari visus sum. Igitur quid tandem de illa Aeolica Iliade censendum esset, ne ab hominibus harum litterarum studiosis diutius ignoraretur, sepositis quae tum me tenebant studiis aliis, opellam istam in scriniis delitescentem eximpromsi atque elaborare coepi. Cuius laboris fructus si pro rei ambitu in iusto maiorem libri molem excrevit, id argumenti tum novitate tum obscuritate, ut spero, excusabitur, ita comparati, ut, praesertim quantum ad partem notariam, nisi una in examen vocata omni veterum notationis criticae disciplina pertractari non posse videretur: unde factum ut iam finibus ab ipso Anecdoto circumscriptis egressus una ea omnia comprehenderim quae de signandi more ab antiquis criticis recepto ad nostram memoriam pervenerunt. In hoc tamen munere administrando, ne ab ipsa materia undique affluente in avia

abriperer, hunc cummaxime modum tenendum mihi praescripsi, ut excluso eorum signorum genere, quod ab instrumentis criticae veterum artis vel ab usu criticorum ipsorum alienum esset, in ratione eorum signorum explananda me continerem, quae a veteribus proprio *notarum* nomine appellatae sunt. At vel sic nunc video mihi esse confitendum, a praestituta via aliquoties me aberrasse, quod in bonam partem aequus lector aeque accipiat atque molem passim adiectam digressionum et excursationum vix devitandarum, ad pernoscendam veterum criticorum historiam, ut opinor, non infructuosarum.

Tota vero illa de notis antiquorum criticis quaestio de integro instituenda erat, quod in iis viris doctis, qui olim hunc locum illustrare studuerunt, nullus deprehenderetur, qui materiam sollerti cura composuisset, genera signorum varia discrevisset, in vim uniuscuiusque ac potestatem accurate inquisivisset. Etenim ut taceam eos, qui singulos aliquot locos obiter attigerunt, veluti Leopardum, Ios. Scaligerum, Valesium, alios, quos commemorat Villoisonus Proleg. Hom. p. XXII, ex iis, qui data opera rem tractarunt, nominandus primo est A. F. Sixtus Senensis, [1]) qui in illustranda re notaria recentiorum scriptorum praecipue occupatus, litterarum antiquarum ei paene soli parti curam suam impendit quae ad libros sacros spectaret, et hic iusto brevior et trivialia vel non satis tuta proferens. Hunc excepit Eschenbachius, [2]) argumenti late patentes campos neque satis emensus, neque diligenter rimatus: quem quidem Villoisonus l. l., qui sequutus est, compilatae materiae ubertate superavit, sed molis indige-

1) Bibliotheca Sancta, libri III. capite inscripto: „de expositione notariaca methodus septima“ p. 255. sq. ed. Venetiis 1566.

2) Syntagma secundum dissertationum philologicarum, Roterodami 1700. capite „de praecipuis veterum criticorum σημείοισι.

stae farragine apparanda contentus, in re ipsa parum profecit illustranda. Postremo Graefenhanus, qui denuo rem tractavit, [3]) intentiore quidem quam id a quopiam priorum interpretum factum est, cura nec tamen ea qua ad hunc locum explanandum opus est, adhibita, nonnulla recte constituit, alia haud pauca inchoata vel retractanda reliquit, ita ut accedentibus interim ex Anecdoto Rom. novis materiae subsidiis tota quaestio redintegranda videretur. Haec quum ita essent, dici non potest quantum in opere meo profligando adiutus fuerim opera egregia, quam in eodem lapide volvendo naviter collocavit Guil. Georg. Pluygers Batavus in scriptione scholastica p. 42 a me commemorata, quam cum altera, qua res Zenodotiae illustrantur, dolui non ante accepisse quam pars huius libelli typis iam excusa esset. Etiam serius, quum maxima libri pars, certe ea quae ad signa critica spectat, typis descripta esset, in manus venit anno proximo Berolini vulgata Beccardi Diss. de scholiis in Homeri Iliadem Venetis (A), quod eorum gratia, qui eius scriptionis praesertim in Aristonico nullam a me habitam esse rationem fortasse mirentur, adnotare lubet. Unum tangam, quod ad commentarios Aristonici Homericos, qui commemorantur, spectat: hos quum pro peculiari scripto, quod cum libro de signis nihil commune habuerit, nimirum Lehrsium sequutus, habendos esse arbitratur, eam sententiam ingeniosa insuper coniectura sustentare studet, allato Etym. Gud. p. 334, 13, quippe quo pro verbis ἐν ὑπομνήματι Ἀνδρονίκου εἰς τὸ δος, ut vulgatur, ἐν ὑπ. Ἀριστονίκου εἰς Ὀδύσσειαν legendum sit. Ut vera haec nominis scriptura sit, licet reprobata a codice Parisiensi, quem excussit Cramerus Anecd. T. IV. p. 75, tamen nihil inde colligitur ad refutandam eam, quam statui, istorum commentariorum formam. Eo promptius autem illam codicis

3) Geschichte der klass. Philologie T. II. p. 90. sq.

scripturam produco, quo lubentius Beccardus iam comperiet, alteram eius coniecturae partem illo codice firmari, si modo cum eo scribamus εἰς τὴν Ὀδύσσειαν. Praeterea Andronicum, qui Odysseam adnotasset, haud magis ego novi: nam Andronicum grammaticum ap. Bekker. Anecd. p. 1461 huc referre non ausim. Ceterum in illustranda Anecdoti Rom. materia, quae rem veterum notariam continet, aegre tuli, viros doctos, qui ei rei tractandae vacarunt, magis in variis testium antiquorum, ea de re notitiis colligendis explanandisque substitisse quam ut, quod res postulabat, in perscrutandis notationis antiquae vestigiis operam dederint; quo factum ut in hac muneris mei parte res paene integra ad me venerit. Huic muneri rite persequendo industria quidem mea non defuit, sed non habuit eum quem optabam successum, vel imbecillitate virium mearum vel ideo quod codicum veterum scripturae hac parte ea qua par est diligentia adhuc non pervestigatae sunt, id quod ut cordi sibi esse iubeant monendi sunt ii, quibus codices excutiendi vel officium vel occasio obtingit.

Restat ut de codice dicatur, ex quo Anecdotum produxi. Servatur Romae in bibliotheca Collegii Romani, cuius thesauros, venia a praefectis facile impetrata, a. 1819 persrutanti mihi praeter Plautinum illud Scholion etiam Homericum, hoc apospasmation (ut de alio industriae meae impensae fructu nihil nunc dicam) reperire contigit. Codex, qui ex bibl. Mureti esse notatur, forma quarta saec. fere X in membrana scriptus, continet Scholiorum minorum in Iliadem, Basileae apud Hervagium a. 1535 editorum, hic illic auctiorum partem eam, quae ad libros priores quinque sextique fere dimidiam spectat: reliqua foliorum abscissione perierunt. Haec olim, quum manibus codicem usurpabam, de aetate codicis chartis mandaram, posthac edoctus, idem fere sensisse Schow Chart. papyr. Musei Borgiani p. 113, nisi quod saeculo antiquiorem codicem

esse censet. [4]) Unam nunc addo de usu iota subscripti, quantum is ex schedis meis certo cognoscitur, observationem, in exploranda codicis aetate non spernendam. Iota enim a librario aut omissum utique est, aut postscriptum, veluti in μόνηι, sub finem opusculi: uno loco schedae exhibent subscriptum in verbis ἐν αὐτῷ τόπῳ, quod invito codice a me adiectum arbitror. Etenim codicem saeculo XII esse antiquiorem, ex usu iota adhuc non subscripti colligitur, siquidem eo antiquiores postscriptum unice ostendere monui ad Philem. Lex. p. 93, [5]) hoc autem saeculo subscriptum iamiam reperiri testatur Goettlingius ad Theodos. gramm. p. 241. Scriptores vero saeculo illo recentiores, qualis est Manuel Moschopulus, cuius v. Gramm. ed. Titze p. 24 et 30, appellationem τοῦ προσγεγραμμένου etiamtum passim retinuisse, non est mirandum. Ceterum in alternatione iota vel omissi vel adiecti codex Romanus cum aliis superiorum aetatum conspirat et in his cum fragmentis Iliadis Ambrosianis a Maio vulgatis, quorum de scriptura v. Buttmann ad Schol. Odyss. p. 585, coll. p. 582.

Scrib. m. Octobr. MDCCCLI.

4) Apponam verba ipsa propter libri raritatem: „sic sigma, inquit, initiale in v. σόφον factum est ex forma eiusdem literae unciali, et in codd. saeculi X primum offenditur: nam in primis codicibus, charactere cursivo scriptis, forma uncialis adhuc servata est, ut in egregio cod. Flor. sive Sermonum Stobaei Bibl. Caesar. Vindob. sine dubio circa finem saeculi IX scripto, et cod. Colleg. Roman. qui ampliora vulgatis in 6. priores Iliadis libros scholia Graeca continet, eiusdem, ut videtur, aetatis.“

5) Quae ibi attuli de huius iota appellationibus variis, ea poterunt augeri ex Schaeferi notis ad Gregor. Cor. p. 696.

Conspectus contentorum.

Addenda.

Utar hac charta vacua, non ut errores operarum nonnullos notem, qui quum ex levioribus sint, a nemine non in legendo corriguntur, sed ut eorum, quae iamiam libello meo adiecta vellem, quaedam exhibeam.

Pag. 83. In loco Athenaei Bothius Mus. Rhen. nov. V. p. 298 coni. ἀριστοφάνει.

Pag. 116. De auctore libri περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας inscripti disputavi libello Quaestionum Homericarum Part. I, ante hos paucos menses vulgato, cap. I.

Pag. 119. Autodorus Cumaeus, qui primus se grammatici nomine appellavit, Clementi Alex. Strom. I. p. 365. Pott. *Apollodorus* dicitur. Cf. Preller De Praxiphane peripatetico p. 9.

Pag. 162. De ceraea v. intt. Hesych. h. v.

Pag. 230. Valde doleo praesto mihi non esse Papyri, Hyperidis fragmenta nonnulla exhibentis, exemplum ab Harrisio Londini a. 1848 vulgatum. Nam, ni fallor, aut ea signa, quibus oratoris verba passim distincta tradit, qui ea fragmenta repetiit et illustrare studuit, Herm. Sauppius in Schneidewini Philol. III. p. 656, maximam certe partem ex genere notarum eo sunt, quod nomine paragraphi vel diplae ad discernendas periodos vel singulas orationis partes adhibitum esse ex aliis codicibus papyraceis ostendi. Quod singulatim nunc persequi eo cohibeor, quod Sauppio in exhibendo fragmentorum exemplo ipso haud placuit istorum signorum positus et figuras accurate designare. Neque diversae potestatis fuisse videntur quae notantur a Sauppio p. 857 signa, quorum ipsa figura ad diplam vel paragraphum prope accedit. Atque quod exstat signum voci ἔγραφον subscriptum Fragm. X, 7, id aperte periodi finem denotat: item quod eiusdem Fragm. vs. 10 in ora codicis ad ἀδεί-adscriptum est, pertinet ad exitum membri orationis voce δωροδοκήσαντας significandum. Idem statuendum de IV, 26. XXIX, 1: quos locos solos Sauppius commemorat. Eiusdemque rationis non possunt non esse ea signa, quae in Papyro, qua Chrysippi περὶ ἀποφατικῶν fragmenta continentur: de quibus Bergkius scriptione scholastica Cassellis 1841 edita p. 21: „Praeterea notae quaedam, inquit, sive lineolae reperiuntur... eiusmodi lineola est in col. 8 sinistra parte inter versus 4 et 5, rursus 7 et 8, 10 et 11, denique 22 et 23. In eadem parte ad vers. 11 adiecta est nota, quae significare videtur, aliam disputationem initium capere. Ibidem in dextra parte vers. 1. videtur nota satis illa quidem obscura fuisse.“ De quarum notarum potestate, adhuc ignorata, conferenti quae de dipla et paragrapho supra disputavi, nulla, opinor, relinquitur dubitatio.

ANECDOTUM ROMANUM

DE SIGNIS ARISTARCHIIS

ADIUNCTIS

ANECDOTIS VENETO ET HARLEIANO

ARGUMENTI EIUSDEM.

Τὰ παρατιθέμενα τοῖς Ὁμηρικοῖς στίχοις Ἀριστάρχεια σημεῖα ἀναγκαῖον γνῶναι τοὺς ἐντυγχάνοντας.

I.

Διπλῆ ἀπερίστικτος	>
Διπλῆ περιεστιγμένη	>:
Ὀβελὸς	—
Ἀστερίσκος καθ' ἑαυτὸν	※
Ἀστερίσκος μετὰ ὀβελοῦ	※—
Ἀντίσιγμα	Ↄ
Ἀντίσιγμα περιεστιγμένον	Ↄ·
Κεραύνιον	T

> ἡ μὲν οὖν διπλῆ ἀπερίστικτος παρατίθεται πρὸς τοὺς γλωσσογράφους ἢ ἑτεροδόξους ἐκδεξαμένους τὰ τοῦ ποιητοῦ καὶ [1]) μὴ καλῶς· ἢ [2]) πρὸς τὰς ἅπαξ εἰρημένας λέξεις, ἢ πρὸς τὰ ἐναντία καὶ μαχόμενα, καὶ ἕτερα σχήματα πάμπολλα καὶ ζητήματα.

※ ἡ δὲ περιεστιγμένη διπλῆ πρὸς τὰς γραφὰς τὰς Ζηνοδοτείους καὶ Κράτητος καὶ αὐτοῦ Ἀριστάρχου καὶ τὰς διορθώσεις αὐτοῦ.

— ὁ δὲ ὀβελὸς πρὸς τὰ ἀθετούμενα ἐπὶ τοῦ ποιητοῦ, ἤγουν νενοθευμένα ἢ ὑποβεβλημένα.

※ ὁ δὲ ἀστερίσκος καθ' ἑαυτόν, ὡς καλῶς [3]) εἰρημένων τῶν ἐπῶν ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ, ἔνθα ἐστὶν ἀστερίσκος μόνος.

---

1) An forte ὡς?

2) Cod. ἤ, ut etiam mox.

3) Cod. si recte descripsi, κακῶς, sententia, ut ex infra monendis patebit, adversante. De proclivi errore librariorum in utraque voce constat, nuper notata etiam ab Hermanno De Aeschinis Socratici reliquiis p. 13. Et advertenda phrasis in hoc scripto repetita innumerisque grammaticorum locis obvia (v. Schol. Odyss. α, 99), aliquid καλῶς vel μὴ καλῶς dictum esse, usurpata in crisi Homerica iam Aristoteli Poet. 26.

⁜— ὁ δὲ ἀστερίσκος μετὰ ὀβελοῦ, ὡς ὄντα μὲν τὰ ἔπη τοῦ ποιητοῦ, μὴ καλῶς δὲ κείμενα ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ, ἀλλ᾽ ἐν ἄλλῳ.

Ͻ τὸ δὲ ἀντίσιγμα καθ᾽ ἑαυτό, πρὸς τοὺς ἐνηλλαγμένους τόπους καὶ ἀπᾴδοντας.

Ͻ· τὸ δὲ ἀντίσιγμα περιεστιγμένον παρατίθεται, ὅταν ταυτολογῇ [4]) καὶ τὴν αὐτὴν διάνοιαν δεύτερον λέγῃ.

T τὸ δὲ κεραύνιον· ἐστὶ μὲν τῶν σπανίως παρατιθεμένων, δηλοῖ δὲ καὶ αὐτὸ πολλὰς ζητήσεις πρὸς ταῖς προειρημέναις.

Τούτων δ᾽ ἁπάντων τῶν σημείων ἀκριβέστερα [5]) γνῶσις ἐν τοῖς [6]) βιβλίοις τῶν συγγραψαμένων περὶ τούτων· καὶ εἰς ὠφέλειαν [7]) ἐπιζήτει παρὰ τῶν τεχνιτῶν.

II.

> τῇ διπλῇ χρῆται Ἀρίσταρχος πρὸς ἱστορίαν, σχηματισμοὺς [8]) καὶ ἑτέρας ποικίλας χρείας·

>: τῇ δὲ περιεστιγμένῃ πρὸς Ζηνόδοτον τὸν διορθωτήν·

— τῷ δὲ ὀβελῷ πρὸς ἀθέτησιν·

⁜— ἀστερίσκῳ δὲ σὺν ὀβελῷ πρὸς τὸ εἶναι μὲν τοὺς στίχους Ὁμήρου, κεῖσθαι δὲ ἐν ἄλλῳ τόπῳ καλῶς· οἷς καῖ ἀστερίσκος μόνος παράκειται· [9])

Ͻ [10]) τῷ δὲ ἀντίσιγμα καὶ τῇ στιγμῇ, ὅταν δύο ὦσι διάνοιαι τὸ αὐτὸ σημαινοῦσαι, τοῦ ποιητοῦ γεγραφότος ἀμφοτέρας, ὅπως τὴν ἑτέραν ἕληται· τῷ δὲ χρόνῳ καὶ αἱ δύο εὑρέθησαν οὐκ ὀρθῶς ἔχουσαι.

⁜ τῷ δὲ ἀστερίσκῳ μόνῳ χρῆται πρὸς τοὺς αὐτοὺς στίχους, οἳ κεῖνται ἐν ἄλλοις μέρεσιν τῆς ποιήσεως, καὶ ὀρθῶς ἔχοντες φέρονται, σημαίνων ὅτι οὗτοι καὶ ἀλλαχοῦ εἴρηνται.

---

4) Cod. ταυτολογεῖ.

5) Cod. ἀκριβεστ . . . .

6) Schedae meae exhibent ταῖς, ut fortasse βίβλοις scriptum fuerit.

7) Cod. εἴσοιφιλαν.

8) Cod. σχιματισμούς, ut mox κῖσθαι pro κεῖσθαι.

9) De sensu verborum extremorum v. §. 19.

10) Cod. Ͻ. V. §. 39.

III.

Ἡ δὲ δοκοῦσα ἀρχαία Ἰλιάς, λεγομένη δὲ ἀπ' Ἑλικῶνος, προοίμιον ἔχει τοῦτο·

Μούσας ἀείδω καὶ Ἀπόλλωνα κλυτότοξον,

ὡς καὶ Νικάνωρ μέμνηται καὶ Κράτης ἐν τοῖς Διορθωτικοῖς. Ἀριστόξενος δ' ἐν ά Πραξιδαμαντίων [11]) φησὶν κατά τινας ἔχειν·

Ἔσπετε [12]) νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ὅππως δὴ μῆνίς τε χόλος θ' ἕλε [13]) Πηλείωνα,
Λητοῦς [14]) ἀγλαὸν υἱόν· ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθείς.

Τὴν [15]) δὲ ποίησιν ἀναγινώσκεσθαι ἀξιοῖ Ζώπυρος ὁ Μάγνης Αἰολίδι διαλέκτῳ· τὸ δ' αὐτὸ καὶ Δικαίαρχος. Αἱ μέντοι ῥαψῳδίαι [16]) κατὰ συνάφειαν ἤνιωντο, [17]) κορωνίδι μόνῃ διαστελλόμεναι, ἄλλῳ δ' οὐδενί.

ANECDOTUM VENETUM

a Siebenkeesio et Villoisono vulgatum [1]).

Ταῦτα εὕρηται ἔν τινι παλαιῷ βιβλίῳ.

Τοῖς παρ' Ὁμήρῳ στίχοις σημεῖα παράκειται τάδε· διπλῆ καθαρὰ >—· διπλῆ περιεστιγμένη >—·· ὀβελὸς —· ὀβελὸς σὺν

---

11) Cod. δ' ἐνάπραξει δαμαντίων, de qua lectione v. Excursum I.

12) Ita Cod. ni fallor, non ἔσπετε. V. Schol. Iliad. β, 484.

13) Ad vulgarem scribendi usum conformavi quod in Cod. legitur τε ἕλε quodque in vestigiis antiquae scripturae referendum: de qua infra ansa disserendi dabitur.

14) Scribendum esse Λητοῦς τ' ἀγλαόν, demonstrabitur infra, ubi de hoc prooemio singulatim dicendum.

15) Locum ab hoc inde vocabulo usque ad Δικαίαρχος olim vulgaveram Beitr. z. Gesch. d. Gr. u. Röm. Litt. T. II. p. 118, a viris doctis spretum.

16) Cod. ῥαψωδεῖαι.

17) Cod. ἤβωντο. V. ad Anecdoton Venetum, sub finem.

1) V. §. 10.

ἀστερίσκῳ — ⁜· ἀντίσιγμα ͻ· κεραία· ᾱ τοῦ ᾱ ·/· [2])· ω̄ [3]) πλάγιον ϶.

Ἡ μὲν οὖν [4]) διπλῆ καθαρὰ ≻ παράκειται

≻ πρὸς τὴν ἅπαξ εἰρημένην λέξιν·

≻ πρὸς τὴν τοῦ ποιητοῦ συνήθειαν·

≻ πρὸς τοὺς λέγοντας, μὴ εἶναι τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν·

≻ πρὸς τὰς τῶν παλαιῶν ἱστορίας·

≻ πρὸς τὰς τῶν νέων ἐκδοχάς· [5])

≻ πρὸς τὴν Ἀττικὴν σύνταξιν·

≻ πρὸς τὴν πολύσημον λέξιν.

Πρὸς μὲν οὖν τὴν ἅπαξ εἰρημένην λέξιν· ≻ Μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ ΚΡΗΓΥΟΝ εἶπες· [6]) ἅπαξ γὰρ εἴρηται. Καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν σημείων ὡσαύτως [7]) ἃ δεῖ τιθέναι.

Ἐν ἄλλῳ οὕτως.

Τὰ παρατιθέμενα τοῖς Ὁμηρικοῖς στίχοις σημεῖα ἀναγκαῖον γνῶναι τοὺς ἐντυγχάνοντας· εἰσὶ δὲ ταῦτα.

---

2) Ita ap. Siebenk. vulgatum, nisi quod edidit κερεα, cuius loco Tychsenius p. 72 κεραία scribendum recte proposuit, cetera se non intelligere confessus. Villois. κερέᾳ α τοῦ α /, quod haud planius. Quid hoc de loco probabiliter censendum sit, dixi §. 50.

3) Villois. Ω, ex ipsius, ut puto, arbitrio. Nam auctor libelli non potuit non recentiorem huius litterae formam ω in mente habere. V. §. 10 et 51.

4) Abest οὖν a Siebenk., mox signorum figuras omittente omnes.

5) Hoc quid sit non satis perspicio, nisi intelliguntur recentiorum criticorum interpretationes, corpori commentariorum antiquiorum superadditae, eodem vocis sensu, de quo disputatum in Stephani Thes. h. v. ed. Paris. ubi si Polybius in antiquissimis eius significationis testibus affertur, notandum ἐκδέχεσθαι eadem vi apud longe antiquiores in usu fuisse. V. Valcken. ad Phoen. 462 Praeterea conf. Schol. Ven. Iliad. ι, 342. 404. μ, 295. ν, 450. ο, 127. ξ, 249. υ, 114. Schol. Odyss. 6, 136. Supra p. 3.

6) Iliad. α, 106, ubi olim diplam appositam fuisse, docent verba Schol. κρήγυον· ὅτι ἅπαξ εἴρηται τὸ κρήγυον.

7) Ita Villois. ex coniectura, ut videtur. Certe Siebenk. ὡς αὐτοῦ, sed adnotata correctione ὡσαύτως.

⩥ [8]) διπλῆ ἀπερίστικτος ⩥
⩥̣̇ διπλῆ περιεστιγμένη ⩥̣̇
— ὀβελός —
— ※ ὀβελὸς μετὰ ἀστερίσκου — ※
※ ἀστερίσκος καθ' ἑαυτόν ※
Ɔ ἀντίσιγμα ἄστικτον Ɔ
Ↄ· ἀντίσιγμα περιεστιγμένον Ↄ

Ἡ μὲν οὖν ἀπερίστικτος διπλῆ ⩥ τίθεται ⩥ πρὸς ἱστορίας καὶ σχηματίσμους καὶ ἑτέρας ποικίλας χρείας, καὶ πρὸς τὰς ἅπαξ εἰρημένας λέξεις, καὶ πρὸς τὰ ἐναντία καὶ μαχόμενα τῶν νοημάτων·

⩥̣̇ ἡ δὲ περιεστιγμένη διπλῆ ⩥̣̇ πρὸς τὰς Ζηνοδότου καὶ Κράτητος γραφὰς, καὶ αὐτοῦ Ἀριστάρχου·

— ὁ δὲ ὀβελὸς — πρὸς τὰ νόθα καὶ ἀθετούμενα·

— ※ ὁ δὲ μετὰ ὀβελοῦ ἀστερίσκος, ἔνθα εἰσὶ μὲν τὰ ἔπη τοῦ ποιητοῦ, οὐ καλῶς δὲ κεῖνται, ἀλλ' ἐν ἄλλῳ, — ※.

※ ὁ δὲ καθ' ἑαυτὸν [9]) ἀστερίσκος, ἔνθα καλῶς εἴρηνται τὰ ἔπη ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ, ἔνθα κεῖνται ※·

Ɔ τὸ δὲ καθ' ἑαυτὸ [10]) ἀντίσιγμα πρὸς τοὺς ἐνηλλαγμένους [11]) τόπους καὶ μὴ συνᾴδοντας, Ɔ.

Ↄ· τὸ δὲ περιεστιγμένον ἀντίσιγμα, ὅταν ταυτολογῇ καὶ τὴν αὐτὴν διάνοιαν δεύτερον λέγῃ, Ↄ·.

Ἰστέον ὅτι αἱ ῥαψῳδίαι Ὁμήρου παρὰ τῶν παλαιῶν κατὰ συνάφειαν ἡνῶντο [12]), κορωνίδι μόνῃ διαστελλόμεναι, ἄλλῳ δὲ

---

8) Hanc notam cum ceteris omnibus, nisi quae sub finem cuiusque articuli apponuntur, omisit Siebenk. Villoisonus si non invenisset in Codice, vix adiecisset.

9) Villois. αὐτόν.

10) Siebenk. ἑαυτόν. V. Anecd. Rom. c. 1.

11) Villois. ἐνηλλασμένους. V. Anecdoton Rom. Schol. metr. Pindari Olymp. I. p. 18. Boeckh. Schol. Sophocl. Antig. 127. 141. Correxeram olim in Seebodii Misc. cr. V. I. p. 84.

12) Ex Cod. Siebenk. αὐδῶντο, cuius loco Tychsenius ἐγράφοντο scriptum ait se exspectare. Villois. ex coniectura, ut videtur, ηὐδῶντο, quod nihilo sanius. Eadem vox in Anecd. Romano aliam in formam corrupta est. Reposito ἡνῶντο nihil verius.

οὐδενί· τῆς δὲ κορωνίδος τοῦτό ἐστι τὸ σημεῖον ʒ· λέγεται δὲ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ἐν τοῖς πλοίοις ἀνακεχαμμένης κορωνίδος ʒ.

ANECDOTUM HARLEIANUM

a Cramero vulgatum. [1])

Περὶ τῶν παρ' Ἀριστάρχου σημείων παρατιθεμένων τῷ Ὁμήρῳ.

—̇ Ὀβελός.

> Διπλῆ ἀπερίστικτος.

>: Διπλῆ περιεστιγμένη.

⁎ Ἀστερίσκος.

⁎— Ἀστερίσκος μετὰ ὀβελοῦ.

Ↄ Ἀντίσιγμα.

• • Δύο στιγμαί.

— Ὁ μὲν δὴ ὀβελὸς παρατίθεται πρὸς ἀθέτησιν [2])· ἡ δὲ ἀπερίστικτος διπλῆ ... [3]) πρὸς τὰς Ζηνοδοτείους μεταγραφάς· ὁ δὲ ἀστερίσκος πρὸς τὰ Ὁμήρου ἔπη τὰ καλῶς κείμενα· ὁ δὲ ἀστερίσκος μετὰ ὀβελοῦ, ὅποτ' ἂν τὰ ἔπη Ὁμήρου μὲν ᾖ διὰ τοῦ ἀστερίσκου δηλούμενα, ἀκαίρως δὲ κείμενα διὰ τοῦ ὀβελοῦ δηλούμενα.

Τὸ δὲ ἀντίσιγμα καὶ αἱ δύο στιγμαί, ὅταν κατὰ τὸ ἑξῆς δὶς ᾖ τὸ αὐτὸ νόημα κείμενον· καὶ ἐπὶ μὲν τοῦ προτέρου τίθεται τὸ ἀντίσιγμα, ἐπὶ δὲ τοῦ δευτέρου αἱ δύο στιγμαί.

Schol. in Dionysii Thracis Artem in Villoisoni Anecd. T. II. p. 108: ὅτι ἡ μὲν ὑποδιαστολὴ διαιρεῖ τὰ δοκοῦντα ἡνῶσθαι. Porphyrius apud eundem p. 115: ἐτέθη ἡ ὑφέν, διάγνωσιν παρέχουσα ὅτι ἡνωμένη ἐστὶν ἡ λέξις.

1) Anecd. Paris. T. III. p 293 ex cod. Harleiano.

2) Cod. ἀθαίτησιν.

3) Editorem ista omnia uno tenore sine suspicione lacunae continuantem fugit excidisse quae ad declarandam diplae non punctatae pertinerent. V. §. 35.



COMMENTARII

IN

ANECDOTUM ROMANUM.

---

§. 1.

Dispositio argumenti.

Excerptorum grammaticorum, quae ex cod. Romano vulgamus, licet in unum corpus iuncta legantur, ratio dispar nec corpus exhibet iusto membrorum ordine dispositum unum: quamquam omnia ad Aristarchiam doctrinam spectare aut ex ea certe promanasse videntur, excepta extrema libelli, si ita appellare fas est, parte, cuius de fonte in utramque partem disputari potest. Atque haec ipsa pars extrema nihil commune habet cum argumento primario, quod ad notas Aristarchias spectat, tum ceterarum, quarum bipartita est ratio, ordo mire turbatus est. Etenim quum positis in fronte signis, quae Aristarchi ipsius esse speciem prae se ferant, exspectasses auctorem horum de potestate, qua Aristarchus instruxerit loquuturum esse, subiicitur continuo eius consuetudinis enarratio, quam criticorum Aristarcho recentiorum ii, qui notas Aristarchias antiquitus traditas suum in usum adsciverint adscitarumque singularum vim ac potestatem suo arbitrio inverterint, tenuerunt. Quod vel inde cognoscitur, quod in hac libelli parte glossographorum et heterodoxorum placita commemorantur, quibus notandis dipla pura apposita esset: quo nomine grammaticos significari, qui Aristarcho aetate vel posteriores fuissent, ostendi §. 40. Adde quod in his signis ceraunium refertur, ab Aristarchi usu alienum. Tum absoluta hac opusculi parte demum Aristarchi notarum expositio exhibetur, ad mentem inventoris ipsius adstricta, intemerata et pura, qua alterum huius farraginis caput conficitur. Atque hoc ita, ut dixi, habere,

ostendit quod in primo statim capitis eius articulo, quo de dipla simplici agitur, quo sensu ea Aristarchus usus sit commemoratur quodque huius personam in ceteris utique intelligendam esse, verbum χρῆται, quo nude posito in articulo de asterisco simplici eadem significatur, luculenter docet. Gravius est quod utriusque enarrationis ratio ipsa secum dissidet: quam si inter se contenderis intelliges, quae ex Aristarcho ipso altero capite traduntur, non modo ad solam Homericorum carminum notationem et quae super iis ab ipso maïoribus natu, veluti a Zenodoto, allata essent, pertinere, sed multo etiam concisiora reique magis adstricta iis esse, quae primo capite de singulis quibusque signis exponuntur, quae quidem pariter ad solam Homeri crisin spectare videntur, in ipsorum vero signorum figura, ut in antisigma, ab Aristarchiis genuinis discrepant, tum etiam uno, ceraunio, de quo infra disputabitur, numerum amplificant. Adde, quod haud minoris momenti est, in his doceri, diplam punctatam non solum ad Cratetis, quod fortasse ferri posset, sed ad ipsius Aristarchi lectiones designandas adhibitam esse, id quod ab ipso factum esse nemo sibi persuadebit. Verba sunt: πρὸς τὰς γραφὰς τὰς Ζηνοδοτείους καὶ Κράτητος καὶ αὐτοῦ Ἀριστάρχου, quorum loco in altero cap. sola exhibentur πρὸς Ζηνόδοτον τὸν διορθωτήν, dum cum illis rursus convenit Fragmentum Villois., quod vel ex hac sola caussa haud puriorem Aristarchi doctrinam exhibere colligitur. Bipartita igitur, ut dixi, argumenti discriptio est, cuius prior pars Aristarchiorum signorum usum a grammaticis observatum, altera Aristarchi ipsius signandi rationem exhibet. Absolutis his duobus capitibus, in Codice tertium coronidis loco sequitur, quod in illustranda veteris Iliadis ratione cummaxime versatur, re a superiorum capitum argumento alienum. In hoc ordinis turbati statu, cuius de caussa non tanti mihi visum est quaerere, rei consultum iri existimavi, si singula capita, de quibus seorsim disputandum est, inter se distinguerem dissolveremque quae in codice uno tenore perscri-

buntur eodemque tempore ab eadem manu scripta videntur, in sua elementa singula. Itaque in tria capita dispescui, eodem ordine in Commentariis servato, nisi quod, tertio propter argumenti diversitatem interim seposito seorsimque sub calcem tractando, proinde, ordine capitum relicto, a secundo, tamquam ceterorum rivorum fonte, disserendi initium cepi.

§. 2.

De fonte materiae in Anecdoto Rom. traditae.

Transeunti iam ad generalem totius opusculi considerationem et primum quidem ad eam eius partem, quae prioribus duobus capitibus de signis Aristarchiis agit, non potest dubium esse, cum exploranda horum fide ceteras omnes quae incidant quaestiones cummaxime coniunctas esse: in qua exploranda omnia pendent tum a probabilitate et ratione rerum traditarum, tum a fontium, ex quibus auctor sua hauserit, pervestigatione. Ex ipso schediasmate numquid ad rem illustrandam colligi possit, circumspicienti nihil aliud sese offert quam quod cap. I exeunte legitur: τούτων δ᾽ ἁπάντων τῶν σημείων ἀκριβέστερα γνῶσις ἐν τοῖς βιβλίοις τῶν συγγραψαμένων περὶ τούτων· καὶ εἰς ὠφέλειαν ἐπιζήτει παρὰ τῶν τεχνιτῶν. Ex quo loco certe hoc probabile est, ex iis grammaticorum libris, quorum usum ad maiorem rei cognitionem comparandam commendet, auctorem ipsum profecisse, et quae ipse concisiora exhibuerit, in iis scriptis, quibus usus sit, prolixius perscripta fuisse. Exile quidem ad rem hoc lucrum, nec tamen inutile, si quidem quum quae ab auctore traduntur, penuria sua admodum recentis aetatis commenta non prodant, sed rerum antiquarum satis solidam notitiam ostendant, ad limpidos ipsius antiquitatis fontes deducimur. De signis autem Aristarchiis qui inter veteres grammaticos, quantum nos sciamus, peculiariter scripserunt, hi sunt: Aristonicus et, ut credere fas est, Diogenes et Philoxenus, de quibus quum

dixerimus, recensendi erunt ii qui de signis criticis quibusvis scripsisse feruntur, immixta simul enarratione eorum scriptorum, quae ad nostram aetatem perlata sunt: in quibus temporis ratio, quantum id in re magis ab arbitrio quam a certo iudicio pendente fieri potest, habebitur. Ceterum quod iuxta Aristonicum, Diogenem et Philoxenum in iis, qui de signis criticis scripsissent, Nicanora recenset Nauckius de Aristophane Byz. p. 16, fallitur, idem, ut nunc video, statuente Friedlaendero De Nicanore p. 1: signa enim distinctiva, quae ad interpunctionem spectant, de quibus Nicanorem scripsisse constat, ab illis criticis, quae adhibuisse eum vel scripto aliquo illustrasse nemo memoriae prodidit, seiungenda sunt nosque totam hanc materiam intactam reliquimus.

§. 3.

De Aristonico grammatico.

Qui de hoc clarissimo suae aetatis grammatico, Straboni suppare, post Boeckhium Praef. ad Pindarum T. II. p. XVI (ut priores omittam) disputavit Lehrs De Aristarchi studiis Homericis Diss. I. capite I, quod in Aristonici libro de notis Aristarchi illustrando versatur totum, et Diss. II. §. 9. 19, iuxta Muetzellium Emend. Theogon. Hesiod. p. 288 sq. (qui eodem anno liber in vulgus prodiit) omnia ita occupavit, ac pro sollertia sua paene exhausit, ut nisi quaedam relicta observarem, breviori mihi esse liceret. Ordiendum a Suidae verbis, a Lehrsio demum in ordinem ita redactis p. 3: Ἀριστόνικος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός· ἔγραψε περὶ τῶν σημείων τῶν ἐν τῇ Θεογονίᾳ Ἡσιόδου καὶ τῶν τῆς Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας· ἀσυντάκτων ὀνομάτων βιβλία ϛ. Scripsit igitur, ut libros ἀσυντάκτων ὀνομάτων nunc omittamus, de signis tum Hesiodi Theogoniae, tum Iliadi et Odysseae appositis, quorum quae ad Homerica carmina pertinerent, ab Aristarcho adiecta esse, vel sine testimoniis, quae abunde apud Lehrsium (quem potissimum consulas p. 8) leguntur, credibile est, ut eiusdem de con-

iectura haud improbabili, nec tamen probata, Aristonici liber proprie et ab initio περὶ Ἀριστάρχου σημείων Ὁμήρου inscriptus fuisset. Tum idem ita statuit: „Ab commentariis Homericis varia et extrinsecus adscita doctrina instructis, in quibus etiam ab Aristarcho dissensisse invenitur, libri de notis toto colore et consilio diversi fuere. In his enim suam quasi exuit personam, id unum totumque agens, ut quas Aristarchus notas versibus Homericis apposuerat, eas indicaret easque ita illustraret, ut causas argumentaque Aristarchi observationesque, quibus stabiliendis illae notae inservirent, congereret.“ De notarum libro accedo, si modo de illustrandi ratione ab Aristonico instituta paullo liberius iudicare licet: de commentariis Homericis, quos Lehrsius finxit, valde dubito. Horum apud veteres expressis verbis mentio fit nulla, quod non fugit Lehrsium, qui tamen putat commemoratos eos fortasse esse apud Ammonium de diff. p. 103, ubi in argumento Homerico dilucidando (Odyss. υ, 259) sane Ἀριστόνικος ἐν ὑπομνήματι laudatur, addendo aut intelligendo, ut opinatur Lehrsius, Ὁμήρου. Quid? Suppeditabo viro egregio locupletissimum eius rei testem grammaticum, cuius locum ex cod. Havn. intpp. ad Etym. M. p. 934 attulerunt: Κρόκος παρὰ τὸ ἐν κρύει ἔχειν τὴν αὔξησιν, οἱονεὶ κρύκιός τις ὤν· (v. Etym. M. p. 539, 48) οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Ἰλιάδος Ἀριστονίκου: quae vocis etymologia, ad Iliad. ξ, 348 fortasse allata, nihilo discedit ineptia ab iis Aristonici locis, quos Lehrsius p. 3 perstrinxit quosque consilium, quo liber notarum conscriptus esset, indagaturus apposuit. Nihil planius, nihil certius illo testimonio in Lehrsii rem, nisi haud minus plane certoque etiam de libro notarum Homericarum constaret, cuius quum mentionem subscriptiones singularum Iliadis rhapsodiarum in Scholiis Venetis A. ita exhibeant, παράκειται τὰ Ἀριστονίκου σημεῖα καὶ τὰ Διδύμου περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως, Lehrsius recte quidem istorum verborum vim enucleavit p. 2 constituendo, non solum textui notas appositas fuisse, sed simul ex Aristo-

nici libro περὶ σημείων singulis versibus adnotationis fuisse adscriptum, quod eo pertineret: sed neglexit, quod simul ex istis subscriptionibus certo colligitur, ponderare, auctorem Scholiorum, quum aliud Aristonici opus non laudarit, ex quo tot Aristonici de omni re observationes adscivisset, illo ipso indice fontem, ex quo sua hausisset, indicare voluisse. Omnia igitur quaecunque in Scholiis illis Venetis Aristonici nomine traduntur, non possunt non sumpta putari ex libro illo de notis Aristarchiis. Quae rei ratio mirifice subscriptione scholiastae una confirmatur, quae rhapsodiae duodevicesimae subiicitur: παράκειται τὰ Ἀριστονίκου σημεῖα μετὰ ὑπομνηματίου, ubi, ut Lehrsii verba mea faciam, non opus est fingere, quum a primo auctore ubique hoc modo scriptum esset, in reliquis postea excidisse, immo ille vel ipsos lectores putavit statim intellecturos, una cum signis etiam qui signa illustrarent commentarios in hoc opere inveniri. His nihil verius est reique accommodatius, ut qua mavult locum expedire, Lehrsii suspicio, ne verba μετὰ τοῦ ὑπομνηματίου a recentiore manu adiecta sint, prorsus otiosa videatur. Quid igitur? Non potest aliter statui, quam ut quae ex Aristonico sive in Scholiis Venetis sive apud alios scriptores, si modo ad res Homericas spectant, referuntur, ea ex amplissimis de notis Aristarchi libris Homericis cummaxime adscita esse. Amplissimos quum dico, recolo mente ambitum rerum earum, quae in Aristarchia carminum Homericorum crisi tractatae fuerunt quaeque si notarum Aristarchiarum vim et potestatem, qualem libelli de his notis nunc vulgati ostendunt, expendimus, vix quicquam excludunt, quod ad grammaticam, lexilogiam, vel etiam ad historias, fabulas, geographiam veterem pertinuerit: quibus illustrandis si Aristonicus de suo penu ipse quaedam adiecit, id eo minus mirandum, quo certius ipsum insigni eruditione instructum sciamus, qua si vel ad dissensum ab Aristarcho significandum usus est, id quod in fictis illis commentariis Homericis factum Lehrsius concedit, suo usus est iure. Iam quum nullo modo cogamur,

ad istos commentarios ut fragmentum supra excitatum ex commento Aristonici in Iliadem referamus, immo quum, si cum subscriptione Veneta rhapsodiae duodevicesimae componas, probabilius vel paene certissimum sit, id ex libris notarum allatum esse, consectarium videtur, permulta in his libris olim contenta fuisse, quae ad res ab Aristarcho tractatas etiam magis stabiliendas, augendas vel etiam corrigendas pertinuissent, quaeque extrinsecus adscita videri potuissent. Minime igitur laborandum videbitur eo, ut quae a scriptoribus passim Aristonici nomine excitantur, quibus quaeque Iliadis vel Odysseae locis posita fuerint, ostendamus, quum si quid cum argumentis Homericis non concordare reperiatur, id in simili Homerico occasione fortuito oblata tractari potuerit, praesertim quum locum ea suum in sylloge ὀνομάτων ἀσυντάκτων, quam Suidas commemorat [1]), reperisse possint: tametsi operis huius quae ratio fuerit, de qua siluisse doleo Lehrsium, mihi quidem non liquet, quum mihi non persuadeam ut eius generis argumentum habuisse credam, quod allato Etym. M. p. 401 Bernhardyus ad Suidam v. Ἀριστόνικος significare videtur, ut dicerentur ἀσύντακτα, quae singularem vel prodigiosam ostenderent fabricam. Ἀσύντακτον δέ ἐστι, inquit Etymologus, τὸ μὴ ἔχον [ita malim pro ἔχειν] χαρακτῆρα Ἑλληνικόν, ἢ καταφορτικόν, ὡς τοῦ ῥέω ὁ μέλλων, καὶ τοῦ ἐκτρώσασα τὸ

1) Aliorum scriptorum Aristonici non exstat certa memoria ulla, nisi quod de Museo Alexandrino scripsit, de quo opere nuper disseruit Hefflerus Zeitschrift f. d. Alterth. 1839, No. 108. p. 859. De eius in Hesiodum curis statim dicetur. Praeterea de Pindaro quaedam commentus est, de quibus v. Boeckh. ad Pind. l. l., an opere peculiari, ignoro. Quae observata Aristonico dicuntur de significatione v. ἄλσος apud Schol. Olymp. III, 31, scilicet ad excusandum insolentem eius vocis usum, pari modo spectant ad Iliad. β. 506:

Ὀγχηστόν θ' ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος,

ubi insolentiam vocis notare Aristarchus potuerat: ἥκιστα γάρ, ut ait Schol. Pindari, δενδρώδης Ὀγχηστός, ἐφ' ὑψηλοῦ κείμενος. In Scholiis autem Homericis nullum horum vestigium.

ἀρσενικόν· οὐ γὰρ ἀνὴρ ἐκτιτρώσκει· ἢ κατὰ τύχην, ὡς τοῦ γυνὴ ἡ κλητική, καὶ τοῦ ὕδωρ ἡ γενική, καὶ τοῦ ὕδατος ἡ εὐθεῖα, καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοίων. Iusto enim βαρβαρικώτερα talia fuerint, quam ut a grammatico eius aetatis, qua floruit Aristonicus, tractari potuerint. Nihil ea de re Muetzellius, contentus loco Etymologi M. l. afferendo p. 289. Sed rem in medio relinquo.

Ceterum quam advertimus in Aristonico consuetudinem, libro in Aristarchi signis illustrandis versanti suam ipsius sententiam de locis Homericis deque rebus grammaticalibus inserendi, eadem etiam usus videtur, quem exempli gratia affero, Aristocles grammaticus, ortu Rhodius, cuius quae una observatio de loco Homerico, ab Aristarcho quidem, quantum scimus, non tractato exstat ap. Schol. Iliad. τ, 218, eam ex libro, quem de Aristarcho scripsisse eum testatur Erotianus Expos. in Hippocr. p. 12. Franz., ductam esse eo veri similius est, quo peculiari alio opere de Homero scripsisse eum non constat. Atvero huic Aristocli non video cur non malimus tribuere librum a veteribus [2]) laudatum περὶ διαλέκτου, vel, quod praestat, περὶ διαλέκτων inscriptum, quam Lampsaceno Stoico, cui vindicare studet Lerschius Sprachphilosophie T. I. p. 74.

Ab Homero facilis transitus ad Hesiodum, cuius in Theogonia pariter atque in Iliade et Odyssea notanda Aristonicum versatum esse, Suidas testatur. De quo opere, cuius unica in Scholiis Theog. ad vs. 178 fit mentio, fallor, aut prorsus eodem modo, quo de altero, iudicandum est. Maiore enim quam id facere ausus est Goettlingius ad Hesiod. p. LXVIII ed. alt. fiducia asseverare posse mihi videor, notas illas, de quibus scripsisset Aristonicus, haud alias fuisse, quam quibus Aristarchus, quem Hesiodi Operibus pariter atque Theogoniae operam criticam eandem,

---

2) Locum, quem excitant ex Etymologo M., exscripsit Schol. Oppiani Hal. I, 225.

quam Homero, adhibuisse constat [3]), Theogoniam, ut de ceteris Hesiodi carminibus taceam, distinxisset. Ita ut statuam non solum adducor eo, quod in talibus carminibus, qualia Hesiodia sunt, si semel crisi acriori subiicienda fuerunt, ab Aristarcho vix aliter probabile sit agi potuisse quam ipsi in Homero agendum visum fuerat, sed quod nullo discrimine inter utrumque genus facto Aristonicus de signis appositis Theogoniae et Iliadi Odysseaeque, in quibus notandis eum Aristarchi signis illustrandis operam dedisse iam in comperto est, scripsisse traditur. Tota vera haec res infra iterum tractanda est, ubi v. quae diximus §. 58.

Postremo si iam patet signa Hesiodi Theogoniae apposita, quae Aristonicus tractarit, Aristarchia fuisse, revocamur ad retractandam quaestionem de ratione, qua munus suum Aristonicus in utroque poeta, Homero et Hesiodo, absolvendo distribuerit. Quaeritur enim utrum singulum quemque peculiari libello, an utrumque uno tractarit. Qua in re si quid Suidae modo laudandi tribuendum, utrumque distinuit: nec ultra possumus, ut res habet, prodire. Hoc autem certo certius videtur, Iliadem et Odysseam una eum complexum esse, quod quum Lehrsius quoque proponendo operis titulum, de quo supra, intellexerit, conditione Fragmenti Veneti, quo de locis Homericis ad doctrinam

3) V. Goettl. p. LXVII. Tortellius de orthographia: „Ardiscos cum i latino et c exili scribitur: fuit teste Aristarcho in theogoniam Hesiodi fluvius in Scythia: quem Herodotus libro historiarum IIII per odyrsos populos Scythiae profluere dixit.“ Idem: „Tartarus absque aliqua aspiratione scribitur: locus est infernalis: quem Aristarchus super Hesiodi theogonia a ταράττομαι, quod est conturbor, derivari dixit: quia illic omnia perturbata dicuntur: et in plurali solo neutro genere effertur.“ Horum nihil neque apud Goettlingium neque in Lehrsianis allatum, neque ego auctor sim, ut istis protinus fides habeatur, quum praesertim arrepta possint esse ex Schol. ad vs. 119 et 338, ubi similia leguntur. Nolui tamen ea, quum forte in manus incidissent, propter reconditam quam saepe Tortellius ostendit eruditionem silentio praeterire.

Aristarchiam exactis Iliadis pariter atque Odysseae promiscue agitur, praesidii nonnihil nanciscitur, siquidem quae de auctore eius fragmenti §. 6 suspicatus sum, probabilia videantur.

Corollarii loco subiungo recensum eorum locorum ad Aristonicum spectantium, qui Lehrsii curis p. 3 sq. addi possunt.

Suidas: Ἀκοστώσαις ἡμιόνοις· δι᾽ ἀργίαν καὶ πλησμονήν· οἱ μὲν γλωσσογράφοι κριθιώσαις· ἀκοστὰς γὰρ λέγειν τὰς κριθάς, ἀπὸ τοῦ ἄκος λαμβάνειν, τουτέστιν ἀνάπαυσιν λιμοῦ καὶ δίψης· ὁ δὲ Ἀριστόνικος ἐν ἄχει γενομέναις· εἴγε ἐπιφέρει·

δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων·

τινὲς δὲ ἄδην πληρωθείς. Peridoneus hic locus quum ad copias Aristonici augendas, tum ad Scholia Iliadis recte aestimanda et pernoscenda: sed ut nunc vulgatur, misere habitus, sive compilatoris, sive librariorum culpa. Cuius scriptoris verba ἀκοστώσαις ἡμιόνοις sint, quorum gratia tota glossa conscripta est, ignoramus: certum vero est, quae a verbis ὁ δὲ Ἀριστόνικος usque ad finem apponuntur, ea rei accommodata male ad lemma illud tracta esse, quandoquidem ea spectare ad Iliad. ζ, 506 ostendit versus allatus δεσμὸν ἀποῤῥήξας, qui est in Homero subsequens illi [4]). Atque Aristonicum in illo Homerico versu illustrando versatum esse, ex eo colligitur, quod ex versus alterius ratione vocis ἀκοστήσας illo versu repertae significationem constituere studet: haec enim mens verborum εἴγε ἐπιφέρει. Quae denique subiiciuntur, τινὲς δὲ ἄδην πληρωθείς, ea unice ad ἀκοστήσας explicandum pertinent. Haec sufficiunt ad demonstrandum, haberi hic Aristonici glossam Homericam, quemadmodum ad eundem locum Iliadis etiam

---

4) Schol. A. ad hunc locum: τὸ κροαίνων οὐκ ἔστιν ἐπιθυμῶν, ὡς Ἀρχίλοχος ἐξέλαβεν, ἀλλ᾽ ἐπικροτῶν τοῖς ποσὶ διὰ τοῦ πεδίου· οἱ νεώτεροι ἐπιθυμεῖν τὸ κροαίνειν, ὡς Ἀρχίλοχος. Aristarchi nomen pro Archilochi restituenti olim Meinekio recte Nauckius nuper oblocutus est Aristoph. Byz. p. 231. Illud enim ἐξέλαβεν pari ratione dictum ac ἐδέξατο de Archilocho, λ, 786.

spectat quae apud Suidam praecedit glossa: Ἀκοστήσας· κριθιάσας etc. Ex his sequitur, ἐν ἄχει γενομέναις aut deberi inepto compilatori, quippe Aristonici glossam Homericam lemmati ἀκοστήσαις ἡμιόνοις accommodanti, quod ineptius est quam ut credi fas sit, quum praesertim immutatum reliquerit πληρωθείς: aut mutandum esse in ἐν ἄχει γενόμενος, quippe ad equum ἀκοστήσαντα apud Homerum referendum. Atque ita rem habere docet scholiasta Venetus Iliadis: ἡ δὲ διπλῆ πρὸς τὸ ἀκοστήσας, ὅτι ἄλλοι ἄλλως ἀπέδωκαν· ἔστι δὲ ἤτοι ἐν ἄχει γενόμενος διὰ τὴν στάσιν ἢ ἄκος τι καὶ βοήθημα τῆς στάσεως ζητῶν. Perspicitur iam hanc vocis explicationem, quam ad verbum repetit Suidas v. ἀκοστήσας, ex Aristonico laudari; tum diplam, quam adiectam is repererit, deberi aut Aristarcho, addendamque esse hanc Aristarchi notam exemplis iis a Lehrsio p. 8 sq. collectis, quibus Aristarchi non nominati diplas Aristonicus adnotarit (cf. Nitzschium Ephem. litt. Hal. 1837 No. 13. p. 100), aut, quod malo ipsi Aristonico, quippe posteriorum Aristarcho criticorum, quorum de usu dictum §. 41, secuto morem eum, quo diplam ad castiganda glossographorum commenta apponerent.

Praeter locum supra allatum ex iis codicibus, quos ad Etym. M. interpretes excusserunt, accedit etiam hic p. 887 ad etymum v. ἥρωες spectans: Ἀριστόνικος, ὅτι γηγενεῖς ἦσαν οἱ πρῶτοι, παρὰ τὴν ἔραν. Sumpta haec esse ex adnotatione ad Iliad. α, 4, Scholia ostendunt, quibus eadem inter alias derivatio affertur. Haud pariter liquet de fonte eorum quae de etymo v. θάλασσα afferuntur ibidem p. 889, et iam ante allata sunt a Bastio ad Gregor. Cor. p. 300: ὁ δὲ Ἀριστόνικος· δύναται ἀπὸ τοῦ σάλου· καὶ γὰρ οἱ Δωριεῖς σάλασσα λέγουσιν. [5]) Possunt esse ex ἀσυντάκτων ὀνομάτων libris, quo

5) Etym. M. p. 441, 26: Θάλασσα παρὰ τὸν σάλον, σάλασσα καὶ θάλασσα, ubi pro postremis duabus vv. scribendum ἢ θάνασσα, prorsus ut apud Bastium legitur: Θάλασσα παρὰ τὸ σάλασσα ἢ θάνασσα. Ac θάνασσα in Etymologici codicibus fuisse ostendit Phav. Ecl. p. 238. Dind., ubi post alia similia: ἢ παρὰ ὁ ἄσσον εἶναι θανάτου θάνασσα καὶ θάλασσα.

etiam refero, nisi ad aliquem Homericum locum ea per transennam adnotata censeas, quae in Epimerismis Homericis in Crameri Anecd. Oxon. T. I. p. 78 de voce ἀλόπεδον in Homero non reperta perscribuntur: Τὸ ὁμαλὸν ἔχων, τὸ πρῶτα μὲν ὑπὸ θαλάσσης κρατούμενον, ὕστερον δὲ ἐλθὲν, ἵν' ᾗ τὸ ἀλόπεδον· δεῖ δὲ δασύνειν τὸ α. Ἀριστόνικος δὲ ἐτυμολογεῖ τὸ ἄγαν λειόπεδον, τὸ πάνυ λεῖον χωρίον· οὐκ εὖ· ἢ ἀλάπεδόν τι ὂν παρὰ τὴν ἅλα πέδον.

Ex Scholiis Homericis exempli loco affero, quae de voce ὀλοοίτροχος adnotantur ad Iliad. ν, 137: Δημήτριος ὁ γονυπεσὸς δασύνει, ἵν' ᾖ ὅλος τροχοειδὴς καὶ κατὰ πᾶν μέρος ἀστήρικτος, τῷ δὲ τόνῳ ὡς κακότροπος· οὕτως δὲ καὶ Ἑρμαπίας καὶ Νικίας καὶ Ἀριστέας καὶ Ἀριστόνικος. Atque quod suspicor, haec Aristonicum in eo libro, quem de Aristarcho composuit, protulisse, idem probabiliter in Aristea, qui iuxta commemoratur, accidit, quem de Aristarcho pariter scripsisse constat, si quidem loco obscurae lectionis apud Erotianum Expos. in Hippocr. p. 12. Franz. recte huius nomen pro Ἀριστοπέας, ut vulgatur vitiose, restitutum est. Sed aliud quiddam latere arbitror, neque pro certo habeo an idem Aristeas sit qui Athen. XIII. p. 623 D. περὶ κιθαρῳδῶν scripsisse traditur. Certior alia coniectura mihi quidem esse videtur, qui Suidae v. Ἐρατοσθένης huius inter discipulos recenseatur Ἄριστις, homo aliunde prorsus ignotus, in cuius nomine corrigendo multi desudarunt (v. Nauck Aristoph. gramm. p. 3), hunc cum Ἀριστέᾳ supra in Scholiis Ven. commemorato eundem esse, eiusque nomen Suidae vindicandum esse.

Athen. I. p. 20. D: τοῦτον τὸν Βάθυλλόν φησιν Ἀριστόνικος καὶ Πυλάδην. οὗ ἐστὶ καὶ σύγγραμμα περὶ ὀρχήσεως, τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκιννις — διὸ καὶ οἱ σάτυροι σικιννισταί — ἧς εὑρετὴς Σίκιννός τις βάρβαρος. Quis ille Aristonicus fuerit, ait difficillimum esse demonstratu Roulezius ad Ptolemaeum Hephaestionis p. 148. Unum indubium videtur, nihil commune

esse hunc Aristonicum inter et Homeri interpretem, quandoquidem ex huius notitiis nihil compertum habemus, quod tale argumentum, quale Athenaei loco exhibetur, ab eo in scripto ullo tractatum esse credere nos sinat. Immo convenit res Tarentino illi Aristonico, quem breviter attigit idem Roulezius.

Utrum Tarentino huic an Alexandrino nostro Aristonico vindicanda sint, quae in historia Orionis Hyginus Astron. II, 34. ex Aristonico aliquo refert, quamquam potuissent ad Iliad. σ, 486 adnotata esse, quo loco Scholiastae multa de Orione tradunt, difficile est ad iudicandum: immo ne certum quidem Aristonici nomen, quandoquidem cum Interprete Germanici tres codices Ilitiani, quorum scriptura sola ab editoribus diserte affertur, *Aristomachum* pro Aristonico exhibent.

Postremo notandus verbo locus Etym. Gud. p. 334, 10, ne abutamur eo ad Aristonici copias festinantius augendas: ubi postquam de v. κόλλοψ verba facta sunt, subiiciuntur: οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Ἀνδρονίκου, εἰς τὸ δος. Quo loco quum pronum fuerat Ἀριστονίκου reponere, quum praesertim locus spectari videretur Homericus Odyss. φ, 407, id quod reapse statuit Nauckius Aristoph. Byz. p. 16, etsi verba εἰς τὸ δος, quae aliud genus scriptionis grammaticae indicare videantur, cautiorem eum facere debuissent, ita quo minus sine haesitatione rescribamus cohibemur auctoritate alius codicis in quo, teste Cramero Anecd. Paris. T. IV. p. 75, Ἀνδρονίκου retinetur: confitendum tamen in utroque codice posse videri male hoc nomen legi, quum quae post id in cod. Paris. leguntur, ita exhibeantur εἰς τὴν Ὀδύσσειαν, quae sane Aristonico favent. Si vero ista Aristonico tribuere malis quam Andronico, grammatico aliunde mihi non noto, cave ex eo, quod ὑπόμνημα εἰς Ὀδύσσειαν memoratur, quicquam credas prodire, quod sententiam supra de commentariis Aristonici in Homerum propositam infirmet: immo eodem modo, quo Etym. M. locum vindicavimus, etiam hic expediendus est.

Omnibus iam, quaecunque exstant notitiae, quaeque coniectando assequi licuit, in unum iunctis, apparet multiplicis et reconditioris doctrinae hominem fuisse Aristonicum, cuius tamen studia in colligendis, digerendis, etiam corrigendis vel stabiliendis aliorum placitis potius constitissent, quam ut Marte suo aliquamcunque in ullo litterarum genere disciplinam condidisset. Haec si ita sunt, ut opinor, non videtur veri simile esse, talem virum sectatores sibi addictos comparasse scholaeque, cui ipse praefuisset, auctorem exstitisse: id quod Muetzellius Em. Theog. p. 288 statuerat, refutatus a Lehrsio Zeitschr. f. d. Alterth. 1835 No. 56. p. 453. Neque ullum eiusmodi scholae ab Aristonico conditae, quam sibi finxit Muetzellius amplam et locupletem, apud veteres indicium certum exstat.

§. 4.

De Diogene Cyziceno grammatico.

Suidas: Διογένης, ἢ Διογενιανός, Κυζικηνός, γραμματικός· ἔγραψε πάτρια Κυζίκου, περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, περὶ ποιητικῆς, περὶ στοιχείων. Quid Suidam impulerit, ut de hominis nomine dubitaret, ignoramus, nisi putare fas est, propter perpetuam utriusque nominis in libris scriptis etiam antiquis confusionem ex compendiosa scriptura ortam, fontibus, ex quibus hauriret, diffisum rem eum in medio relinquere maluisse. Tum vero nisi ipse quae aliorsum spectarent confudisse putandus est, quod ut credamus nihil video caussae, non potest ob Stephani Byz. auctoritatem, quippe libros de Cyzico *Diogenis* nomine constanter citantis, utra nominis forma pro genuina habenda sit, dubitari. Neque intelligo quid opus sit, ut quae eius laudantur a Suida scripta grammatica Bernhardyi de coniectura ad Diogenianum Ponticum referre malimus, quum professionem grammatici Diogenem aliquem exercuisse iam in comperto habeamus. Nolo provocare ad frequentem *Diogenis* grammatici men-

tionem in Etym. M., quae mihi quidem plures ob caussas, de quibus nunc non vacat exponere, suspecta est: etenim ni omnibus, plurimis tamen locis mihi quidem non Diogenes, sed Diogenianus dici videtur. Sed certiora suppeditabunt Diogenis testimonia Scholia Homerica, quae a nomine hominis nunc ad rem ipsam nos ducunt.

Quae de libro notarum a Suida referuntur, aperta per se sunt satis, hac tamen parte dubia, quod quaerere liceat, utrum Diogenes quaecunque signa critica in antiquorum scriptis reperta essent tractarit, an quoddam solum genus, quo grammaticus aliquis antiquus in notando aliquo scriptore uno usus esset. Illud si teneamus, quoniam ex testimonii fide solum prodire videtur, tamen probabile est, in harum notarum expositione auctorem ita versatum esse, ut qui in tota hac doctrina quasi dux faxque ceteris praefulsisset, eius in primis rationem habitam fuisse, id quod colligitur certo, opinor, ex Schol. Iliad. ϑ, 441, ubi, dipla versui apposita, uti ex exemplo Villois. cognoscitur, Aristarchus ἂμ βωμοῖσι, Diogenes ἀμβώνεσσι legisse traditur; unde primum patet, de lectione antiquitus iam ante Aristarchum dubitatum esse, ac si pro dipla, quae nunc in cod. Ven. fertur, dipla punctata reponi liceat, pertinere eam Aristarchi notam ad lectionem Zenodoti variantem, ab Aristarcho nunc relictam; tum valde probabile videtur, Diogenem, quum de notis criticorum ageret, eius loci Homerici rationem habuisse, et simul apposita sua ipsius de eo quamvis discrepante sententia, veteres magistri, in primis Aristarchus, quo modo notassent, exposuisse. Praeter laudatum alius similis conditionis exstat locus in Schol. ϑ, 296, quo scripturae ab Aristarcho susceptae opponitur variantis interpretatio, quam proposuerit Διογένης ἐν ὑπομνήματι, quo iam significatum fas est intelligere librum περὶ σημείων. At quamvis omnia, quae de huius operis ratione novimus, ad solum Aristarchum redeant, nolim tamen putare, in hoc solo argumento illustrando argumentum operis se continuisse, quod et ipse index satis indicare videtur.

§. 5.

De Philoxeno Alexandrino grammatico.

Unus, quantum sciam, Suidas v. Φιλόξενος, quem expilavit Eudocia Viol. p. 424, hunc grammaticum testatus est περὶ σημείων τῶν ἐν τῇ Ἰλιάδι scripsisse. Ex quo quidem titulo per se spectato tametsi concludi haud potest, eo libro auctorem in Aristarchiis signis explicandis cummaxime versatum esse, id quod olim quum de hoc grammatico agerem ad Philem. Lex. p. 313, me aliquando dixeram demonstraturum, tamen eo ipso adhibito si quae de aetate Philoxeni sciri licet, qua de re dixi Excursu II, contulerimus, probabile fit, eius libri principalem certe partem ad notas Aristarchi spectasse. Qui de signis Iliadi adscriptis Augusti vel fortasse etiam ante hunc temporibus acturus fuit, vix aliter munus susceptum conficere potuit quam ut operae in hoc genere ab Aristarcho nuper praestitae rationem potissimum haberet, ad hanc praecipue partem tractandam vel ipsa rei gravitate compulsus. Quod quum per se satis probabile videatur, id insuper loco Scholiorum statim afferendo, quo Aristarchii signi rationem a Philoxeno habita est, comprobabitur, si ante monuero, sicuti vidimus ceteros qui de signis Aristarchiis scripserunt, in his simpliciter explicandis operam suam non constrinxisse, sed ex ipsorum penu si qua in promptu essent, ea ad rem ipsam ab Aristarcho notatam illustrandam contulisse, hoc iure etiam Philoxenum usum videri. Certum eius rationis a Philoxeno adhibitae haberi possit testimonium in his schol. Ven. ad υ, 471, ubi vulgo ἐνέπλησε legebatur: ἐνέπρησε Φιλόξενος καὶ Ἀρίσταρχος· περὶ δὲ τῆς γραφῆς Ἀριστάρχου ἐν ποιήματί φησιν οὕτως· τὸ αἷμα ἀπὸ τοῦ ἥπατος ἐκρούνιζε χύδην καὶ τὸν τοῦ χιτῶνος κόλπον ἐνεφύσησε. Sed fateor de lectionis veritate me subdubitare, quum valde sese commendet Lehrsii p. 24 coniectura, non solum ὑπομνήματι pro ποιήματι corrigentis, id quod verissimum est, ceterum iam a Bekkero Indice p. 819 occupatum, sed, quod loci rationem

prorsus mutat, Ἀριστάρχος pro Ἀριστάρχου reponentis. Mitto igitur hunc locum. Adest alius, ex quo novae ab Aristarcho excogitatae et probabiliter signo notatae contrariam Philoxenum sententiam opposuisse colligitur, χ 28, ubi ad ἄστρασιν Schol. Ven.: Ἀρίσταρχος ὡς πατράσιν· ἄμεινον δὲ προπαροξύνειν, ὥσπερ καὶ τοῖς πλείοσιν ἔδοξε καὶ Φιλοξένῳ, ἵν' αὐτῆς τῆς πτώσεως, λέγω δὲ τῆς δοτικῆς, μεταπλασμὸν λάβωμεν. His subiiciuntur: ὃν οὖν τρόπον ἡ ἐγκάτοις ἔγκασιν ἐγένετο („ἔγκασι φωτός") καὶ οὐκ ἀναγκαζόμεθα ἑνικὴν εὐθεῖαν ἀκόλουθον ἐπιζητεῖν, ἥ τε προβάτοις πρόβασιν, ἥ τε πετάλοις πέταλσιν, οὕτως ἄστροις ἄστρασιν, ἐπεισελθόντος τοῦ α, ἵνα συστῇ ἡ λέξις. Haec Herodiani esse colligimus ex Etym. M. p. 310, 15 coll. cum Adnot. in Et. p. 837, sed, ut coniicere fas est, ex Philoxeno. Etiam certior in rem demonstrandam est locus ε, 638, ubi diplae, quam praepositam Scholiasta tradit, simul Philoxenus suam sententiam adposuisse deprehenditur: neque ex iis, quae ad hunc locum adnotantur, dubium ullum relinquitur, quin dipla illa ab Aristarcho ipso profecta sit, quum praesertim versus in cod. Veneto illo ipso signo ornatus reperiatur. Eiusdem rationis est etiam ι, 219, ubi voci θῦσαι dipla adiecta et a Philoxeno illustrata traditur, appingiturque in Codice. Haec si ita sunt, huc etiam ii loci referri fortasse possint, notati infra in Excursu laudato, ubi de Glossis eius Homericis sermo fit, quibus, ratione Aristarchi expresse non habita, grammaticae locorum verborumque in Iliade obviorum interpretationes Philoxeni exhibentur. Qua de re iudicium aliis malo relinquere.

Postremo mira notitia de Philoxeni quodam scripto περὶ σημείων ἐν τῇ Θεογονίᾳ Ἡσιόδου exstat apud Fabricium Bibl. Gr. T. I. p. 274 (365 Harl.), cuius fundum neque mihi, neque Schmidtio De Philoxeno (Schneidew. Philolog. IV, 4. p. 673) pervestigare contigit.

§. 6.

De fragmento codicis Veneti.

Ex libris scriptorum, quos hactenus percensuimus, quum si singula quaedam fragmenta vel notitiae excipiantur, ad

nostram aetatem nihil perlatum sit, quod orationis continuae exemplum praeberet, eo acceptius videri debuit, quod forte fortuna in codice Veneto A quaedam servata sunt, quae illorum iacturam aliquantum compensare valeant. Scilicet quae abrupta folio octavo Codicis leguntur quaeque a Villoisono, nisi fallor, omissa, post Siebenkeesium Bibl. d. alten Litt. u. Kunst Fasc. I. p. 69 et Thierschium Act. phil. Monac. II. p. 588, primus accurate ad Codicem Bekkerus p. III. vulgavit, tam memorabilia, tantaeque auctoritatis et vetustatis esse videntur, ut quae integra repetantur digna sint.

— ἢ τὸ ἔφη· ὁ δὲ τοῦτο μὴ νοήσας, ἀλλὰ λαβὼν πάλιν τὸ φη ἀντὶ τοῦ ως, ὑπέταξεν ἐκ περισσοῦ „πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα“· [1]) σημειοῦται δὲ πρὸς τὸν αὐτὸν ἀπεριστίκτῳ [2]) διπλῇ τὰς ὁμωνυμίας ἁπάσας, ὅτι οὐ νοήσας τὸ τοιοῦτον ἔγραψεν ὁτὲ μὲν Πυλαιμένεα ὁτὲ δὲ Κυλαιμένεα· [3]) πρὸς μὲν δὴ Ζηνόδοτον αὐτῷ ἡ παράθεσις τῆς περιεστιγμένης διπλῆς πρὸς ἑκάστην γραφὴν ἀκριβέστερον θεωρεῖται· τὸν δὲ ὀβελὸν ἔλαβεν ἐκ τῆς Ζηνοδότου διορθώσεως· παρετίθει δὲ αὐτὸν τοῖς ἐκβαλλομένοις ἐκ τῆς ποιήσεως στίχοις ὡς τοῖς νεκροῖς τῶν ἀνθρώπων· τῆς δὲ ἀθετήσεως αὐτῷ διττὸς ὁ λόγος· ὁ μὲν γάρ ἐστι σημαίνων ὅτι οὐχ Ὁμήρου τὸ ἔπος, ὡς ἐλέγετο ἐπὶ τοῦ „τέρπεται ἐν θαλίῃ καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην“· [4]) ἀδύνατον γὰρ τὴν διηνεκῶς παρθένον παραδεδομένην γεγαμῆσθαι· ὁ δὲ αἰτίαν ἐπιφέρει ὡς τῶν ποιημάτων ἐν τῇ τάξει διημαρτημένων· ὅταν δ' ὁ Ἀγαμέμνων λέγῃ πρὸς τὸν Ἀχιλλέα „αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη πόλεμοί τε μάχαι τε“, [5]) ἐνταῦθα ἠθετῆσθαί φησι, χάριν τοῦ βασιλέως ὀφείλοντος, εἰ τοιοῦτός ἐστιν ἐν πολέμῳ ὁ κατ' ἐπικουρίαν ἥκων· διόπερ ἐπὶ μὲν τοῦ λεγομένου ὑπ' Ἀγαμέμνο-

1) Iliad. ξ, 500.

2) Recte ita Thierschius. Cod. ἀπεριστέρκτῳ.

3) Thierschius Βυλαιμένεα, nisi fallatur, ut ipse ait, in signo litterae B.

4) Odyss. λ, 602, ubi θαλίῃς vulgatur.

5) Iliad. α, 177.

νος ὀβελὸς παρακείσεται καὶ πρὸς τούτῳ ἀστερίσκος· δηλοῖ δὲ τοῦτο, ὅπου ἂν ᾖ κείμενος σὺν τῷ ὀβελῷ, ὅτι Ὁμήρου μέν ἐστι, φαύλως δ' ἐνταῦθα κεῖται· ἔστι δὲ καὶ ἕτερος τρόπος τῆς ἀθετήσεως, ὅταν τοῖς αὐτοῖς στίχοις πολλάκις χρῆται, ὁτὲ μὲν οἰκείοις περιτιθεὶς προσώποις τὰ λεγόμενα, ὁτὲ δὲ οὔ, ὡς ἔχει τὰ τοῦ Κύπλωπος τοῦ ἀνημερωτάτου ῥήματα ὑπὸ τοῦ συνετωτάτου Νέστορος λεγόμενα πρὸς Τηλέμαχον· „ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα; ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἦ μαψιδίως ἀλάλησθε, οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται ψυχὰς παρθέμενοι“· [6]) ταῦτα γὰρ ἥρμοζεν ὑπὸ τοῦ Κύκλωπος Ὀδυσσεῖ εἰρῆσθαι, οὐχ ὑπὸ Νέστορος Τηλεμάχῳ.

Quaerenti ante omnia de eo, cuius consuetudo signandi hoc fragmento describatur, quod si non tenemus, nihil in toto hoc loco perspicimus, praesertim si contulerimus cum Anecdoti Rom. cap. II, Anecdoto Veneto, Scholiisque Venetis singulo quoque loco Homerico laudato, dubium esse non potest, agi ubique de Aristarcho. Etenim qui laudatur usus diplae punctatae in notandis Zenodoti lectionibus, eum Aristarchium esse, perspicue in Anecdoto Rom. docetur: item quae de obelo cum asterisco adiuncto traduntur. Atque ab initio fragmenti agi de crisi Zenodoti Homerica Aristarchi iudicio subiecta, singuli ostendunt loci examinati. Prima verba egregie illustrantur Scholiis ad Iliad. ξ, 499: ex quibus quum edoceamur illud φῆ, cuius rationem ceteroquin egregie explicuit Zenodotumque ab errore defendit Buttmannus Lexil. I. p. 236, Aristarcho dictum visum esse pro ἔφη, ut ἔβη, manifestum est, verba, quibus incipit fragmentum, ἢ τὸ ἔφη, ex mente Aristarchi, dici, tum verbis ὁ μὲν νοήσας intelligi Zenodotum: praeterea πάλιν illud in verbis ἀλλὰ λαβὼν πάλιν τὸ φη ἀντὶ τοῦ ως spectat ad alterum Iliadis locum β, 144, ubi pro ὡς apud Zenodotum pariter φῆ repertum esse Scholia testantur. Post quae sequuntur σημειοῦται — Κυλαιμένεα rursus ex mente Ari-

6) Odyss. γ, 71 sq. et ι, 252. Cod. teste Thierschio παρθένοι pro παρθέμενοι.

starchi dici, atque adversus eundem Zenodotum, docet comparatio Schol. ad β, 837, ubi, Asio homonymo occasionem praebente, narrantur: ἐσημειοῦτο δὲ ὁ Ἀρίσταρχος τὰς ὁμωνυμίας πρὸς τὰ Πυλαιμένους; ac dicta illa esse iterum adversus Zenodotum, quippe qui quum tales homonymias ferre nesciret, nunc Πυλαιμένεα, nunc Κυλαιμένεα scripsisset, docent quae aliorsum referri non possunt verba πρὸς τὸν αὐτόν. Quae vero hic de illorum nominum scriptura ex mente Zenodoti referuntur, ea non pertinent ad contextum Homeri, cuius in carminibus istorum, quantum sciam, nulla mentio fit: sed putandus est Aristarchus spectasse quae in notis a Zenodoto allata fuerant, qui, occasionem Iliad. β, 649 Lacedaemonii Pylaemenis, λ, 692 et Odyss. λ, 286 sq. Nelidae alterius memoriam suscitandi praebentibus, ad discernendum utrumque unum *Pylaemenem,* alterum *Cylaemenem* vocasse existimabitur. Iam vero quod Aristarchus, ubi ipsi cum Zenodoto agendum est, etiam dipla non punctata usus esse traditur, id quae supra de dipla punctata ab Aristarcho in Zenodotum usurpata attuli, minime subvertit, quandoquidem illa notatio non tam ad Zenodoti offensiones quam ad homonymias, quibus Zenodotus offendere potuerat, pertinuisse videtur. Cf. Schol. A. ο, 515.

Sequuntur rationes ἀθετήσεως variae, quae rursus cum iis concinunt, quae Anecd. Rom. c. II de usu obeli obelique comite asterisco enarrantur, ita ut etiam haec ad Aristarchum pertinere utique appareat: quod pluribus nunc persequi haud necesse est. Unum tangam, quoniam certissimum est. Quum dubitabatur a criticis veteribus, utro Odysseae loco (γ, 71 et ι, 252) ii, qui in fragmento apponuntur versus ὦ ξεῖνοι etc., aptius a poeta positi essent, qua de quaestione v. §. 19, eam sententiam, quae extremo affertur, Aristarchi fuisse, cognoscitur ex Schol. Ambros. ad priorem Odyss. locum. Si iam quae Fragmento perscribuntur, ut opinor, patet omnia ad Aristarchi morem notandi referenda esse, haec quum reputaveris neque tam accurate neque tam prolixe cum ipsa exemplorum idoneorum luce

apposita ab alio ullo, quem novimus, earum rerum scriptore superstite exposita esse, me iudice non ineptierit qui sumpta ea ex uno alterove haud multo post Aristarchum vulgato huius de signis opere putaret, sive ad verbum transcripta, sive, quod malim, in breve redacta. Neque eo minus ego intercesserim, si quis ea ex ipso Aristonici libro excerpta suspicaretur, quo probabilius est eum, qui scholia A conscripsit seque Aristonici libro in concinnandis iis usum esse ipse testatus est (v. §. 3) etiam ea memoriae mandasse, quae in eodem codice nunc nescimus a quo conscripta continerentur. Ceterum si quae de ratione operis de signis Aristarchiis ab Aristonico conscripti constant huic Fragmento adhibeamus, quo neminem praeterit, quosdam notandi modos Aristarchios brevius absolvi quam prolixior Aristonici tractatio siverit, ac tantum non obiter perstringi, necesse est statuamus, Fragmenti argumentum ex parte operis aliqua praevia fuisse, qua universe singulae notae enarratae earumque potestates variae expositae essent: qua praemissa, fas est putare demum insecutam esse primariam partem, qua singuli loci Homerici deinceps suo quisque ordine, quo in carminibus legerentur, in censum venissent. Utcunque vero ea de coniectura mea iudicaveris, non videtur dubium esse, quin quae Fragmento exhibentur copiae ex antiquissimis eius disciplinae fontibus derivatae sint.

§. 7.

De Anecdoto Harleiano.

Omnium quotquot de notis criticis aetatem tulerunt scriptorum, Fragmento Veneto, de quo §. 6 exposui, fortasse excepto, et argumenti ratione et antiquitate ad Anecdotum Romanum proxime accedit Harleianum, quod, nostra demum aetate in lucem protractum, post Venetum repetendum curavi, perexiguum quidem et misere habitum, sed pluribus nominibus valde memorabile. Cuius de conditione

et usu quum infra suis locis disputatum sit, hic tantum summatim quem locum in scriptionibus huius generis superstitibus occupet, breviter exponendum. Ac primum cum Romano contendenti hoc inter utrumque commune apparebit, quod Aristarchi usum unice respicit, quod si Romanum excipis, in nullo alio scripto superstite fit: ex quo quum aevo Aristarcho posteriore huius notandi ratio vario modo mutata sit, magna cum probabilitate licet in fontis, unde ductum sit, vetustatem facere coniecturam. Etenim quae eo continentur, apparet excerpta esse vel ex Homericorum carminum exemplo sola Aristarchi notatione distincto vel ex scripto aliquo vetere, quo de ea notatione peculiariter tractatum esset. Hoc ut magis credibile est, ita ad eos veterum libros reducimur, quibus supra exposuimus de usu Aristarchio seorsim disputatum esse, Aristonici, Philoxeni et si qui alii circa eandem aetatem idem argumentum expoliverunt, ut similis iam Harleiani Anecdoti fons Romano fuisse putandus sit. Quantopere vero utrumque ratione operis dissideat comparanti patet. Sunt quidem quae in Harleiano exhibentur Aristarchi omnia, sed non cuncta enumerantur, quibus Aristarchi notatio absolvitur: neque ea recte et ad interpretationem singulorum signorum sufficienter exposita, unde quum haec ipsa insuper pluribus nominibus laborent, colligi potest, id apospasmation, dum per librariorum manus propagabatur, quantum labis contraxerit, non solum quantum ad rem ipsam sed etiam in formis signorum fideliter reddendis. Itaque sive imperitia librariorum sive socordia, vel etiam singulari quodam quae primitus sine dubio enucleatius exposita essent contrahendi et breviandi studio factum est, ut loci nonnulli pristinum colorem ita amiserint, ut eorum, ut nunc quidem scripti servantur, sententia nonnumquam vel dubia vel mutila deprehendatur, id quod suis locis, ubi singulorum quorumque signorum ratio habebitur, ostendemus, veluti §. 37 et 39. His vero vitiis, quae incuria tempora contraxit, demptis, non est dubium

ea quae in Anecdoto continentur, quin genuinam Aristarchi doctrinam, quamvis non integram, praestent.

§. 8.

Suetonius Tranquillus.

Transimus ad eos scriptores, qui non tam de Aristarchiis quam de cuiusvis generis notis, quibus grammatici usi sint, tractarunt, quorum agmen ducit Suetonius, quem περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων librum unum scripsisse Suidas v. Τράγκυλλος tradit, deperditum cum ceteris, quos hactenus eo de argumento recensuimus, omnibus. Quantum vero ad Suetonium, eius operis damnum aliquatenus resarciri potest, si vera est coniectura Bergkii de epitome eius ad nostram aetatem perlata, de qua v. §. 11. In scriptis autem nunc laudandis felicioribus nobis esse contigit, in quibus, quum adituris suppetant, paucis defunga .

§. 9.

Hephaestio.

Primum in his tempore locum obtinet Hephaestio, qui enchiridii sui de metris capite ultimo περὶ σημείων inscripto ea signa tractavit, quae et lyrici et dramatici ad carminum metrorumque singulorum diversitates, ordines, vicissitudines designandas adhibuissent. Quae quum ad musicam potius spectare videantur, ea tamen ideo hic non praetermittenda fuerunt, quod ea ad notanda Alcaei carmina Aristarchus, teste Hephaestione p. 134 Gaisf., usurpavit, in his partim iisdem signorum formis usus, quas Homero admovit.

§. 10.

De Anecdoto Veneto.

Sequitur Anecdotum illud, quod ex cod. Veneto 483 eodem anno primum et quantum sciam ultimum vulgatum est in Germania a Siebenkeesio Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst III. p. 71, qui duobus iam annis ante ibid. I. p. 63 de

Scholiorum in Iliadem codice posthac celebratissimo praeviam notitiam dederat, in Italia primum a Villoisono Proleg. ad Hom. sub. calcem. Quare libellum a Bekkero in Scholiorum Venetorum editione omissum propter argumenti cognationem intimam, quae ei cum Romano intercedit, huic subiiciendum lectorum, saepe ad eum avocandorum, commodo consulturus curavi. Bipartita eius ratio est, quippe a librario ex vetustis, ut ait, codicibus duobus transcripti: neque solorum Aristarchiorum, sed signorum quorumvis, quae in Homeri exemplaribus adscripta reperiantur, syllabum continet, recenti quidem tempore confectum, sed ex fonte satis antiquo, ut ipsum argumentum docet, ductum. Codicem saec. XIV scriptum refert Siebenkeesius. Ceterum quum per se pateat, quae utroque codice doceantur, inter se segreganda esse, ut quorum quisque singularem diversorum temporum consuetudinem notandi prodat, quae exhibentur priore, ea multo recentiorem altero posteriore usum spectare, ex figura obliqua litterae ω, qua auctorem usum esse ad eum locum notavi, perspicitur, siquidem id signum qui primus posuit, ex littera ω mutata revera finxit. Vulgarem enim in usum illa litterae forma saeculo ante Chr. n. prius venisse non videtur, v. Winckelmanni Opp. T. II. p. 332 et T. VI, 1. p. 165. Eckhel. Doctr. num. T. I. p. CIV formam vocat non admodum vetustam, serius in numis obviam. Ac novitatem ipsa eius formae origo prodere videtur, quippe ducendae, ut opinor, a iunctura vocalis O, ubi longa esset, dupliciter scriptae. Etenim primitus ea vocalis nulla quantitatis ratione habita ○, tum procedente tempore, cuius de articulo nunc non quaero, signari vario modo coepta est, addito aliquo apice, quo longa a brevi vocalis distingueretur. Itaque imae lineae circuli vel rectus, vel recurvus apex adiectus est, unde formae prodierunt ϙ et ϙ, in numis Acmoniae et Neapolis obviae. V. Rasche Lex. rei num. T. VI, 1. p. 1435 et 1436. [1]) Haec vero in vulgi

1) Aliena ab hoc loco triangularis forma ▽ vel △, quae novitiae aetatis est. Exempla dabunt Rasche l. l. et Gesenius

usum numquam recepta videtur, quantum quidem ex exemplorum penuria concludi licet. Immo placuit O longam lineola verticali subducta designare in hunc fere modum O̩, ab Eckhelio l. l. non praetermissum, vel etiam breviore O̩, testibus numis Villoisono Proleg. in Iliad. p. V. citatis, unde demum evasit vulgaris figura Ω, quam quidem Euclide archonte antiquiorem esse, post alios etiam Franzius Elem. epigr. Gr. p. 24 censuit, sed non in vetustissimis ponere debebat Raoul-Rochette l. l. p. 15 sq. [2]) Rotunda vero, ut dici solet, illa litterae forma ω ex illa nullo pacto effici potuit. Immo nata est, ut dixi, ea demum aetate, qua ex quo grammatici coeperunt O longam contra ipsius rationem et naturam [3]) ex duabus O brevibus ortam docere, ea scribendi ratio passim in consuetudinem venit, quod quidem ante Alexandrinorum aetatem factum non videtur. Nam geminatarum vocalium scripturam iam ante Simonidem obtinuisse, id quod Payne-Knight Analys. of Greek alphab. p. 19 statuerat, indubiis exemplis demonstrari nequit. V. Raoul-Rochette l. l. p. 113. Ex illo igitur geminatae literae usu coeptum scribere oo, quod in nonnullis numis teste Raschio visitur, unde posthac evasit ω, quod praesertim cursivo scribendi generi aptum videri debebat: unde frequens eius in papyris Aegyptiacis usus factus est.

Comm. de inscriptione Phoenicio-Graeca p. 15. Omitto sciens aliam huius litterae speciem licet perantiquam, in qua O comparet linea transversa una vel etiam duabus crucis in modum confossa, cuius exempla notavit Raoul-Rochette Deux lettres sur les inscriptions de Fourmont p. 117.

2) Locus notatu dignus, nec tamen in hac quaestione, quantum sciam, adhuc notatus exstat in Platonis Phaedr. 48 (p. 244. C), ubi quod veteres τὴν οἰονοϊστικὴν dixissent narrat id posteriores (οἱ νέοι) οἰωνιστικὴν appellasse, τὸ ω̄ σεμνύνοντας: quod dicere non poterat Plato, nisi figurae non ita pridem in usum receptae rationem habebat, quod vero multis annis post dicere absonum fuisset. Qui locus non spernendus videtur in lite de aetate, qua Phaedrum Plato conscripserit, adhuc non composita.

3) V. Bonnycastle Classical Mus. 1849. Fasc. 25. p. 290.

Sed revertor ad propositum. Quod modo de discrimine utriusque argumenti in cod. Veneto tractati dixi, id insuper eo confirmatur, quod collato Excerptorum Rom. capite altero iam certo patet, ea quae in cod. Veneto altero exhibeantur, ad solam notarum Aristarchiarum rationem spectare, dum res in priore tractatae aperte ad disciplinam Aristarchiam posthac variis modis amplificatam aperte pertinent, ad verbum plerumque cum Excerptorum Rom. cap. primo conspirantia, hoc tamen nomine diversa, quod nonnulla admisceantur, quae a codice Rom. absunt. Eodem igitur fonte, de quo v. §. 14, auctores necesse est statuamus usos esse, Venetum vero ita ut aliunde quaedam admiscuerit, alia vero etiam omiserit, velut quae de ceraunio afferuntur. Diversa vero eius partis Venetae, quae ad sola Aristarchia signa spectat, ratio est, quandoquidem ea quantum ad res tractatas cum Excerptorum cap. II. plane convenit, in verbis vero dissidet, ut an ex eodem fonte uterque hauserit, in medio relinquendum sit.

§. 11.
De Anecdoto Parisino.

Haud spernendum tum res, de qua agimus, tum ipsa grammaticae Latinae historia incrementum cepit ex Anecdoto, quod ex cod. Parisiensi 7530 saec. VIII. scripto a Theod. Mommsenio transcriptum Bergkius vulgavit Zeitsch. f. d. Alterth. 1845. No. 11 sq. et No. 14. sq., in fronte inscriptum: »Notae XXI. quae versibus apponi consuerunt.« Cuius libelli quum inprimis is finis fuisse videatur, ut de usu notarum in poetis Latinis exponeretur, tamen, quoniam hae ipsae ex Graecis litteris adscitae sunt, non potuit fieri quin simul Graecorum notae tractarentur, quo factum ut quum cuiusvis signi tam apud Romanos quam apud Graecos usus accurate explicatus sit, hoc libello instrumentum nacti simus, quo totius instituti et origo et processus mirifice illustretur. De auctore libelli deque aetate, qua scripserit in coniecturis acquiescendum est. Nam quod pro certo a Benedictinis S. Mauri, qui primi eius

opusculi notitiam dederunt, [1]) affirmatur, Servium eius auctorem esse, id quod a Bergkio adnotari non memini, errori tribuendum, ex eo, ut videtur, repetendo, quod subscriptio quaedam *Servii grammatici* nomen exhibens in codice reperitur, a Mommsenio cum fructu in lucem producta, apud Bergkium p. 82, ex qua consequitur, codicem a. 780 scriptum esse, nihil vero ad auctorem libelli. Quantum vero ad aetatem opusculi ipsam attinet, Isidoro, quem in eodem loco explicando versatum §. seq. producemus, id fuisse antiquius, ut quod adhuc harum notarum usum litteris sacris adhibitum ignoraverit, dum contra Isidorum fugisse videatur, etiam in Romanorum scriptis eas usurpatas esse, lubenter Bergkio p. 111 concedimus: quod vero idem statuit, epitome aliqua ex libello Parisiensi facta Isidorum pro fundo ipsius operis usum esse eamque adiiciendo praesertim ea, quae ad sacra scripta pertinerent, suo modo exornavisse, ut incertum in medio malo relinquere. Si tamen ea de re iudicandum est, quid est quod negemus, hoc ipso libello intemerato Isidorum in adornando suo de notis capite usum esse, quum praesertim passim ad verbum usque cum illo conspiret? Probabilior eiusdem Bergkii coniectura est de fonte, ex quo auctor Anecdoti Paris. sua hauserit, videlicet epitomen esse operis a Suetonio de eodem argumento conscripti, de quo v. §. 6: quae quidem sententia ut ingeniosa est, tamen quum eo potissimum nitatur, non solum quod in eo libello nihil reperiatur, quod res Suetonio posteriores attingat, sed quod in iis qui in notandis scriptis operam posuissent, postremo loco Probus commemoretur, qui quum dubium non sit quin Valerius ille Berytensis intelligatur, ad Suetonii aetatem proxime accedat, ex parte tantum admitti potest, quum id quod primo loco positum est haud plane verum sit, ut infra ostendetur §. 74: quae si contuleris, ita potius censebis, pro fundo quidem Anecdoto Suetonii librum fuisse, nonnulla tamen ab auctore adiecta esse, quae posterioris aevi

1) Nouveau traité de diplomatique T. III. p. 483.

fuerint. Neque improbo quod Bergkius censuit p. 112, libellum ipsum Parisinum, de quo infra iterum dicendum erit, saeculo tertio antiquiorem esse non videri: cui sententiae favet, quod lemniscus iam memoratur, quo ante Origenem quempiam usum esse ignoramus.

§. 12.

De Isidoro Hispalensi.

Agmen claudit Isidorus, qui Originum libri I capite 20, *de notis scripturarum* [1]) inscripto, argumentum peculiariter tractavit: de quo quum iam superiore §. expositum sit, nihil superest addere nisi quod quum ultimo loco ea de re verba fecerit, ei una comprehendere licuerit, quae ab antiquis inde temporibus usu recepta variisque veterum scriptis adhibita essent. In quo tamen labore ita versatus est, ut ab Romanorum criticorum consuetudine illustranda prorsus abstinuerit, ratione Graecorum antiquorum et ecclesiasticorum scriptorum unice habita: cuius omissionis caussa vix poterit cum Bergkio p. 112 alia indicari quam Isidori aetate ea signa haud amplius in notandis scriptis adhibita fuisse, id quod revera factum ostendunt codices Latini circa illa tempora scripti, in quibus vestigia eius moris notandi frustra quaesiveris: et si qua reperiuntur vel a Scholiastis afferuntur, quod in Lucano factum esse infra ostendam §. 77, ea necesse est statuamus ex antiqua aliqua criticorum adnotatione relicta et ita ad posterius aevum translata esse.

§. 13.

De S. Epiphanio.

S. Epiphanium, qui libello de mensuris et ponderibus notas criticas attigit, in hac scriptorum censura consulto

---

1) Memoratu dignum videtur, quod in vetere illo codice, quo etiam Isidori caput integrum de notis exstat, una a Mommsenio illinc transcriptum et a Bergkio editum, tenetur *sententiarum,* ut ante Arevalium vulgabatur: sed contextus initio idem, ut vulgatum, *scripturarum.*

omittimus, quoniam quae affert, ad usum notarum in scriptis sacris adhibitarum unice pertinent, de quo infra §. 71 dicetur.

§. 14.

De fonte Anecdoti Romani.

Veniendum iam ad id, cuius caussa omnis haec scriptorum de signorum usu vetere recensio a nobis instituta est, ut si fieri potest, fontes aperiantur, ex quibus quae in Anecdoto Romano perscribuntur ducta sint. Iam vero ex libellis istis, quae aetatem tulerunt, ea quae in codice Romano leguntur neque descripta neque excerpta esse posse, comparantem non latebit. De cognatione, quae Excerpta Romana inter et Veneta intercedat, suo loco dictum §. 10: quae quidem quum magna sit, tamen non eius rationis est, ut alterum ex altero profluxisse possit. Neque cum Anecdoto Parisiensi nedum cum Isidoro ullam Excerptis Rom. intercessisse necessitudinem, sponte apparet, non quod ista Latine scripta sunt, sed quod et rebus inter se differunt et longe diversum consilium prosequuntur. Excerpta enim Romana non solum Graecorum usui notarum unice adstricta sunt, sed disciplinae quandam simplicitatem produnt, ab iis temporibus alienam, quibus signandi usus ab Homero epicisque poetis ad aliorum quorumvis poetarum scripta traductus est, quod quidem satis mature factum esse, ex consuetudine, qua in notandis Latinorum scriptis critici Romani iam saeculo ante Chr. n. usos esse inprimis testatur Anecdotum Parisiense, certo cognoscitur. Tum ab istis Excerpta etiam eo discedunt, quod quamquam priore parte notae indicantur, quae Aristarchiis posthac demum additae sunt, tamen harum ratio ea indoles est, ut si formam ac naturam earum spectes, eae quasi ex disciplina ipsa Aristarchi profecta et ad complendam eam adinventa videantur, quum praesertim eae unice ad notanda scripta Homerica spectent. De Anecdoto Veneto sub finem huius §. dicetur. De Suetonii libello praeter titulum certi nihil liquet: verane sint nec ne quae §. 11 de Anecdoti Pari-

siensis fonte disputata sunt, huius ad modum illum compositum fuisse, ut non tam Homerica quam potius omnia ea signa complexus esset, quae a primordiis criticae artis usu recepta fuissent, tum Graeca tum Latina, in medio relinquendum est. Atque ne hoc quidem plane liquet, an Suetonius vel signorum Aristarchiorum recensum exhibuerit. Itaque ad ceteros, quos novimus, scriptores deducimur, et quidem eos, qui proprie et peculiariter non tam de signis criticis quibuscunque, quam de Aristarchiis scripsisse feruntur, Aristonicum, Diogenem, Philoxenum, quorum de opera melius quidem liquet, nec tamen tantum, quantum ad idoneam comparationem opus est. Quid igitur? Quum vix aliter fieri potuerit quam ut si cetera post Aristarchum inventa signa iam in vulgus nota et a criticis usurpata et in libris, qualis Suetonianus fuit, illustrata fuerunt, ex his quaedam Excerptis immissa fuerint, hoc vero paucis exceptis factum non sit, necesse est fontem eorum statuamus perantiquum fuisse, qui ad ipsa paene Aristarchi tempora accederet. Nam si ex Anecdoto Paris. constat, proximo ante Chr. n. saeculo iam numerum signorum mirifice auctum usumque eorum vario modo amplificatum esse, non potest non Excerptorum fons vel hanc aetatem superasse, ita ut si scriptores nominandi sint, ex quibus hauriri potuerit, in censum unice veniant Aristonicus, Diogenes, Philoxenus, fortasse et Didymus, quem quidem de signis Aristarchiis peculiariter scripsisse non constat, quem tamen opere isto amplissimo, quod de Aristarchi editione Homeri, de quo egit Lehrs c. II, id argumentum una tetigisse, haud improbabilis coniectura est. Ex horum igitur aliquo scripto Excerptor quicunque fuit sua collegisse putabitur: nisi placeat de iis scriptoribus cogitare, qui etiam illis natu maiores de Aristarchia Homeri diorthosi commentati sunt, veluti Ammonius, Aristarchi discipulus et in schola successor, [1]) Ptolemaeus Ascalo-

---

1) V. Lehrs p. 27. Adde Inc. in Eichenfeldii Anal. gramm.

nita, aut certe in crisi carminum Homericorum vario modo exercenda operam navarunt, quorum recensum exhibet Lehrsius p. 31. Sed haec remotiora sunt.

§. 15.

De cod. Iliadis signatae Veneto.

In hac fontium, quos hactenus enarravimus, penuria sive exilitate quum ad rem illustrandam maximi debebat putari momenti fore, si veterum ratio signandi ex ipso aliquo veteris scripti exemplari signis instructo cognosci posset: ecce singulari beneficio fortunae accidit, ut praeter alia nonnulla notationis antiquae vestigia, de quibus mox dicetur, tale codice Veneto eo, qui Scholia A. continet, exhibitum sit. Nam Scholiis illis locupletissimis in Iliadem, quibus huius certe carminis Homerici notatio Aristarchia tantum non integra explicatur, in codice ipsum Iliadis exemplum praemittitur, ad eandem normam, ut fas est putare, signis criticis distinctum. Exstat igitur hodie tale eruditionis instrumentum, quo aliis quibuscunque subsidiis melius et plenius veterum ista consuetudo notandi cognosci posset, nisi, ut in his litteris fieri solet, exemplum illud veteris scriptionis, dum in decursu saeculorum per variae librariorum manus traderetur, labis tantum contraxisset, ut pro auctoritate certa haberi nequiret. Ad hoc accessit quod quum Imm. Bekkerus Venetum codicem denuo excuteret, hanc eius partem quae Iliadis contextum comprehendit, nescio qua de caussa intactum reliquerit, ita ut in exemplo eo quod unus Villoisonus vulgavit acquiescendum sit, huius editionis fides si ad rationem, qua Scholia ab eodem vulgata sunt, aestimatur, nemo qui vel obiter has litteras attigerit ignorare poterit diligentiam iustam deside-

p. 533, ubi quamquam *Alexandrius* appellatur, nihil tamen impedit quominus eundem esse putemus cum Lamptrensi Ammonio, qui περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν scripsit: de quo v. Meieri Comm. Andoc. VI. Part. 13. p. 66.

rari. Etenim ut industriae editoris clarissimi nihil detraham laudis, tamen quum incredibili paene negligentia et levitate Villoisonum in describendis vulgandisque Scholiis versatum esse iam ante editum a Bekkero exemplum perspectum esset, non poterat non notarum versibus singulis adscriptarum fides una valde infringi. Atque hoc non praepropere iudicatum fuisse, nunc in comperto habemus, ex quo Guil. Georg. Pluygers scriptione scholastica a. 1847 Lugduni B. emissa egregia [1]) eorum, quae in utroque instrumento, et in Scholiis et in contextu de signis criticis tradita sunt, fidem et auctoritatem examinare coepit: ex quo labore simul cognoscitur, quod exspectare non poteramus, nunc vero non sine indignatione profitendum est, Bekkerum in Scholiis edendis, tametsi in tam difficili atque operoso labore peccata leviora multa ob humanam imbecillitatem lubenter condonentur, [2]) ea socordia usum esse, ut a codice eius recensio ita saepe discedere deprehenderetur, „ut, nisi ipse moneret huius libri Scholia a se edi, alium ante oculos eum habuisse diceres.“ Non mea haec sunt verba (nam mihi quidem in hac caussa caute loquendum est, quippe qui unus in paucis fidem Bekkeri haud impune olim in dubium vocaverim), sed Pluygersii p. 10 (cf. etiam p. 7. a), qui adiutus codicis collatione nova, quam C. G. Cobetus, futurus Homericorum carminum Scholiorumque in ea instaurator, summa diligentia confecit, vulgatorum exemplarium conditio qualis esset, ingenue professus est singulisque exemplis commonstravit. Simul etiam in opusculi laudati introitu de novo in eadem bibliotheca Marciana reperto Codice Odysseam cum Scholiis partim ex veterum grammaticorum libris excerptis docemur, qui novae editioni Ho-

1) De carminum Homericorum veterumque in ea scholiorum post nuperrimas codicum Marcianorum collationes retractanda editione.

2) V. Muetzell Em. Theog. p. 477. Ad α, 2. p. 1, b 39 ὡς male scriptum pro τό, ut Villois. Post α, 19 desideratur nota codicis A. Sed nolo plura.

meri adornandae adhiberetur: ex quo novo Homericae criseos incremento egregium specimen exhibetur p. 2. b. Haec omnia consideranti mihi, quum praesertim susceptum munus a viro tali administretur, quem haud minus accurata doctrina quam splendido et promptissimo ingenio excellentem novimus, tam avida promissae editionis exspectatio nasci debuit, ut in talium subsidiorum spe mecum reputarem, num non toti huic veteris artis criticae loco, quem per hoc opusculum meum tractandum sumpsi, melius consultum foret, si reponerem donec illo adminiculo frui liceret: a qua cogitatione a me unum illud revocavit quod non iniuria dici solet, nihil in vita differendum esse.

Iam vero quum constet codicem Venetum, cuius de forma externa et indole post Villoisonum et Siebenkeesium uberrime exposuit Harlesius Bibl. Gr. Fabr. T. I. p. 396 sq. in primariis veteris notationis criticae fontibus habendum esse, nunc de sola ea parte dicendum est, quae signa versibus singulis contextus Iliadis appicta ostendit: nam de ratione Scholiorum recte aestimanda non est quod post Lehrsium, qui rem libro De studiis Aristarchi Homericis c. I, ut ante eum nemo, in vera luce posuit, verba faciam. Atque etiam in illa parte Codicis brevi esse mihi licet, quoniam verbo repetenda sunt quae ea de re Pluygersius in libello laudato apud nostrates rarissimo disputavit. Qui quum in se suscepisset, rationem notarum criticarum Aristarchiarum illustrare, comparando quidem notas contextui adscriptas cum Scholiis, cuius laboris ratio suis locis a me habebitur, non potuit supersedere ea quaestione, quae in recte aestimanda notationis contextus auctoritate versatur: in qua profliganda quum exemplo emendatiore a Cobeto procurato adiuvaretur, factum ut quod ipse divinare ex parte potueram, ille certissima argumentatione ad evidentiam demonstratum daret. Pluygersio igitur duce, cuius et ipsa verba mea faciam, iam primum constat, »descripsisse ex alio codice signa critica librarium codicis Ven., nec vero scholiorum auctoritatem secutum ipsum textui addidisse.

Qua in re hoc monendum est et Scholia et signa critica antiquitus adscripta fuisse codici, qui multis in locis a textu Ven. discedebat," p. 4 b. coll. p. 6 a. Tum idem p. 9 b: "Tempore satis antiquo censendus est aliquis ad textum Iliadis appinxisse ea signa, quorum in scholiorum collectione, quam usurparet, mentionem inveniret. Huius libri scholia alter postea descripsit, signaque a priore illo appicta, quae ante oculos habebat depinxit, sed utraque, et signa et scholia ad textum ex alio libro desumtum: scholia autem, quae in libro, unde textum petivit, inveniebat, cum scholiis alterius libri coniunxit, si eadem continebat utraque collectio, bis eadem scripsit; quod innumeris in locis factum est, quamquam in editis rarius apparet, quum editores aut iteratum scholium semel edi curaverunt, aut, quod peius est, duo scholia mutatis mutandis in unum contraxerunt. Hunc autem librum tertius denique descripsit, scholiaque ex tertio libro adiecit: quo factum est, ut nonnumquam ter eadem in scholiis reperiantur. Iam apertum est, qua de causa tam multae in scholiis Ven. exstent Aristonici annotationes, quae ad nullum in codice appictum σημεῖον referri possint: deerant enim in prima illa scholiorum collectione, e qua signa ad textum sunt appicta. Ubi autem signa ex antiquissimo illo codice in codicem Venetum propagata sine explicationibus in scholiis reperiuntur, huius discrepantiae inter σημεῖα et scholia culpam in epitomatores et librarios conferendam esse censemus." "Quorum incuria, inquit Pluygers p. 7. a (nam et haec ad pernoscendum caussae statum praesentem necesse est apponamus) et in signis et in scholiis eo pertinentibus tradendis nemo maiorem cogitare potest. Nam, cuius rei iam supra exempla attuli, praeter signa eadem manu versibus appicta, qua et textus et scholiorum maior pars scripta sunt, alia haud exiguo numero in codice Ven. comparent diversis recentibusque saepe exarata manibus, ab Aristarcheis signis probe distinguenda. Haec omnia cum antiquis illis signis in Villois. editione permista sunt, auxitque confu-

sionem scholiorum editor nomina signorum, in quibus explicandis versetur scholium, ei praeponens, quae in codice Ven. omitti solent: haud raro in istis additamentis errans, aliusque signi nomen scholio addens, quum aliud in codice ante versum inveniatur, aut ad corruptum signum scholium referens, interdum etiam cum signo a recenti manu appicto, cui nulla in exquirendis Aristarchi studiis Homericis auctoritas esse potest, scholium coniungens, quod ad antiqua illa signa pertineat. Neque hoc solum commiserunt; sed, quod facit, ut quaestio, in qua nunc versamur, ex editis scholiis recte diiudicari nequeat, non pauca signa critica compluresque Aristonici annotationes festinantes omiserunt.«

Hactenus Pluygersius, cuius ex monitis quum iam pateat, in cod. Ven. neque integram Iliadis notationem, nedum puram Aristarchiam, tradi, traditam autem insuper negligentia editorum pessimo exemplo exhiberi vel obscuratam, vel etiam falsam, quantum ad doctrinam de signis criticis noscendam totius illius Codicis fides ita attenuatur, ut quamvis in plurimis utilissimus, tamen in certis testibus ante haberi nequeat, nisi cuiusque loci conditio accurate explorata et vulgata sit. Quod ut quantocius fiat ardenter optamus. Quo magis autem deplorandus ille rerum status est, eo maioris simul aestimanda videbuntur fragmenta illa grammatica, quibus de signis Aristarchiis summatim exponitur: quorum materiam quum Pluygersius ex re sua non iudicarit cum notatione codicis Ven. contendere, quod si fecisset, etiam clariore in luce, qua est ingenii dexteritate, totum locum positurus fuisset, campum reliquit vacuum, quo excolendo cummaxime occupati nos interim ex utroque fonte, quantum per cuiusque naturam licebat, haurire et componendo quae ad rem pertinerent argumentum explicare studuimus. A Pluygersio anteaquam discedimus, unum in antecessum admonere restat momenti haud levis, quod ex supra dictis magna cum probilitate colligitur: tametsi pro fundo quidem eorum signorum, quae in codice Ven. sive ad contextum sive in Scholiis adnotata

sunt, locorum Homericorum notatio, qualis ab Aristarcho ipso profecta est, habenda sit, tamen hoc nihil impediri, quo minus in variis iis notis, quae ab aliis manibus codici appictae sunt, inesse nonnullas censeamus, quae non Aristarcho debeantur, sed ad notanda posteriorum criticorum placita adiecta sint. Hoc quam maxime credibile est, quamquam id magis nunc significari quam demonstrari potest. Ad rem vero credendam haud parum confert, quod §. 41 ostendere conamur, reperiri in Scholiis signa quaedam una cum explicatione, quae Aristonico ipsi probabiliter debeantur.

§. 16.
De aliis carminum Homericorum codicibus signatis.

Praeter Venetum Iliadis codicem etiam alius in hominum doctorum manibus exstitisse fertur, qui quod probabiliter licet coniicere, similiter atque ille notis criticis et Aristarchiis quidem distinctus esse videatur. Cuius memoriam quum resuscitarit prudenter Villoisonus Proleg. p. XIV sq., eius notitia eo minus hic silentio praetermittenda est, quod etsi nunc hominum oculis utique subductus esse videatur, eum tamen aliquando recuperandi non omnis spes evanuit. Hic codex, praeter Iliadem etiam Odysseam complectens, ex bibliotheca Antonii Seripandi cardinalis in Neapolitanam S. Iohannis de Carbonara deductus, saeculo XVI fraude custodum pecunia corruptorum per Iohannem de Witt Batavum in patriam ablatus fuit, ubi quum aliis eum inspiciendi copia facta fuit, tum etiam Berglero, qui tamen eius in Iliadis editione a. 1707 emissa nullam rationem habuit, nisi quod in frontispicio eius exhiberi: »Aristarchi signa« Praef. p. I. adnotavit. V. Villois l. l.

Sciens omitto codicem Iliadis Escorialensem commemoratum in Harlesiana Fabricii Bibl. Gr. T. I. p. 410, quippe quo qui asterisci aliaque signa adscripti sint, nullam, ut quidem narratur, criticam vim habeant. Tum verbo monendum, in antiquissimo Odysseae exemplo Am-

brosiano, quod Maius excussit, quum merito signorum criticorum reliquias servatas exspectasses, ea an revera locum habuerint, hodie „obscurum esse post omnem marginem pagellarum abscissum, in quo moris erat haec signa notare," ut ait Maius p. 682 Buttm.

At non praetermittenda sunt quaedam signationis Homericae vestigia, ex vetustioribus libris, ut opinor, arcessita et arbitrio magis quum certo consilio a librariis ad nos transmissa. Sparsa enim antiqua signa hic illic codicibus aliquot Homericis adhaerent, quorum in numero referendus Vindobonensis Odysseam continens, notatus 133 et ab Altero primum excussus, qui Odysseae ab se editae p. 970 adnotavit τ, 4—12 asteriscis minio scriptis signatos esse, hac nota in margine ad vs. 4 adiecta: ἀναγκαίως οἱ ἀστερίσκοι ἐνταῦθα, ὅτε ἑώρακε τὰ ὅπλα. Cuius censurae ratio et vetustas constat ex Scholiis vulgatis haec exhibentibus: Ἀναγκαίως οἱ ἀστερίσκοι, ὅτι ἐνθάδε καλῶς, ὅτε ἑώρακε τὰ ὅπλα. Scilicet quod bene hic habere existimabantur isti versus, asterisci appositi sunt, respondentes quippe alteris, qui una cum obelis appicti erant π, 282, ubi improbabantur a criticis antiquis, duce, ut ex eiusdem cod. Vindob. scholio ad vs. 281 perspicitur (v. Buttm.), Zenodoto. Rem planam facit Eustathius, qui vetustis sine dubio auctoribus usus, simulque utrumque locum isto modo, quem dixi, infra §. 38 pluribus explanandum, signatum esse ostendens, ad posteriorem locum adnotavit: Ἔνθα καί στίχους Ὀδυσσεὺς αὐτοὺς ἐκείνους ἀπαραλλάκτως λέγει, οὓς καὶ ἐν τῇ π̄ ῥαψῳδίᾳ περὶ τῶν ὅπλων τῷ Τηλεμάχῳ ἔφη, ἀρξάμενος οὕτω·

Τηλέμαχε, χρὴ τεύχε' Ἀρήϊα κατθέμεν εἴσω
πάντα μάλ'· αὐτὰρ μνηστῆρας μαλακοῖς ἐπέεσσί
παρφάσασθαι,

καὶ ἑξῆς τοὺς ὀκτὼ στίχους ἐκείνους ἕως τοῦ „αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος." ἔνθα καὶ κεῖται πρὸ ἑνὸς ἑκάστου στίχου ἀστερίσκος δίχα ὀβελοῦ, ὡς ἐνταῦθα τῶν τοιούτων στίχων ἄριστα κειμένων, καὶ οἷον ἀστέρος δίκην λαμπόντων, οὐ μὴν ἐκεῖ, ὡς ἐπικρίνουσιν οἱ παλαιοί. Idem ad π, 296: Ἰστέον δὲ καὶ ὅτι

ἡ περ τῶνὶ ὅπλων ἐνταῦθα παραγγελία τῇ τῆς τ̄ μάλιστα ῥαψῳδίᾳ ᾠκείωται κατὰ τοὺς παλαιούς· ὧδε γὰρ ὀβελίζονται, φασί, τὰ τοιαῦτα ἔπη μετὰ καὶ ἀστερίσκων· ἐκεῖ δὲ καιριώτατα κεῖνται ὅπου καὶ εἶδεν Ὀδυσσεὺς τὰ ὅπλα· νῦν γάρ, φησίν, ἐν ἀγροῖς ὢν πῶς οἶδεν ὅτι πρόχειρα κεῖνται ὅπλα ἐν τῷ οἴκῳ; etc. Atqui asteriscos istos cum scholio qui codici adscripserit, eum exemplo Odysseae usum esse, signis criticis distincto, ostendit observatio quae legitur ad ξ, 188: ἀστερίσκος πρόκειται [codd. Harl. et Ambr., ex quibus solis profert Buttmannus, πρόσκ.] ἄχρι στίχων γ', ὅτι etc.

Eiusdem signandi consuetudinis antiquae, non Aristarchiae quidem illius integrae, sed eius quam mixtam appellaverim, exemplum aliud exstat in adnotatione adscripta exemplari Iliadis Parisiis apud Ioannem Libert a. 1520. 4. vulgatae, pariter in bibliotheca Caes. Vindobonensi servato, unde notitiam eius idem Alterus dedit Praefatione ad Iliadis ab se editae tomum alterum p. XXVI. sq. Scilicet foliis Graecis, textum Homeri continentibus, intercalantur, ut Alteri verbis utar, folia chartacea, quibus exhibetur Iohannis Tzetzae Metaphrasis graeca a nescio quo homine Loget nominato, de quo haud magis Altero liquet, nisi quod is natione Graecum fuisse suspicatur p. XXXVIII, scripta, cuilibet versui impresso Homeri accurate respondens. [1]) Iam in margine horum foliorum chartaceorum exhibentur tum in Metaphrasin notae, tum librorum argumenta, Scholia, quorum fontem qui adscripsit hic illic ipse indicavit Regium codicem Parisiensem, eundem, ut existimat Alterus p. XXIX, quem laudaverit Villoisonus Proleg. ad Iliad. p. XIV, instructum Scholiis Isaaci Porphyrogeniti. Ista vero quae liber Vindobonensis continet nihil ad nostram rem. Sed huc pertinet quod, sive ex codice Parisiensi, sive ex alio fonte ducta sit, singulis Metaphraseos versibus frequenter obeli quum maxime rubro, tum vero etiam nigro colore picti

---

1) De variis, quas novimus, Homeri metaphrasibus adi Villoisoni Prol. Hom. p. XLII.

notatio adiecta est, quae quum non possit ad ipsam Metaphrasin pertinere, recte iudicabitur valere ad signandos ipsos versus Homericos, quibus notati Metaphraseos versus apponuntur. Praeterea est quoque ubi praeter Metaphrasin ipse versus Homericus obelo notatur, ut α, 359. Tum et versui et Metaphrasi adscriptum νόθος, β, 206 et γ, 86, qui versus in exemplo Iliadis Veneto omittuntur. Valde autem mirum nullum locum deprehendi obelo notatum, qui eodem signo vel in exemplo Veneto vel in Scholiis notatus esset, nisi κ, 473, ubi in Veneto dipla adscripta est, quae ad ἀθέτησιν minime spectat, illustrata in ipsis Scholiis A. Praeter obelum semel asteriscorum quoque usus reperitur, κ, 311, ubi teste Altero p. XL. »ante vs. 311 est uncus (in hanc formam L) cum duobus asteriscis; et in fine vs. 312 ponitur etiam uncus (in hanc formam ˩) cum duobus asteriscis.« Adnotationis ad h. l. nihil exstat in Scholiis. Si tamen licet signationis illius consilium coniectando explorare, videtur qui eam scripsit lectorem advertere voluisse de similitudine, si non sententiae, certe verborum, quae hunc locum inter et vs. 98 et 99 intercederet. Postremo etiam lemnisco, quo de signo infra dicendum, locus datus, θ, 59 et λ, 519, illic ut de versu in ed. Libertana omisso, hic ut de reducenda genuina lectione in margine adscripta moneatur. De posteriore loco Alterus p. XLII: »Ed. Libert. et Vindob. ἵππους. Super hoc vocabulo ἵππους est lemniscus -·-, et in margine praefixo hoc signo -·- est ἐλάαν.« De priore idem p. XXXVIII: »Post hunc versum est hoc signum ÷ id est veru supra et infra stigmatum, et in margine manus graeca praefixo hoc signo ÷ addit: οἱ δ' ὅτε δηρ' ἐς χῶρον ἕνα [sic] ξυνίοντες ἵκοντο.« Solam igitur significandi vim his in locis lemniscus habet. Haec omnia si in unum colligimus, quum praesertim obelorum usum cum Alexandrinorum disciplina minime convenire meminerimus, patet illam Logeti notationem, mixtam ex signis Aristarchiis aliisque (nam lemniscus ab Alexandrinorum veterum con-

consuetudine alienus fuit) ratione longe diversam ab artis antiquorum criticae indole esse.

Vindobonensibus libris addendus esset Odysseae codex olim Vespasiani Gonzagae de Columna, a Nic. Heinsio excussus, de quo v. Villois. Ep. Vim. p. 26 sq., si certa de obelorum singulis quibusdam versibus adscriptorum origine constaret, videlicet ι, 542. λ, 601—603. τ, 306 et 346—348. Quorum locorum solus quartus est, cuius ἀθέτησις, ex Scholiis, quae vulgata dicuntur, certo liquet. In ceteris nihil suspicionis adnotatum, neque in Scholiis neque in Eustathio, ita ut dubius sis, ἀθέτησις num ex codice ab Heinsio transcripta sit, quae est Villoisoni sententia, an ingenio eius debeatur; ceterum versum ι, 542 ut notaret critico cuicumque tanti visum esse potuit propter posterioris hemistichii iterationem vs. 486.

§. 17.

De signorum usu ante Aristarchum.

Positis tamquam Praefationis loco his, quae ad argumentum in Anecdoto Romano traditum recte aestimandum hactenus exponere necesse videbatur, strata nunc quasi via, ad rem ipsam pervenimus, et ordine supra indicato de Aristarchi ipsius opera disserendum, in notandis ope signorum criticorum scriptis collocata. In qua quaestione primo constituendum videtur, in ea signandi ratione quid semetipsi, quid aliis debuerit acceptum. Novam enim minime rem Aristarchus instituit: sed novo modo veterem perfecit, ut rationis ab ipso inhibitae merito inventor appellari potuerit, eaque signa, quae adhibuerit, eius a nomine iure appellata sint. De qua re dicendum, quum exposuero de eiusdem vel similis generis notarum usu vetere Aristarchi aetatem superante. Si vero veterem illum notandi usum dico, in mente non tam eum habeo, qui in arte critica factitanda cummaxime a grammaticis solus adhibitus est, quam quem alii alio consilio et ratione et in dispari genere litterarum adhibuerunt. De quibus nunc rei gravitate ipsa

poscente paullo prolixius dicendum, et primum ob certam temporis notitiam nobis servatam de eo genere notarum, quae Hippocrati scriptis adhibita sunt. Ante vero necesse est ostendamus signandi usum etiam his Hippocraticis signis antiquiorem, et in ipso Homero tractando iam mature adhibitum esse.

§. 18.

De Iliadis exemplo Alexandri M. aetate signato.

Constat de Iliadis exemplari, quod scrinio pretioso, unde nomen τῆς ἐκ νάρθηκος accepit, inclusum Alexander in itineribus suis secum duxisse fertur, quodque ex magistri eius, Aristotelis, diorthosi prodiisset [1]. Plutarchus vit. Alexandri p. 668: καὶ τὴν μὲν Ἰλιάδα τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον καὶ νομίζων καὶ ὀνομάζων ἔλαβεν μὲν Ἀριστοτέλους διορθώσαντος, ἣν ἐκ τοῦ νάρθηκος καλοῦσιν· εἶχεν δὲ ἀεὶ μετὰ τοῦ ἐγχειριδίου κειμένην ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον, ὡς Ὀνησικράτης ἱστόρηκε. Rem confirmat Plinius H. N. VII, 29, sed de Aristotele nihil addens. Longe diversa de eadem editione Strabo XIII. p. 594. T. V. p. 315 Tz. Φέρεται γοῦν τις διόρθωσις τῆς Ὁμήρου ποιήσεως ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος λεγομένη, τοῦ Ἀλεξάνδρου μετὰ τῶν περὶ Καλλισθένην καὶ Ἀνάξαρχον ἐπελθόντος καὶ σημειωσαμένου τινά, ἔπειτα καταθέντος εἰς νάρθηκα, ὃν εὗρεν ἐν τῇ Περσικῇ γαζῇ πολυτελῶς κατεσκευασμένον. De scrinio igitur illo nulla testium dissensio: sed discedunt de signatore in diversas partes. Sive vero Aristoteles is fuerit, sive Alexander, Callisthenis et Anaxarchi opera adiutus, quam quaestionem alibi tractabimus, haec nunc quidem nihil ad nos in notationis primis vestigiis perscrutandis solum occupatos. Quisquis iam σημειώσεως illius auctor fuerit, in medio nunc relinquens, hoc tenendum puto, Alexandri M. iam temporibus haud insuetum illum signorum criticorum usum fuisse: nam quod aliquis

1) V. Fabricii Bibl. Gr. T. I. p. 357. Harl.

putare possit, Iliadis illud exemplar signis quibusdam distinctum fuisse, quibus singuli loci eminentes ad memoriam refovendam notati essent, id reprobatur eo, quod hoc ipsum exemplar, vel quae eius ad normam confectae essent copiae, in subsidiis Homeri criticis etiam multo post habitae sunt: unde certo colligitur σημείωσιν illam in aliqua diorthosi Iliadis critica constitisse, quod corfirmatur Eustathii testimonio, τὴν ἐκ νάρθηκος iuxta Iliadem Massalioticam et Sinopicam afferentis, ad Iliad. α. p. 6.

§. 19.

De notis Hippocraticis.

Similis, quamvis in argumento longe diverso, notationi Aristarchiae eorum signorum ratio fuit, quae Epidemiorum Hippocraticorum libri III capitibus nonnullis antiquitus subscripta etiamnunc in exemplaribus feruntur: quae quum olim fuissent qui ab ipso auctore profecta censerent, ea prolixae quaestionis inter medicos Alexandrinos agitatae ansam dederunt, quum praesertim et significatio harum notarum ambigua et subobscura esset. Qua de re, a Villoisono Proleg. ad Iliad. p. XX, ubi de signis criticis agit, minime neglecta, eo aptius videtur hic paucis exponere, quo huius litis actio ad aetatem Aristarchi propius accedit. Ac litem movisse videtur Zeno Herophilius libro περὶ χαρακτήρων inscripto, teste Galeno Comm. in Hippocr. Epidem. T. XVII, 1 p. 600. 618 Kühn., illustrandis vel etiam, si necesse videretur, corrigendis istis Hippocrati vulgo tributis signis destinato, [1]) cui ad refutandum Apollonium Empiricum, qui oblocutus erat, alterum insequi iussit: quo mortuo rem singulari libello περὶ χαρακτήρων inscripto retractavit Apollonius cognomine Biblas, praeter alia Zenonis negligentiam exagitans, quippe qui melioribus Hippocratici libri exemplaribus uti aspernatus esset, a qui-

1) De hoc Zenone v. Kühn Comm. de nova Corn. Celsi editione, Lipsiae 1822. Part. II. p. 7. sq. Villois. l. l.

bus notae istae utique afuissent: easque insuper ostendens Mnemonis cuiusdam, de quo mox dicetur, interpolationi deberi. Denique exstitit Heraclides Tarentinus, qui eundem locum, praesertim ratione argumentorum a Zenone propositorum habita, pertractasse dicitur. [2]) Haec omnia Galeno accepta referimus, qui totam hanc rem caussaeque statum prolixe exposuit quidque veritati consentaneum esset ostendit, sequutus ea quae ea de re Zeuxis Tarentinus Commentariorum in Hippocratis Epidem. libro primo enarrasset, interpres scriptorum Hippocraticorum etiam alibi Galeno citatus, huius tamen aetate, ut ait idem p. 605, paene obsoletus. [3]) Convenisse iam refert Galenus interpretes tantum non omnes in repetendis istis characteribus a Mnemone quodam, qui eos exemplo Hippocratis ex bibliotheca Alexandrina sumpto temporibus Ptolemaei Euergetae apposuisset: hunc Mnemonem quum Galenus Zeuxidem sequutus natione Siditam appellat, eundem intellexerunt Zenonis adversarii, qui, Galeno narrante p. 603, Pamphilus nominaretur, ipsorum non culpa, sed librariorum veterum, ad quorum scripturam nunc vulgatur: βιβλίον-ἔχον αὐτοὺς διεσκευασμένους ὑπό τινος ἰατροῦ Παμφίλου, τὸ γένος ἐκ πόλεως Ἰνδικῆς, Κλεοφαν-

---

2) Nullus est qui apud Galenum l. l. p. 608. Heraclius Tarentinus appellatur. Legendum Ἡρακλείδου pro Ἡρακλείου. Neque alio nomine Galenus infra p. 619 advocat. De hoc Heraclida, qui a natu maiore Erythraeo distinguendus est, v. nobis disputata Diss. de loco Rufi Ephesii apud Oribasium servato p. 6. Ceterum quod Galenus priore loco iuxta Tarentinum etiam Erythraeum Heraclidam laudat, qui de signis illis Hippocraticis aliquid memoriae prodiderit, id aliquantillum certe ad aetatem eius, de qua nihil etiamnum allatum video, constituendam profuerit.

3) Cf. Sprengelii Gesch. d. Medicin T. I. p. 563: qui unde habeat, Strabonis aequalem fuisse Zeuxidem, me fugit. Galenum, qui eum antiquioribus Hippocratis interpretibus accenset T. XVI. p. 1 et 196 (ubi cum Heraclida Tarentino et Glaucia componitur) T. XVIII, 2. p. 631, si audimus, aetate multo maior debet putari.

τίου [4]) δὲ τὴν αἵρεσιν. Scriptum enim olim Παμφυλίου: quod vero genus ab urbe Indica repetunt, id errore potest esse factum confundentium Pamphyliae Siden cum cognomine lacu Indiae, commemorato a Ctesia apud Plin. H. N. XXXI, 18. Hunc iam Mnemonem narrasse nonnulli dicuntur Epidemiorum librum tertium, quem ex Alexandrina bibliotheca sibi commodatum habuisset, notis illis distinctum reposuisse: alii, librum ab ipso notatum ex Pamphylia attulisse, Ptolemaeoque librorum cuiusvis generis avidissimo cessisse, dum alii ei exemplari solum Mnemonis nomen, non adiecta ulla notarum auctoris mentione, adscriptum reperiri monerent. His de rumoribus quid sentiendum sit, Galenus denique Zeuxidis de sententia, ut credibile est, his comprehendit: Ὁ δ' οὖν Μνήμων, εἴτ' αὐτὸς ἐκόμισε τὸ βιβλίον, εἴτε λαβὼν ἐκ τῆς βιβλιοθήκης παρέγραψε, φαίνεται πράξας ἕνεκα σχηματισμοῦ [lege χρηματισμοῦ] τοῦτο· μόνον γὰρ ἐπίστασθαι λέγων ἑαυτὸν ἃ δηλοῦσιν οἱ χαρακτῆρες, μισθὸν τῆς ἐξηγήσεως αὐτῶν εἰσεπράττετο καὶ εἴπερ τοῦθ' οὕτως ἔχει, πιθανώτερόν ἐστι τὸ κατὰ τὴν βιβλιοθήκην ἀποκείμενον ὑπ' αὐτοῦ διεσκευάσθαι. Quidquid huius rei est, ex hac veterum disceptatione unum prodire videtur, quod pro vero haberi potest, Hippocratem earum notarum auctorem non fuisse, easque, ut auctorem mittamus, aetate Ptolemaei Euergetae probabiliter inventas esse. Atque prius quod posui, ipsa horum characterum ratione egregie comprobatur, quippe in quibus quarundam

---

4) Nihili est. Scribendum Κλεοφάντου. Distinguendum esse patet iam hunc Cleophantum a cognomine medico, duobus ferme saeculis iuniore, quippe cuius sententiam de Mithradatis Eupatoris antidotis Galenus laudet: quos more suo confudit Sprengelius l. l. T. I. p. 603. At quamquam apud Galenum maioris Cleophanti αἵρεσις commemoratur, tamen qui apud Cael. Aurelian. de morb. acut. II, 39 *Cleophanti sectatores* dicuntur a iuniore appellati videntur, quoniam Asclepiadem, qui illos ibi respexisse fertur, etiam alibi huius Cleophanti praeceptis usum esse ex Celso III, 14. constat. V. Harduin Indice auctor. Plin. p. 290 ed. Franz.

litterarum usus factus sit, quae ab Hippocratis aevo alienae fuerunt: ex quibus, ut alia taceam, sigla est illa qua O et Υ in unum ligatae sunt. Ex re iam esse videtur has notas cum explicationibus ipsarum apponere, a Galeno p. 611 ita exhibitas: Ἡγεῖται μὲν οὖν ἁπάντων τὸ τὴν διάμετρον γραμμὴν ἔχον πι [5]), σημαῖνον ἀεὶ τὸ πιθανόν· τελευταῖον δ' ἤτοι τὸ υ γράμμα φαίνεται γεγραμμένον ἢ τὸ θ· τὸ μὲν ὑγείαν [6]), τὸ δὲ θάνατον σημαῖνον [7]), ἔμπροσθεν δ' αὐτῶν ὁ τῶν ἡμερῶν ἀριθμὸς, ἐν αἷς ἐνόσησεν ἢ ἀπέθανεν ὁ κάμνων· οἱ δ' ἐν τῷ μεταξὺ τού-

---

5) Accuratius figuram idem supra p. 601 descripserat: τούτων τῶν χαρακτήρων ὁ πρῶτος τὸ πιθανὸν δηλοῖ, διὰ τοῦ π γράμματος γραφόμενος, μέσην ὀρθὴν ἔχοντος γραμμὴν, ἑκατέρᾳ τῶν ἄλλων παραλλήλων, οἷον ἔνιοι γράφουσι τὸ σημαῖνον τὸν τῶν ἐννεακοσίων ἀριθμόν. Ex ea forma, qua vulgo numerus extremo comparationis gratia allatus scribatur, ad pernoscendam signi Hippocratici figuram nihil efficias, ac mirandum esset si conveniret cum ea figura, quam designavit Galenus, sampi, quo illum numerum exprimere solent, quum Galenum aliam notam a vulgari diversam in mente habuisse, ex verbo ipso ἔνιοι certo prodeat. Quae vero altera illa forma fuerit ignoro. Sed mira loquacitate pluribus locis Galenus figuram signi Hippocratici iisdem paene verbis describit, p. 617. Ex quibus conficitur haec nota ╓╖ vel Π. Quippe litterae Π formae inserebatur iota, quemadmodum in similis generis siglis ΠΟ (πόδας), ΠΡ (πρὸ, *ante*) scribi solitum, v. Maffei Graec. sigl. lapidar. p. 65 et 96, et alia similia permulta. Inde aestimari potest, falso in contextu Galeni πι exhiberi, quod quidem ad litteram (πῖ), minime vero ad πιθανὸν designandum aptum fuit.

6) Cf. Galen. p. 601. Eadem potestate etiam posteriores litteram Υ usurpasse cognoscitur ex Isidori loco, de quo accurate disputavit Reinesius Var. lect. I, 7.

7) Cf. Galen. p. 601. Notum est Θ litteram ad significandam mortem alicuius titulis sepulchralibns inscriptis vel etiam defunctorum imaginibus appositam esse. V. Syllog. inscr. p. 587. Ephem. litt. Hal. 1834. Intellig. No. 69. p. 563. Arnethi K. K. Antikenkabinet, Statuen p. 40. Iahn Spec. epigr. p. 54. Omitto quaerere, an haec notandi consuetudo a charactere illo Hippocratico originem duxerit: unum hoc iuvat interim adnotare, exempla eius usus quotquot novi aetate Ptolemaei Euergetae recentiora esse omnia.

των χαρακτῆρες ἅπαντες μέν εἰσι διὰ τῶν γραμμάτων, ἃ σημαίνει τὰ στοιχεῖα τῆς φωνῆς, πλὴν τοῦ κάτωθεν ἀπεστιγμένου δέλτα, τίνα δὲ διάνοιαν ἕκαστος αὐτῶν ἔχει δηλώσω· μεμνημένων οὖν ἡμῶν ὅτι τὰ πρὸ τοῦ τελευταίου τῶν χαρακτήρων, ὑφ' οὗ θάνατον ἢ ὑγείαν ἔφαμεν δηλοῦσθαι γεγραμμένα, τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν σημαίνει, περὶ τῶν ἄλλων ὅσα μεταξὺ τούτων τε καὶ τῆς ἀρχῆς γέγραπται, ποιήσομαι τὸν λόγον. Τὸ μὲν α δηλοῖ ἀποφθορὰν, ἀπώλειαν· τὸ δὲ γ γονοειδὲς οὖρον· τὸ δ ἀπεστιγμένον, οἷάπερ ἐστὶν ἃ κάτωθεν ἔχῃ τρόπῳ τοιῷδε γεγραμμένον δ [8]) διαχωρούμενα δι' ἱδρώτων καὶ διάῤῥοιαν καὶ διαφόρησιν, καὶ συνελόντι φάναι κένωσιν ἥντιναοῦν σημαίνειν βούλονται· τὸ δὲ ε ἐποχὴν, ἕδραν· [9]) τὸ δὲ ζ ζήτημα [10]), τὸ δὲ θ θάνατον, ὡς προείρηται· τὸ δὲ ι ἱδρῶτα· τὸ δὲ κ κρίσιν ἢ κοιλιακὴν διάθεσιν· τὸ δὲ μ μανίαν ἢ μήτραν· τὸ δὲ ν νεότητα καὶ νέκρωσιν· τὸ δὲ ξ ξανθὴν χολὴν καὶ ξένον [11]) τι καὶ σπάνιον καὶ ξυσμὸν καὶ

---

8) Quae huius notae figura fuerit, perspici non potest, nisi collatis his p. 601: ὁ μὲν οὖν ἑπόμενος [χαρακτὴρ] τῷ πρώτῳ πάντων, ἐν ᾧ τὸ διὰ μέσου τὸ δ στοιχεῖόν ἐστιν ἔχον ἀπὸ μέσης τῆς κάτω γραμμῆς ἑαυτοῦ γραμμὴν ἑτέραν ὀρθὴν εἰς τὰ κάτω μέρη ἠγμένην, ὥσπερ τὸ ι γράφομεν, in quibus verba τὸ διὰ μέσου insititia esse videntur, quippe ex proxime praecedentibus male hic repetita. Ex his efficitur talis fere notae figura Δ̣, quam etiam in numeralibus deprehendimus, in quibus etiam sunt Λ̩ et Λ, notata Letronnio in Nouv. Ann. de l'inst. arch. T. I. p. 500. Ceterum fateor non satis me assequi, quo pacto conciliari queat quod in eadem re Galenus l. l. et p. 602 nomine ἀπεστιγμένου δ appellat: quae figura, si severe exigimus contextus verba, vix alia esse potest quam Δ̣.

9) V. Galen. p. 620, ubi Zenonis de sententia signa sese excipientia δ et ε ἡ τῶν διαχωρούντων ἐπίσχεσις explicantur.

10) Cf. Galen. p. 619. Idem p. 618. fuisse tradit qui *septimum diem*, de quo quidem tempore critico apud Hippocratem agitur, interpretati essent. Heraclides Tarentinus ibid. p. 619: δηλοῦν φησι τὸ ζητητέον εἶναι, διὰ τί κατὰ τὴν ζ ἡμέραν ἀπέθανε.

11) Zeno apud Gal. p. 618: τὸ δὲ ξ ξένον [lege ξένου] σημεῖον εἶναι βούλεται· ξένον δὲ τὸ γεγονέναι φησι τῷ μειρακίῳ ἐν ἀρχῇ τῆς διηγήσεως etc. Exstat Ξ subscriptum apud Hippocr. Epid. III. T. III. p. 477.

ξηρότητα· τὸ δὲ ο ὀδύνας ἢ οὖρον· ἔνιοι ὅταν ἐπικείμενον ἄνωθεν ἔχῃ τὸ υ, τότε σημαίνειν τὸ οὖρον αὐτό, γραφόμενον ὡς εἰώθασι τὸ οὕτως [an forte οὐ?] γράφειν [12])· τὸ δὲ π πλῆθος ἢ πτύελον ἢ πυρὸν ἢ πυρετὸν ἢ πνεύμονος πάθος· τὸ πι δ' ἐν αὐτῷ μέσον ἔχον τὸ ι, καθότι προείρηται, τὸ πιθανὸν δηλοῖ· τὸ δὲ ρ ῥύσιν ἢ ῥῖγος· τὸ δὲ φ φρενῖτιν ἢ φθίσιν· τὸ δὲ σ σπασμὸν ἢ στομάχου κάκωσιν· τὸ δὲ τ τόκον· τὸ δὲ υ ὑγείαν ἢ ὑποχόνδριον· τὸ δὲ χ χολὴν ἢ χολῶδες· τὸ δὲ ψ ψύξιν· τὸ δέ ω ὠμότητα.

Haec omnia quae de origine illarum notarum Hippocraticarum et de controversiis super iis agitatis enarravimus, si recordamur saeculo fere ante Aristarchum vel etiam ipso iam vivo accidisse, haud male videbimur nobis statuere, hunc in signando Homero medicorum illorum exemplum imitatum, aut certe auctoritate eorum fretum in consilio suo perficiendo confirmatum esse.

§. 20.

De notis lyricorum et dramaticorum poetarum.

Notis Hippocraticis propius ad signorum Aristarchiorum indolem et ipso Aristarcho antiquius aliud genus accedit, quo carminum et lyricorum et dramaticorum auctores Hephaestio ultimo libri de metris capite περὶ σημείων inscripto usos esse testatur. Atque quod primo loco

12) Posset nonnemo ex hoc loco, quod o pro ου, et hoc compendiose pro οὖρον, scriptum esset, de vetustatis usu cogitare, qua O pro diphthongo OY scribi solitum. Sed obstant cetera litterarum compendii loco adhibitarum exempla, quae longe recentiorem aetatem sapiunt, ut quod Galenus refert, litt. o significasse οὖρον in dubium vocandum videatur. Nihil aliud ea nota nisi ὀδύνας, aut aliud qualecunque vocabulum puram o in fronte gerens designaverit. Accedit quod voci οὖρον exprimendae aliud signum inventum fuit, videlicet ȣ, quod seriore aetate, quando duabus litteris iuxta scribendis spatium deesset, scribi coeptum, posthac in vulgarem compendii usum cessit. V. Sylloge. inscr. p. 263 et 576. Apud Hippocratem Epid. III. T. III. p. 468. in subscriptione vulgatur nota OY, quae iam quo modo scripta fuerit nunc haud ignoramus.

ponendum, ea signa a poetis ipsis de sententia ipsius apposita se putare Hephaestio eo prodit, quod non solum lyricos, comicos, tragicos simpliciter nominat, sed quod ipso δραματοποιῶν nomine eos appellat §. 4. Quod si verum esset, vel antiquissima huius moris exempla haberemus. Sed rem intentius introspicienti aliter habere apparebit. Etenim fallor, aut Hephaestio falsus fuit et eo quidem quod quae in exemplis, quibus uteretur, signa reperiret, ab ipsis ea poetis profecta crederet: quae non possunt non a musicis vel grammaticis, qui ea opera redigerent et illustrarent inventa et appicta fuisse. Quis enim serio sibi persuadeat, illo quo tradit Hephaestio modo carmina singula lyrica et dramatica carminumque partes ab auctoribus ita notis distincta esse, ut v. c. in antistrophicis lyricis strophae, antistrophae, epodi singulae, vel in comicis singulae parabaseos partes paragraphorum signis distinctae fuerint, id quod ut alia his similia permulta factum Hephaestio narrat? Quo eiusmodi notatio consilio facta sit, vix potest intelligi, nisi ad instituendos cantores, citharoedos, histriones eam adhibitam censeas, qui si docendi erant, reconditioris doctrinae auxilio sublevandi erant. Tum illud notandi genus prorsus a saeculi more abhorrebat, quo in scripto signorum, quibus auditor vel lector adiuvari potuisset, qualis interstinctio est, nullus aut exiguus usus factus est. Igitur mittamus auctores ipsos, quorum moribus illa industria utique indigna est, unice conveniens negotiosae diligentiae eorum, qui aliquot saeculis post in reliquiis veterum poetarum digerendis, recensendis, illustrandis operam navarent. Atque ita esse, vel invitus ipse prodit Hephaestio, ubi ad commonstrandum signorum usum in lyricorum carminibus exempla grammaticorum laudat p. 134: ἐπὶ δὲ τοῦ Ἀλκαίου ἰδίως, κατὰ δὲ τὴν Ἀριστοφάνειον ἔκδοσιν, ἀστερίσκος ἐπὶ ἑτερομετρίας ἐτίθετο μόνης· κατὰ δὲ τὴν νῦν τὴν Ἀρισταρχεῖον, καὶ ἐπὶ ποιηματῶν μεταβολῆς. Quae quantum ad Aristophanem comprobantur auctoritate Dionysii Hal. de comp. verb. 22. p. 312. Sch. Κῶλα δέ με δέξαι νυνὶ λέγειν, οὐχ οἷς Ἀριστοφά-

νης ἢ τῶν ἄλλων τις μετρικῶν διεκόσμησε τὰς ᾠδάς, ἀλλ' οἷς ἡ φύσις ἀξιοῖ διαιρεῖν τὸν λόγον. Neque Aristophanis operam uni Alcaeo adstrictam fuisse, sed si non aliorum lyricorum, certe quae Simonidis ferebantur carmina complexam esse, idem Dionysius testatur c. 26. p. 428: Ἐκ δὲ τῆς μελικῆς Σιμωνίδεια ταῦτα. Γέγραπται δὲ κατὰ διαστολάς, οὐχ ὧν Ἀριστοφάνης ἢ ἄλλος τις κατεσκεύασε κώλων, ἀλλ' ὧν ὁ πεζὸς λόγος ἀπαιτεῖ. At ut Archilochum et Lasum, de quibus certo pronuntiari nequit, omittam, etiam Anacreontem et Pindarum critice tractatos esse ab Aristophane constat, v. Nauckium p. 61; neque repugnaverim ex verbo ἀθετῆσαι quo Scholiasta Olymp. II, 48 in referendo Aristophanis iudicio de condemnando colo Pindarico aliquo usus est, coniecturam in signorum criticorum usum, quem Aristophanes adhibuisset, facturo. At facile concedam, adnotationibus istis metricis vel grammaticis poetas aliquatenus eo praelusisse, quod ubi ratio postulare visa esset, aliquid admonitionis per compendia signorum singulis carminum locis adiicerent quippe cantoribus vel actoribus consulturi: quem morem sequuti grammatici, quidquid antiquitus repperissent adnotatum, arripuisse, novis modis auxisse atque in systema composuisse videntur, quod in distinguendis notandisque veterum poetarum exemplaribus cum fructu adhiberent. Atque ad illud genus admonitionis, quae ab ipso auctore profecta esset, pertinuisse potest ea nota, quae παρεπιγραφῆς nomine aliquot Scholiorum Aristophanicorum locis deprehenditur. V. Graefenhan Gesch. d. klass. Philologie T. II. p. 89. Insignis locus est apud Aristotelem Rhet. III, 8, qui in expositione eorum rhythmorum qui prosae orationi conveniant, postquam genus paeonum prae ceteris designavit, principio eum, qui a longa syllaba inciperet et tribus brevibus desineret, sub finem qui brevibus tribus inciperet et longa desineret, ponendum suadet [1]), continuo

---

1) Hanc Aristotelis mentem non perspexit Vaterus quum tentaret verba νῦν μὲν οὖν χρῶνται τῷ ἑνὶ παιᾶνι καὶ ἀρχόμενοι, hoc est, uno genere

caussam his subiiciens: ἡ γὰρ βραχεῖα διὰ τὸ ἀτελὴς εἶναι ποιεῖ κολοβόν· ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαι καὶ δήλην εἶναι τὴν τελευτήν, μὴ διὰ τὸν γραφέα, μηδὲ διὰ τὴν παραγραφήν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥύθμον. Nempe ut clausula designetur, ait non sufficere hanc a scriba vel notula aliqua indicari, sed extremam syllabam longam exitum suo ipsius pondere significare debere. Quod praeceptum illustraturus Aristoteles exempla nonnulla utriusque rationis apposuit, nescio unde, ex dithyrambis opinor, adscita, [2]) quorum ad modum numeri orationis pedestris conformandi essent. Istorum iam rationem metricam quum Aristoteles dicat ita comparatam fuisse, ut carmen claudi ex ipso extremae syllabae longae cognoscatur, vel nulla apposita finis nota, sequitur in his

---

paeonum nunc utuntur, nullo discrimine principii et clausulae habito, et paeone quidem eo, qui in longam desineret, etiam initio, quum olim in clausula de more laudabili locum obtinuisset

2) Principii exemplum hoc affertur:

Δαλογενὲς εἴτε Λυκίαν,

ubi ex re erit adnotare, in codice quodam, cuius variantes penes me sunt, Λύκιε exhiberi, quod nemo non videt sententiae egregie convenire, cuius vis prorsus similis est Horatiano *sive tu mavis Erycina vocari.* Etenim hanc tenuisse veteres in invocandis diis religionem, ut metu erroris quo quisque nomine rite appellandus esset, aut nomina cumularent aut aliquo modo ignorantiam ipsi confessi diis ipsis relinquerent, quo potissimum nomine mallent appellari: unde factum ut tale quid quale ὅστις ἐστὶ vel εἴτε invocationi insererent. V. Stanl. ad Aechyli Agam. 163. Spanh. ad Callim. II. in Dian. 7. Rost Cuped. Plautinor. Ferc. VII. p. XVI. Plat. Cratyl. p. 400. E.: ὥσπερ ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστιν ἡμῖν εὔχεσθαι, οἵτινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι (οἱ θεοί). Phaedr. 130: καὶ ὁπόθεν χαίρει ὀνομαζόμενος. Adde Hymni in Attin, quem tractavit Hermanus Verhandl. d. K. Sächs. Gesellsch. T. II. p. 1, principium: Εἴτε Κρόνου γένος, εἴτε Διὸς μάκαρος, εἴτε Ῥέας μεγάλης, χαῖρε κατηφὲς ἄκρισμα Φέας, Αττι, σέ καλοῦσι μὲν Ἀσσύριοι etc. Praeterea alterum hoc exemplum ab Aristotele affertur:

Χρυσεοκόμα Ἕκατε, παῖ Διός,

ubi idem codex Ἑκάεργε, minime spernendam.

certe carminum locis veteres per me licet auctores ipsos clausulas signo indicasse. Nam quo minus v. παραγραφὴ simpliciter de termino ex re ipsa cognoscendo accipiamus, obstat quod simul τοῦ γραφέως mentio additur, ut de scripto termino dubitari nequeat. At illud ut ita habeat, tamen nihil ex eo colligitur, quod sententiam propositam subvertat. Primum enim unius solius notae mentio fit: deinde an constans eius apponendae consuetudo fuerit, incertum: tum ipsum paragraphae nomen ostendit, diversam hanc notandi rationem ab ea quam Hephaestio tradit fuisse, quandoquidem apud hunc παράγραφος appellatur, cuius insuper eodem teste Hephaestione in lyricorum poematis alia usus ratio fuit: adde quod ad notandam clausulam in eo systemate, quod refert Hephaestio, non paragraphe neque paragraphus, sed coronis adhibita fuit. Igitur moris quidem fuisse poetis antiquis concedamus, ipsorum carminum partes, si non solas clausulas, notis distinguere; is tamen imperfectus fuit et arbitrarius, minime vero talis, qualem posteri grammatici in normae constantis regulam coegerunt, ab Hephaestione traditam.

Iam si illas notas ex scholis grammaticorum cummaxime prodisse recte conclusi, ex Aristotelis praesertim loco, quem modo citavi, simul hoc apparet certo, iam ante Aristarchum fuisse qui scripta veterum notandi usum instituissent et similiter atque id posthac enucleatius factum; rexissent, insuper et signis tantum non omnibus iisdem usi, quibus posthac Aristarchus usus est. De Aristophane infra videbimus. Pergo ad enarrationem eorum signorum, quibus exempla lyricorum et dramaticorum distincta reperiri Hephaestio tradidit.

1) — ἡ παράγραφος, a lyricis in monostrophicis cuique strophae, in antistrophicis cuique strophae et antistrophae, ad discernenda paria imparia, subscripta. A dramaticis, ad significandos personarum alternatim confabulantium sermones, tum in genere iambico, tum in chori vicissitudinibus strophicis (κατὰ πρόσωπα ἀμοιβαῖα, ἔν τε τοῖς ἰαμβικοῖς

καὶ τοῖς χορικοῖς, μεταξύ τῆς τε στροφῆς καὶ ἀντιστρόφου, ἐν τοῖς κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους γεγραμμένοις ἀναπαιστικοῖς ἐφ' ἑκάστου περιορισμοῦ, (quod genus adnotatur in Schol. Eurip. Hec. 59. Phoen. 202.) Cf. Schol. Aristoph. Plut. 253, ubi ipse Hephaestio laudatur. [3]) Eiusdem signi et usus fit ad notandam diversorum versuum vel colorum intra ipsam stropham ab altera exceptam rationem; tum ad discernendas singulas parabaseos partes ab Heph. p. 131. sq. enumeratas (τῆς δὲ παραβάσεως μερῶν ὄντων ἑπτά, ἐπὶ ἓν ἕκαστον τῶν ἀπολελυμένων τριῶν τίθεται ἡ παράγραφος, τοῦ κομματίου καὶ τῆς παραβάσεως καὶ τοῦ μακροῦ· οὐδὲν ἧττον δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ μέλους καὶ τοῦ ἐπιῤῥήματος, ἂν μηδὲν ἀνταποδιδῶται); denique in alternatione iambicorum et stropharum sese excipientium cuique strophae paragraphus adscripta traditur.

2) ⸎ ἡ κορωνίς, a lyricis vel carminum monostrophicorum sub finem, vel in antistrophicis epodo subiecta. A dramaticis trifariam, vel ubi histrionum sermones chorus excipit, vel vice versa, vel denique in transitu ab uno loco scenae ad alterum (ἤτοι ὅταν, τῶν ὑποκριτῶν εἰπόντων τινὰ καὶ ἀπαλλαγέντων, καταλείπηται ὁ χόρος· [4]) ἢ ἔμπαλιν· ἢ ὅταν μετάβασις ἀπὸ τόπου εἰς τόπον γίνεσθαι δοκῇ τῆς σκηνῆς).

3) ⋇ ὁ ἀστερίσκος carminis finem indicat, insequente carmine praesertim ἑτερομέτρῳ, quod cummaxime in monostrophicis locum habet.

4) < [5]) ἡ διπλῆ ἡ ἔξω βλέπουσα, sive νενευκυῖα, in lyricis rara, tragicis et comicis frequentata, ad significandam

---

3) In verbis Hephaestionis p. 134: Τῇ δὲ παραγράφῳ, ἤτοι κατὰ πρόσωπα etc. omittitur a Phavorino, qui locum v. κορωνίδι exscripsit, ἤτοι, recte.

4) Cf. Schol. Aristoph. Plut 253, qui totum hunc locum laudato fonte suo excerpsit.

5) Ex cod. Veneto totum hoc Hephaestionis caput continente, quo usus est, Villoisonus Proleg. ad Iliad. p. LIX eam huius et alterius diplae figuram enotavit, quam codex Rom. supra descriptus in dipla ἀπεριστίκτῳ obtulit.

metri commutationem (μεταβολικῶς τὸ ᾆσμα γεγράφθαι [6])) apposita: tum proprie a dramaticis in diversitate versuum vel colorum intra stropham ab altera stropha exceptam: tum a ab iisdem in parabasi antepirrhemati ad significandam eiusdem metri repetitionem adiecta fuit.

5) > ἡ διπλῆ ἡ ἔσω βλέπουσα, sive νενευκυῖα, solis dramaticis propria videtur, ad indicandum diversorum versuum sive colorum intra ipsam stropham ab antistropha exceptam discrimen adhibita; tum in parabasi epirrhemati, si huic et odae (μέλει) respondeant antepirrhema et antistropha, adiecta. Utriusque denique diplae usus in alternatione iambicorum et stropharum inter se mixtorum, de quo Hephaestio p. 135: ἐν δὲ ταῖς προτέραις στροφαῖς, ἐπὶ τοῦ τελευταίου κώλου δύο τίθενται διπλαῖ· ἡ μὲν κατ᾽ ἀρχὰς ἔξω βλέπουσα· ἡ δὲ κατὰ τὸ τέλος ἔσω νενευκυῖα· δηλούντων ἡμῶν διὰ τῆς ἔσω βλεπούσης ὅτι ἀνταποδίδοταί τινα αὐτοῖς· ἐν δὲ τοῖς ἀνταποδιδομένοις, πάλιν ἐφ᾽ ἑκάστης στροφῆς, παράγραφος· ἐπὶ δὲ τοῦ τελευταίου κώλου, δύο διπλαῖ· ἡ μὲν κατ᾽ ἀρχάς, ἡ δὲ κατὰ τὸ τέλος· ἀμφότεραι μέντοι ἔξω νενευκυῖαι· διὰ τούτων δηλούντων ἡμῶν ὅτι ἀνταποδίδοται. Quae verba vereor ut omni parte integra sint.

Adiiciam quae sub finem capitis in cod. Veneti margine leguntur, a Gaisfordio omissa: Αἱ συγκείμεναι ἐκ τῆς παραγράφου καὶ τῶν διπλῶν τῆς ἔξω νενευκυίας καὶ τῆς ἔσω

>· —   —· <

>· <   >· >

Habemus hic utramque diplam cum paragrapho, quae signorum iunctura prorsus cum usu eorum criticorum convenit, qui ducibus Aristophane et Aristarcho dramata Graeca distinxerunt: de quo infra passim dicendum erit. De altera signi forma, quae subiicitur, h. e. de dipla geminata nihil me in promptu habere fateor quod ad eius usum illustrandum conferat.

---

6) Quid sit μεταβολὴ rhythmorum ostendit Aristides Quint. de mus. I. p. 42. Cf. eundem II. p. 159.

Tantum de signis quinque, quae Hephaestio enumeravit et illustravit. Sed notandum, illis initio capitis simpliciter nominatis Hephaestionem subiecisse καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον; tum §. 2 initio legi haec: Τούτοις τοῖς σημείοις τοῖς προειρημένοις, πλὴν τοῦ ἀστερίσκου, καὶ ἑτέροις τισί, περὶ ὧν λέξομεν, ἐν τοῖς δράμασι χρώμεθα. Ergo quinque illis plura Hephaestio non modo novit, sed enarrare in animo habuit. Hoc quum nullibi factum sit, nascitur suspicio ne quod nunc usurpamus enchiridion mutilum sit, sive ab ipso auctore non perfectum, sive casu iniquo truncatum. Illud vero propterea haud credibile est, quod si imperfectum auctor reliquisset, tot interpretes atque expilatores nactum non esset, qui eo tamquam principali metricae fundamento usi sunt variisque modis tractarunt. Nolo quidquam tribuere subscriptioni apospasmatii in cod. Veneto, quem Villoisonus excussit, repertae: ἐτελειώθη τὸ τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐγχειρίδιον, quoniam ea ad laborem scribae insumptum solum spectare potest. At, ut paucis dicam, quae persequi huius loci non est, aliud operis exemplum novisse veteres, colligitur tum ex scripturae discrepantia quadam antiquitus tradita, quae ex librariorum erroribus sive halucinationibus repeti non potest, 7) tum ex eo quod unus saltim locus a Longino citatus reperitur, qui in contextu nunc vulgato desideratur, monstratus ab Eggero ad Long. p. 144: Περὶ δὲ ὅρων μέτρου νῦν εἰπεῖν οὐκ ἀναγκαῖον· αὐτὸς γὰρ ὁ Ἡφαιστίων αἰτιᾶται τὸν Ἡλιόδωρον, ὅτι τοῖς ἐπαρχομένοις γράφει· τοῖς γὰρ ἀπείροις καὶ τοῖς μήπω τῆς μετροποιΐας γεγευσμένοις ἀδύνατον νοῆσαι τὸν ὅρον: quae alio loco quam in praefatione aliqua, operi praemissa, nunc deperdita, vix posita esse possunt. Ex eadem etiam sunt, quae continuo sequuntur: Ἐπιγέγραπται δὲ Ἐγχειρίδιον, οὐχ ὥς τινες ᾠήθησαν

7) Insigne exemplum est ipsum operis initium, quod Longinus MS., teste Eggero p. 71, plenius ita praestat: Βραχεῖά ἐστι συλλαβὴ ἡ ἔχουσα βραχὺ φωνῆεν ἢ βραχυνόμενον, μὴ ἐπὶ τέλους λέξεως, οὕτως ὡς μεταξὺ αὐτῆς καὶ τοῦ ἐν τῇ ἑξῆς συλλαβῇ φωνήεντος μὴ ὑπάρχειν σύμφωνα πλείονα ἑνὸς ἁπλοῦ, ἀλλ' ἤτοι ἓν ἢ μηδὲ ἕν.

διὰ τὸ ξίφος, [8]) καὶ διὰ τὸ ὀξύνειν τῶν μετιόντων τὰς ψυχάς, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐν χερσὶν ἔχειν τοὺς βουλομένους τὰ κεφάλαια τῶν μετρικῶν παραγγελμάτων. Ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, Ἡλιόδωρος τοῦ Ἐγχειριδίου ἀρχόμενος οὕτω λέγει· „Τοῖς βουλομένοις ἐν χερσὶν ἔχειν τὰ κεφαλαιωδέστερα τῆς μετρικῆς γέγραπται τὸ βιβλίον τοῦτο." Nullum enim dubium, quin pro Ἡλιόδωρος reponendum sit Ἡφαιστίων.

Ut ad notas illas revertar, quum dixi non tam antiquas eas fuisse, quam ipsae esse simulent, verbo monendum, eam sententiam minime eo infringi, quod ea signa, quae ad designandos sonos eorumque intervalla inventa sunt, novitio nomine *notarum* hodie vocata, satis antiqua tempora, quibus etiamtum ipsa ars lyrica floreret, attingere constat: quas notas parasemanticas, quum ab aliis descriptas, tum peculiari libello ab Alypio illustratas, [9]) Aristoxeni aetatem longe superare, ipse prodidit Elem. harm. p. 39. Cf. Boeckh. De metr. Pind. III, 9. p. 424 sq. Ut enim eae cum ipsa paene arte musica natae, ita ab illo signationis genere prorsus abludunt.

§. 21.

De notis Platonicis et de signo X in dramatis Graecorum notandis adhibito.

Tertium est notarum genus Aristarchio omnium simillimum pariterque Aristarcho antiquius, quo usi sunt in adnotandis Platonis scriptis, apud unum Diog. Laert. III, 65 sq. commemoratum: qui enarratis singulis signis, quae Platonis scriptis adscripta essent, expositaque singulorum quorumque vi et potestate, subiunxit: τὰ μὲν σημεῖα ταῦτα καὶ τὰ βιβλία τοσαῦτα· ἅπερ, Ἀντίγονός φησιν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος, νεωστὶ ἐκδοθέντα εἴ τις ἤθελε διαγνῶναι, [10]) μισθὸν ἐτέλει τοῖς κεκτημένοις. Sic recte nunc vulgatur,

8) Cf. Simplic. in Epictetum T. IV. p. 6 sq. ed. Schweigh.

9) V. Bellermann Hymnen des Dionysius und Mesomedes.

10) Haeserunt in hac voce sine caussa idonea. Est idem quod *pernoscere*, ut apud Galenum T. XVII, 1. p. 605.

Harum notarum, quarum rationes perfunctorie Leopardus Emend. XIX, 5, diligentius Menagius ad Diogenem exposuerunt, significatio plana neque dubia singularum ipsa figura, ex iis quae adhuc disputavimus et infra disputabimus, facile divinanda [1]) praeter unum ╳, binis formis obvium, quarum posterior non potest non hunc fere in modum figurata fuisse ⋇, prorsus ad eandem rationem qua antisigma περιεστιγμένον exhibitum est: si enim cuique angulo punctum insertum esse diceremus, eadem figura cum asterisco, quem una in Platone adhibitum novimus, fuisset. Eustathius ad Iliad. ε, 733. p. 599 de asterisco: ὅς ἐστιν ἀστέρος σημεῖον χιαστόν, ἔχων ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις στιγμάς, οὕτω ⋇. Idem ad Odyss. ι, 250. p. 1627: ἔστι δὲ τὸ σημεῖον τοῦ ἀστερίσκου, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ ἐῤῥέθη, διὰ τοῦ χ στοιχείου, τετραχῇ στιζομένου κατὰ τὴν τῶν γραμμάτων [γραμμῶν?] ἐπίζευξιν, οὕτω ⋇. Ex his simul apparet, nihili esse quam unus, quantum sciam, sibi finxit eius notae figuram Gräfenhanius Gesch. d. klass. Philologie T. II. p. 96 ╳̣, quae nullo pacto nomine περιεστιγμένου appellari potuit. Punctati vero ╳ usus sero invaluit (v. §. 70), neque omnino quo modo eius notae potestas ex littera prodeat mihi quidem liquet, ut quum

1) Unum obelum περιεστιγμένον verbo hic tangam. Huius quum aliam figuram vix esse potuisse comparatio antisigma et diplae punctatae ostendat quam ÷, mirum debet videri quod id signum inter Aristarchia non reperitur, nec ab ullo posteriorum criticorum in ullo notandi genere ante Origenem in usum receptum deprehenditur, ut ratione notationis Aristarchiae in scholis grammaticorum regnante statuendum sit usu vulgari excidisse, sero demum in vitam ab Origene revocatum huiusque auctoritate restauratum esse. Ceterum de potestate, qua is obelus Platonicis scriptis adhibitus fuerit, non laborandum, quandoquidem Diogenis verba πρὸς τὰς εἰκαίους ἀθετήσεις recte interpretes dudum his expresserunt „ad ea quae temere improbantur.“ Quod monendum erat adversus Presselium Beytr. zu Schneiders Gr. Wörterb. p. 67 sq., hunc locum corrigendo εἰκαίου vel εἰκαίων frustra tentantem: nam quo praeterea Presselius offendit, quod εἰκαῖος genere feminino dictum sit, eo nos quidem non offendimus.

praesertim eius signi, quod ex litteri chi et rho conflatum ab Isidoro I, 20, 22 et Anecd. Paris. *chresimon* explicatur, meminissem, paene abductus essem ad Casauboni et Menagii sententiam, et Presselio l. l. p. 102 et Graefenhanio l. l. probatam, qui punctato × eandem τοῦ χρησίμου sive χρηστοῦ vim tribuerent, donec meliora ex Scholiis in Euripidem edoctus sum, Orest. 81: Ἑλένη] πρὸς πάσας τὰς ὕβρεις ἀντικεῖται τὸ Ἑλένη, ὅθεν καὶ χιάζεται ὁ στίχος· σεσημείωται γὰρ τό ὄνομα τῆς Ἑλένης· αἰνίττεται δὲ, ὅτι πονηρῶς κερτομεῖ πυνθανομένη περὶ ὧν παροῦσα ὁρᾷ, ubi quum cod. Flor. 33 speciose στίζεται offerat, illud egregie nunc confirmatum est codice Vaticano Scholiorum a Cobeto p. 259 excusso. Addendus est Schol. Sophocl. Philoct. 201: εὔστομ' ἔχε παῖ] εἰώθασιν οὕτω λέγειν ἀντὶ τοῦ σιώπα· τὸ δὲ τοιοῦτον κεχίασται, ὅτι Ἑλλάνικός ποτε ἀναγινώσκων τὸ Ἡροδότου [II, 171, ubi v. Wess.] ἔλεγε, „περί δὲ τῶνδέ μοι εὔστομα κείσθω," οὐ διαιρῶν εἰς δύο λέξεις, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἴποι, ταῦτα εὔστομα. Habemus igitur verbum χιάζεσθαι ab ipsa signi figura appellatum, [2]) potestate licet varia, ad ipsum genus scriptoris accommodata. De figurae ratione et origine mihi quidem ita statuendum videtur, × quum scriberetur, non litteram significatam esse, sed signum quodlibet, duabus ex lineis decussatis confictum, unde figura prodiret, litterae X similis: quo factum ut ipso eius litterae nomine quamvis improprie appellaretur. Neque proprie et primitus aliam vim habuisse videtur quam designandi vel notandi aliquidcunque notatu dignum, simillimam potestati Aristarchiae diplae. Prorsus autem improbanda sententia Sixti Senensis Bibl. sanctae III. p. 257, × interpretantis *characterem*, tum ××, quam notam ex Diogenis × περιεστιγμένῳ falso finxit, *characterem duplicatum*. Apponam iam ut in re parum adhuc perspecta, et a Leopardo Emend. XIX, 5 obiter tractata, quae investigare contigit exempla eius signi omnia, quibus collatis duplex usus ratio cognoscitur, una, qua significatur,

2) V. Gräfenhan T. II. p. 95.

a scriptore aliquid positum esse, quod aut minus apte dictum videatur, ex quo genere sunt loci supra allati, aut propter rei vel dicti singularitatem offendat: altera, qua athetesis versuum notatur.

Ad prius genus referendi hi loci sunt: Schol. Cobeti ad Eurip. Hec. 3: τό χ̄ ὅτι ἴδιον Κισσέως τὴν Ἑκάβην, Ὁμήρου Δύμαντος αὐτὴν εἰρηκότος·

αὐτοκασίγνητος Ἑκάβης, υἱὸς δὲ Δύμαντος,

ubi editor: „Iliad. Π, 718. ad quem locum Aristonicus ex Aristarcho annotavit: ἡ διπλῆ ὅτι Ὅμηρος τὴν Ἑκάβην Δύμαντος, ὁ δὲ Εὐριπίδης Κισσέως." Habemus igitur perantiquae notationis exemplum, quale etiam sequens est. — Idem vs. 4: ὅς μ' ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν] τὸ χ̄ ὅτι οἱ νεώτεροι συγχέουσι Φρυγίαν καὶ Τροίαν, Ὅμηρος δὲ διαιρεῖ. Cobetus p. 253: „Aristonicus ad Iliad. B, 862. ἡ διπλῆ ὅτι οἱ νεώτεροι τὴν Τροίαν καὶ τὴν Φρυγίαν τὴν αὐτὴν λέγουσιν, ὁ δὲ Ὅμηρος οὐχ οὕτως. Idem ad Γ, 184. ἡ διπλῆ ὅτι διαφέρει ἡ Φρυγία τῆς Τροίας καθ' Ὅμηρον, οἱ δὲ νεώτεροι συγχέουσι. Vide eundem ad Π, 719. Σ, 291." Vides quo studio critici antiqui si qua esset ab Homerica doctrina differentia eam notarint, cuius industriae alia exempla infra producemus; quare non dubito, quin × nota etiam aliis eiusdem generis locis Euripideis olim adscripta fuerit, quibus incuria temporum, quum praesertim ea in margine adscribi solita sit, ut mox videbimus, detrimentum ceperit, veluti ad vs. 240 ἔγνω δέ σ' Ἑλένη, ubi Scholia: ἀπίθανον τὸ πλάσμα καὶ οὐχ Ὁμηρικόν· [3]) οὐ γὰρ ἂν ἐσίγησεν Ἑκάβη, πολέμιον θεασαμένη κατοπτεύοντα τὰ κατὰ τοὺς Τρῶας πράγματα, ἡ δὲ Ἑλένη εἰκότως. — Idem vs. 320: πρεσβῦται] τὸ χ̄ πρὸς τὴν συγκοπήν, πρεσβύτεραι γὰρ ἔδει εἰπεῖν, σοῦ οὐδὲν ἧσσον ἄθλιαι. Haec explicatius in Scholiis vulgatis leguntur, sed omisso notae indicio. — Alcest. 773: ποτῆρα] ὅτι ἀρσενικῶς εἴρηται. ἄλλως. διὸ τὸ χ. λέγεται δὲ καὶ ποτήριον ἀρσενικὸν οὐδαμῶς, ὑποκοριστικὸν δέ. ἐξηγήσατο δὲ τί ἐστι κισσύβιον, εἰπὼν

---

3) Cod. Ὅμηρος. Quidni lenius scribamus Ὁμήρου? nisi praestat servata Codicis lectione οὕτως post οὐχ omissum putare.

ποτῆρα κίσσινον. Hinc profecerunt Scholia vulgata. — Androm. 594: τὸν σὸν λιποῦσα φίλιον] τὸ χ ὅτι φίλιον ἢ λείπει τὸ Δία, ἵν' ᾖ φίλιον Δία. — Idem vs. 911: πῶς οὖν τάδ'] τὸ χ ὅτι εἰς παροιμίαν ὁ στίχος μετήχθη, εἴ τις ἀντιλέξειεν, quae verba potius ad vs. seq. referenda esse, admonuit Cobetus. — Rhes. 239: Ἀχαιὸν Ἄρη] ὅτι θηλυκῶς Ὅμηρος Ξάνθον καὶ Βαλίον καὶ Ποσειδῶν ἔπορεν αὐτούς· διὸ τὸ χ. Haec pertinere ad vs. 187 adnotavit editor. Rursus igitur nota X adscripta propter dissensum ab Homero, ut supra. — Idem vs. 112: ψαφαροχροῦν] τὸ χ ὅτι φαλακρὸν αὐτόν φησιν. Nimirum quod dissentit ab Homero in Ulysse describendo. — Schol. Sophocl. Antig. 727: ὁρᾷ τάδ' ὡς εἴρηκας] τὸ χ, ὅτι αὐστηρῶς [Laur. αὐστηρότερον] προσηνέχθη τῷ πατρί. — Idem vs. 733: εἴπερ γυνὴ σύ] πάλιν δὲ τὸ χ, διὰ τὸ αὐστηρόν. — Idem v. 1160: πότερα πατρῴας] τὸ χ, ὅτι ἐρωτᾷ πότερα πατρῴας ἢ πρὸς οἰκείας χερός, ἀκούσας ἤδη, ὅτι αὐτόχειρ ἀπέθανεν. — Trach. 403: οὗτος βλέφ' ὧδε] ... τὸ δὲ χ, ὅτι τὸ ὧδε τοπικόν. — Aiac. 951: ἴσως τοι κεῖ βλέποντα] καὶ νῦν βλέποντα εἶπεν ἀντὶ τοῦ ζῶντα· διὸ τὸ χ πρόσκειται. — Philoct. 415: Σισύφου Λαερτίου] ... τὸ χ δὲ, ὅτι πάλιν Λαερτίου κτητικόν, ἀντὶ πρωτοτύπου Λαέρτου. Ex quo loco simul patet etiam supra vs. 366, ubi nunc vulgatur ὁ Λαέρτου γόνος, in antiquis exemplaribus lectum esse ὁ Λαρτίου γόνος, quod si reiectum fuit ab editoribus, quod ea lectio a Triclinio praebita, ab hoc ipso ficta esse videretur, tantum abest ut ea posthabenda sit, ut si antiquitatis fides spectanda est, unice probanda videatur. — Oed. Col. 25: Ἐμπόρων δὲ ἀντὶ τοῦ ὁδοιπόρων· Διὸ τὸ χ. — Idem vs. 43: νιν] ἀντὶ τοῦ αὐτάς· διὸ τὸ χ. — Idem vs. 365: τὸν πρόσθε γεννηθέντα Πολυνείκη] το χ παράκειται, ὅτι πρεσβύτερόν φησι τὸν Πολυνείκη. Quem scilicet, Elmsleii sunt verba, τὸν νεώτερον appellat Euripides Phoen. 71, ubi v. Schol. — Idem vs. 1487: Ποσειδαωνίῳ] Ποσειδῶνι· διὸ κεῖται τὸ χ. Ἄλλως. Ποσειδαωνίῳ ἀντὶ τοῦ Ποσειδῶνος ἐστὶν ἐναλίου θεοῦ· ὁ δὲ ἑτέρως ἐσχημάτισε κτητικώτερόν πως. διὸ κεῖται τὸ χ. — Vs. 1731: σφῶιν] κακῶς ἡ ἀντωνυμία· διὸ τὸ χ.

Ex Sopholeorum locorum primo et aliquatenus ex altero apparet, quod per se probabile est, id revera factum putari, videlicet notam illam in exemplis iis, quibus scholiastae usi essent, versibus quibusque, opinor in margine, adpictam fuisse: quod alius Scholiorum Eurip. locus mox commemorandus extra omnem dubitationem ponit.

Schol. Aristoph. Av. 76; ἀφύας] ὅτι πληθυντικῶς λέγουσι τὸ ἀφύας. 'Αρίσταρχος δὲ οὐκ ἀποδέχεται πληθυντικῶς. διὸ τὸ χ̄. — Idem vs. 304: τίς γλαῦκ' 'Αθήναζε] τὸ χ̄, ὅτι ἤλλαξε τὸ τοπικόν· ἔδει γὰρ ἐξ 'Αθηνῶν, οὐκ εἰς 'Αθήνας εἰπεῖν. — Idem Nub. 518: ὦ θεώμενοι] ἐχρῆν δὲ τὴν λέξιν ὑπὸ τοῦ χ̄ σημειοῦσθαι· ἐχρήσατο γὰρ μετοχῇ ἀντὶ ὀνόματος. — Idem ad 562: εὖ φρονεῖν] παρ' ὑπόνοιαν· δεὸν γὰρ εἰπεῖν, ἐλεύσεσθε, ἐπήνεγκεν, ὅτι φρόνιμοι δόξετε εἶναι καὶ εὔνομοι, καὶ εὖ φρονοῦντές μοι· διὸ ἐπισημειοῦσθαι τὴν λέξιν ἔδει τὸ χ, ubi anti τὸ χ excidit διά. — Idem ad vs. 819: Δία] τοῦ δὲ Δία τὸ α ἐκτείνεσθαί φησι Σύμμαχος 'Αττικῶς· ἐνδεῖ δὲ τοῦ χ. — Idem vs. 959: κωμήτας] χ̄, ὅτι κωμήτας τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἀμφόδου καὶ τόπου ἔλεγεν.

Schol. Aeschyli Sept. adv. Theb. 79: σρατόπεδον] τὸ δὲ χ̄ πρὸς τὴν διαφορὰν τοῦ στρατοῦ καὶ τοῦ στρατοπέδου· στρατόπεδον γὰρ καλεῖται τὸ ἐνδιαίτημα τοῦ στρατοῦ. — Choeph. 529: ἀνδρὸς ὄψανον] ῎Οψανον, ὄψις, φαντασία. Τὸ χ̄ δὲ, ὅτι ἀπὸ ὄψεως παρήγαγε τὸ ὄψανον, τὸ ἐκ τοῦ ἀνδρὸς 'Αγαμέμνονος φάντασμα. — Prom. 9: σφε] τὸ χ̄ διὰ τὸ σφέ.

His positis, praesertim loco Orest. 81 supra laudato quo modo χιάζεσθαι et σεσημείωται eadem potestate iuxta ponantur recordanti, non potest dubium esse, quin nota illa olim iis quoque locis apposita fuerit, quibus in Scholiis offensio nunc sola formula σεσημείωται indicatur, veluti Schol. Cobeti Androm. 607: τρωθεὶς] σεσημείωται ὅτι τρωθεὶς εἶπεν, οὐ βληθείς· καὶ γὰρ ἐβλήθη ὑπὸ τοῦ Πανθάρου· διαφέρει δὲ τὸ βληθῆναι τοῦ τρωθῆναι. ῞Ομηρος·

βέβληται μὲν ὁ Τυδείδης κρατερὸς Διομήδης,
οὔτασται δ' 'Οδυσεύς.

῎Αλλως· παρὰ τὴν ἱστορίαν· βέβληται γὰρ ὑπὸ Πανδάρου, οὐ

τέτρωται· εἰ μὴ ἄρα ὅτι ηὐτέλιζον τὰ τοξεύματα οἱ παλαιοί· διὸ οὐ λαμπρά γε ταῦτα ἐχόντων οὐδὲ ἐμνήσθη. Quo loco nota illud παρὰ τὴν ἱστορίαν, quod eadem potestate recurrit in iisdem Scholiis Androm. 108. 224 et Rhes. 504 quodque pariter signi olim in margine appositi, nunc oblitterati vel deperditi index esse videtur. Praeterea eiusdem potestatis v. σεσημείωται exempla suppeditant Scholia Cobeti Hec. 365. 1255. Alcest. 785: item σημειωτέον Hec. 285.

Ad alterum genus spectant hi loci. Schol. Cobet. Euripidis Rhes. 41: χ πυραίδει στρατὸς Ἀργόλαος] τὸ χ ὅτι συνθέτως ἀναγινώσκεται καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν Εὐριπίδου ὁ στίχος. Qui locus unicus quidem, sed in rem gravissimus, quod in superioribus suspicati sumus, verissimum esse ostendit, notam X ubi criticis visum, in versus ora praefixam fuisse: cui notae explicandae tum vel ab ipso, qui adscripsit, vel a critico subsequente in commentariis scholion adiectum fuerit. Noli autem mirari, praeter locum supra positum alium non reperiri, quo ad spurium versum notandum illud signum indubie adhibitum sit: etiam in iis signi exemplis, quae supra excitavimus, vereor ne qua sint, ubi signum ad notandam athetesin adhibitum fuerit. Etenim si ex loco supra scripto apparet, littera X etiam eos locos signatos fuisse, qui in spuriis referendi viderentur, iis locis, ubi nunc notae illius mentio desideratur, probabile est casu potius factum esse ut qui antiqua exemplaria commentariaque excerpserit, de nota adiecta nihil traderet, inutile id ratus, quum de conditione loci quae notanda essent alia licet ratione adnotaret. Cuius generis fuisse videntur Soph. Aiac. 832, ubi quod in vulgatis pro φησιν requirebatur φασιν, id Flor. obtulit. Antig. 46. Oed. Col. 237. Atque revera hanc vim condemnandi notae X inhaesisse, inde colligitur, quod ea Athenienses non solum in scriptis ad vitia designanda. sed etiam in nummis spuriis notandis usi sunt, si quidem fides penes Eustathium est, ad Odyss. γ, 170. p. 1462, et notae huius et v. κίβδηλος nomina ex uno fonte ducentem: ὅτι δὲ καὶ τὸ κίβδηλον ἀπὸ Χίας ἱστορίας

εἴληπται, ὡς οἱονεὶ χίβδηλον, οἱ ἐτυμολόγοι δηλοῦσιν· ἦν μὲν γὰρ καιρὸς ὅτε Ἀθηναῖοι προσεῖχον τοῖς Χίοις, ὥστε καὶ θύοντες ηὔχοντο ἀγαθὰ γενέσθαι αὐτοῖς καὶ τοῖς Χίοις· ἔπεσε δέ ποτε αὐτοῖς καὶ ἄλλως τὰ τῆς τύχης, καὶ ἐμισοῦντο ὑπὸ Ἀθηναίων οἱ Χῖοι· ὅτε καὶ τοῦ χαράγματος ὅσον ἀχρεῖον ἦν ἐν Ἀθήναις, χιάζοντες οἱ πολῖται τουτέστι τὸ χ̄ στοιχεῖον ἐντυπούμενοι ἐσημειοῦντο οὕτως τοῦ κέρματος φαυλότητα, αἰνιττόμενοι ὡς οὕτως ἀποβάλλονται καὶ τοὺς Χίους ὧν κατάρχει τὸ χ̄· καὶ ὠνομάζετο τὸ τοιοῦτον νόμισμα κίβδηλον Ἰωνικώτερον, ὡς οἱονεὶ χίδηλον, ὃ ἐστι δηλούμενον διὰ τοῦ χ̄, πλεονάσαντος τοῦ βῆτα, διὰ φωνῆς ὄγκον. Ut quae de Chia origine huius characteris nummis spuriis impressi referuntur in somniis referamus, tamen de re ipsa, quam Eustathius de nummis isto modo signatis refert, non video cur dubitandum sit, quamquam nullus Atheniensium nummus eam speciem prae se ferens, quantum sciam, adhuc lucem vidit.

§. 22.

De Leagora.

Expositis his tribus notarum generibus, Aristarchum, ad quem revertor, iam patet minime primum fuisse, qui scriptis veterum signa apponendi usum regulamque invenerit; immo in schola grammaticorum Alexandrina ne primus quidem fuit, qui usum illum iamiam inventum ad criticam scriptis antiquorum adhibendam traduxerit: quam operis laudem ipsi praeripuerunt Zenodotus et Aristophanes. De quibus anteaquam dicam, verbo memoria eius repetenda est, qui in toto hoc argumento ac praesertim in ipso Homero ceteris omnibus, quos novimus, adnotatoribus facem praetulisse videatur, Leogorae Syracusani, de quo Isidorus Orig. I, 20, 14: „> *Diple* περί στιγμήν. [1]) Hanc

1) Haud melius hoc quod in novissima editione fertur, quam quod olim legebatur *diple* πλεκτική vel περιϊστική, quae exagitare haud amplius opus est, quum ἀπερίστικτος reponendum esse nunc ex Anecd. Paris. doceamur, firmatum et ipsum quorundam codd. lectione, *peristicon*, cel *perinsticon* exhibentium. Illud vero

primus Leogoras Syracusanus apposuit Homericis versibus ad separationem Olympi a coelo;" multo vero nunc accuratius Anecd. Paris. p. 86: "> Diplen aperistikton primus Leagoras Syracusanus apposuit Homericis versibus ad separationem Olympi a coelo, proprie Olympum ab eo pro monte positum adnotans, nusquam pro [2]) coelo, quod saepe οὐρανὸν εὐρὺν dicat et μακρὸν Ὄλυμπον, neque e contrario permutat. Ponebat autem tam ad montis significationem quam ad coeli: utrumque manifestatur voluntas eius." Ac revera Iliad. ϑ, 19, aliisque locis multis, qui peti possunt ex Lehrsio Aristarch. p. 167, de coelo vel de Olympo agentibus, diplam adscriptam fuisse Scholia testantur, quam qui adscripsit, Aristarchus, ut opinor, Leagorae exemplum sequutus videtur, discedens ut in aliis, ita etiam in hac re a Zenodoto, de differentia coeli et Olympi parum sollicito, ut colligitur ex Schol. A. γ, 364: οὐρανὸν εὐρὺν] ἡ διπλῆ περιεστιγμένη ὅτι Ζηνόδοτος γράφει αἰπύν· αἰπὺ δὲ ὄρος ἂν λέγοιτο, ὁ δὲ οὐρανὸς εὐρύς· παρήκει γὰρ τῇ γῇ. Cum quo loco conferas Lehrsium p. 168. Leagoras, quam nominis formam Syracusanorum dialecto convenire magis puto quam *Leogorae,* quae Atticorum est [3]), scriptor aliunde non notus, quem delitescere suspicatur Nauckius Aristoph. Gramm. p. 16 in Schol. Iliad. ε, 6, ubi laudatur Κλέανδρος ὁ Συρακούσιος ἐν τῷ περί ὁρίζοντος, temere, si vel solam nominis mutationem spectas, falso vero, si rem. Nam de Oceano ibi, terram termini modo cingente, agitur, quod apte tractatum fuit in libro de horizonte: prorsus diversa est Olympi et coeli differentia a Leagora in Homero notata, a Scholiasta A. Iliad. α, 353 (coll. ad α, 18) ubi de allegorica

---

quod nunc vulgatur, ne loquendi quidem consuetudini grammaticorum convenit. Nam qui exararunt librarii *diple* περὶ στιγμήν, punctatam scilicet intelligentes, hi certe scribere debuerant, d. περιεστιγμένη. At agitur de dipla ἀπεριστίκτῳ.

2) Cod. *prae.* Correxit Nauckius Aristoph. Gram. p. 16, qui et mox *permutet* pro *permutat* scripsit.

3) V. exempla Papio notata et Arist. Nub. 109.

nominis Ὄλυμπος potestate agitur, si Cleandrum rem tetigisse scisset, vix praetermissa; tum ea notatio eiusmodi fuit ut de dipla singulis Homeri locis apposita necessario cogitandum sit, quod a tali libro, qualem Cleander scripsit, utique abhorret. [4]) Veri similius est, eundem hominem esse, quem laudat Suidas: Αἴγλη· ... καὶ ποπάνου εἶδος δηλοῖ, καὶ θυσίαν, ὥς φησι Λεαγόρας. Ego in tam incerta rei fama unum hoc video, quo ignotior nobis homo est, eo remotiori aevo aetatem eius vindicari deberi, quicum illud ipsum congruit quod diplam, iam in notis Platonicis et ante obviam, Homero primus apposuisse dicitur; tum unum ex iis vetustis criticis fuisse, qui Homericis carminibus in ipsis artis primordiis operam suam dicassent, de quibus infra dictum.

§. 23.

De Zenodoto Ephesio grammatico.

Alexandrinorum grammaticorum, qui severiorem Homericam crisin exercuissent, primus omnium Zenodotus Ephesius fuisse traditur: quo sensu accipienda sunt verba Suidae de Zenodoto referentis: ὃς καὶ πρῶτος διορθωτὴς τοῦ Ὁμήρου ἐγένετο. V. Düntzer De Zenodoti studiis Homericis p. 43. Vidimus enim §. 22. eidem labori operam dedisse Leagoram quendam Syracusanum, quem quocunque de eo statueris modo, et Zenodoto priorem aetate fuisse et cum schola Alexandrina nihil habuisse commune facile mecum consenties. In quo opere hunc Leagoram si iam in comperto habemus dipla non punctata usum esse, eo minus mirum videri debet, si vel hunc imitatus, vel morem aliorum, qui variis notis, ut vidimus, scripta quaedam antiquorum distinxissent, sequutus Zenodotus brevitati studens eodem modo etiam in Homero suo versatus est: id quod revera factum esse testantur quae in Scholiorum Venet. cod. A. leguntur fol. 8. ap. Bekkerum p. III, ubi

---

4) Cleandrum nescio quem laudat Phrynichus Bekk. Anecd. p. 10.

de Aristarcho: τὸν δὲ ὀβελὸν ἔλαβεν ἐκ τῆς Ζηνοδότου διορθώσεως· παρετίθει δὲ αὐτὸν τοῖς ἐκβαλλομένοις ἐκ τῆς ποιήσεως στίχοις ὡς τοῖς νεκροῖς τῶν ἀνθρώπων. Item quae exstant in Schol. Vict. Iliad. o, 206: Ζηνόδοτος ἐσημειώσατο, *obelum apponebat*, quo loco Düntzerus p. 12, eius si mentem rectè percipio, Zenodoti nomen cum Aristarchi confusum suspicabatur. Tum apud Lucian. Ver. hist. p. 398 (T. II. p. 117 Reitz), ubi de ἀθετήσει Homerica sermo est, Zenodotus et Aristarchus iuxta commemorantur. Schol. Luciani pro imag. c. 24: Ὁμηρομάστιξ ὁ Ζηνόδοτος ἐπεκλήθη, ὀβελίσας καὶ ἀθετήσας πολλὰ τῶν Ὁμήρου ἐπῶν. Addamus Ausonium Ludo septem sap. prolog. 11:

Maeonio qualem cultum quaesivit Homero
censor Aristarchus normaque Zenodoti:
pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum,

quem locum Villoisonus Proleg. p. XV laudans, non perspexit quum *apponens obelos* legeret: apodosis enim quae desideratur, latet in verbis *pone obelos igitur*, quae quamvis orationis formam turbant, tamen sententiam aptam suppeditant; neque *igitur* in apodosi quemquam offendet collato Plauto Amph. I, 1, 58. Obelo igitur Zenodotus usus est atque eadem quidem potestate, qua posteriores adhibuerunt, instructo, qua de re quum olim dubitaret Wolfius Proleg. ad Hom. p. 253, non improbatus a Graefenhanio Gesch. d. klass. Philologie T. II. p. 92, meliora iam docuit Düntzerus p. 35: an aliis quoque signis. incertum, nec tamen credibile, quoniam in certis signis Aristarchiis, quae illo Veneti apospasmatii loco commemorantur, nulla Zenodoti mentio fit. Itaque hic in adornanda Homeri editione sua uno obeli signo sese continuit.

§. 24.

De Homeri carminibus ab Aristophane Byzantio notatis.

Sequitur et ordine aetatis et succedendi iure is qui si quis alius a magistri sui ore praeceptisque ita pendens,

ut uterque eiusdem sententiae auctores innumeris veterum locis iuxta commemorentur, Aristophanes Byzantius, qui opus Homericum a Zenodoto inchoatum absolvere quum in se suscepisset, non potuit quin in adornando carminum Homericorum exemplo non modo eadem, qua ille, notandi ratione uteretur, sed inventis subinde aliis quoque censendi modis, eam novis formis augeret et expoliret. Etenim praeter obelum a Zenodoto acceptum etiam alia signa Homero, de quo solo nunc loquor, eum adhibuisse, docemur ex Schol. Ambr. Odyss. γ, 71 : Ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ] Τοὺς μετ' αὐτὸν τρεῖς στίχους ὁ μὲν Ἀριστοφάνης ἐνθάδε σημειοῦται τοῖς ἀστερίσκοις· ὅτε δὲ ὑπὸ τοῦ Κύκλωπος λέγονται καὶ ὀβελίσκους [1]) τοῖς ἀστερίσκοις παρατίθησιν, ὡς ἐντεῦθεν μετενηνεγμένων τῶν στίχων. Qui locus pluribus nominibus memorabilis est, ut qui non modo obelisci aliarumque notarum usum confirmet, sed earum simul potestates ostendat. Agitur de versibus Homericis quatuor, ubi Nestori tribuuntur, ι, 252, ubi a Cyclope pronuntiantur, repetitis:

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἦ μαψιδίως ἀλάλησθε;
οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα. τοί τ' ἀλόωνται
ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.

Quae versuum eorundem repetitio quum quaerendi ansam praebuisset, utri loco magis convenirent, Aristophanes a libro tertio, cuius loci naturae respondere viderentur, in undecimum errore transsumptos esse censuit, utriusque loci conditione ita notata, ut huius cuique versui asteriscum cum obelisco, illius simplices asteriscos apponeret. Posteriore loco positos versus an Homero indignos spuriosque existimarit, haud plane liquet; immo Homericos quidem eum putasse, maxime probabile est, si quam signis illis potestatem datam esse a subsequente Aristarcho scimus, eandem ut par est statuamus iam ab Aristophane

1) Nauckius Aristoph. Byz. p. 17. legit ὀβελούς, citra necessitatem, v. Schol. Iliad. β, 27 et Villois Anecd. Gr. T. II. p. 183 (Bekk. Anecd. T. II. p. 768.) Eustath. ad Odyss. θ, 567. p. 1510.

adhibitam esse. Audiamus Excerpta Romana: Ἀστερίσκος δὲ σὺν ὀβελῷ, πρὸς τὸ εἶναι μὲν τοὺς στίχους Ὁμήρου, κεῖσθαι δὲ ἐν ἄλλῳ τόπῳ καλῶς· οἷς καὶ ἀστερίσκος μόνος παράκειται. Quae verba ideo repetii, quo melius quo sensu postrema verba per se obscura accipienda sint pateat: etenim si Aristophanis morem assumimus, secundum quem eo loco, quo versus recte positi viderentur, simplex asteriscus appictus fuit, iam apparet, eam legem criticos tenuisse, ut in eiusmodi versuum repetitione utrumque locum, quamvis diversa ratione, notarent. Vides quam belle Aristophanica doctrina cum eo usu conveniat, quem Aristarchum observasse testes tradunt tum supra positi tum qui afferuntur a Nauckio p. 17, bene adnotante, hunc parallelismum, ubi in locis Homericis nunc desideretur vel alia signa ostendat, culpa et errore librariorum vel omissum vel corruptum esse. Ceterum ex hac utriusque concordia, Aristarchus, sua unde hauserit, simul liquet. In hac rei traditae probabilitate non audiendus qui contra loquitur auctor Anecdoti Paris. p. 86, scilicet Aristophanem asteriscum illis locis, quibus sensus deesset apposuisse docens: qui praeterea eo quoque falli videtur, quod usum asterisci cum obelo Aristarcho proprium fuisse affirmat, siquidem significare voluit ante Aristarchum eius signi fuisse usum nullum. Itaque ab errore malo dissidium illud, quo Anecdotum Paris. versatur, repetere quam cum Nauckio, nimirum illi testimonio nimium tribuente, culpae scholiastam Odysseae, quae Aristarchi fuissent ad magistrum Aristophanem haud parum accurate referentem, insimulare.

Praeterea Aristophanes sigma et antisigma adhibuit, teste Schol. Odyss. ε, 247. 248:

τέτρηνεν δ' ἄρα πάντα, καὶ ἥρμοσεν ἀλλήλοισιν·
γόμφοισιν δ' ἄρα τήνγε καὶ ἁρμονίῃσιν ἄρηρεν

Ἀριστοφάνης τοὺς δύο τούτους στίχους τὸ αὐτὸ ᾤετο περιέχειν ἄμφω· διὸ τῷ μὲν σίγμα, [2]) τῷ δὲ ἀντίσιγμα ἐπιτίθησιν. Quae

2) Recte ita Nauckius p. 18 pro σ, ut vulgatur.

de his signis traduntur, siquidem putandum exaratum olim a critico fuisse hic C, illic Ↄ, in hac signorum disciplina nova quidem sunt et inaudita, sed satis firma, quandoquidem signorum eorundem usum etiam in Scholiis Aristophanis comici Aristophani tributum, ut mox videbimus, fortasse etiam antisigma in Platone (§. 30) ab eodem adhibitum reperimus. De figura horum signorum infra disputabitur: nunc solum hoc ex re videtur adnotare, totum hunc sigma usum criticum primitus nihil aliud spectasse quam ut de notabili aliquo loco vel re lector adverteretur: vix enim puto aliud quiddam illud C significare posse quam illud σημειῶσαι, vel σημειωτέον, vel σεσημείωται, in libris posteriorum manu scriptis eodem consilio sexcenties margini appictum, quippe ductum ab usu antiquorum criticorum, quos eandem formulam in eadem caussa adhibuisse innumeri loci testantur. Vide, ut Homerica Scholia mittam, Schol. Aristoph. Plut. 627. Aeschyl. Prom. 353. Ioannes Ton. p. 5. Dind. σεσημειωμένων τῶν Ἀττικῶν, πόλεας, μάντεως, et passim. Cf. quos laudat Villoisonus Proleg. p. XVIII. Eiusdem potestatis est *designare* Romanorum, cuius rei gratia unum Phocam de aspiratione affero, apud quem passim de vocabulo aliquo, quod in exceptione ponendum esset, dicitur *designatum est,* veluti p. 1723 et 1724.

Postremo afferendum κεραύνιον, ⟋signum, quo Aristophanem usum esse testantur Schol. Harl. ad Odyss. σ, 281 in Crameri Anecd. Paris. T. III. p. 505: παρείλκετο] ἀντὶ τοῦ ἐφέλκετο· εὐτελὲς τοῦτο, διὸ καὶ κεραύνιον παρέθηκεν Ἀριστοφάνης. Cuius signi usus minime hic ea potestate, qua affert Isidorus, I, 2, 21, ut vult Nauckius p. 18, accipi potest: agitur enim de versu uno propter unius vocis insolentiam notando, non de pluribus, quibus, ut censet Nauckius p. 30, notandis ceraunium loco obeli singulo cuique versui adiicendi Isidori de praecepto apponeretur (v. §. 49.). Neque putaverim id signum, a quo abstinuit Aristarchus, ad condemnandum versum ab Aristophane adhiberi solitum

esse, sed ad notandam alicuius vocabuli proprietatem vel etiam insolentiam: illi enim officio inverviebat obelus. De usu posteriorum criticorum v. §. 49.

Supersunt duo loci Homerici, quos quidem ab Aristophane notatos esse scimus, quamquam quibus notis usus sit ignoramus.. Schol. Odyss. β, 313: ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα] τοῦτο σημειοῦται Ἀριστοφάνης, ὅτι ἱκανὰ ἔτη ἐγεγόνει, ἀφ' οὗ οἱ μνηστῆρες συνάχθησαν. Eadem Schol. in Crameri Anecd. Paris. T. III. p. 407. Obelo non videtur usus, immo tali aliquo signo, quo rei alicuius inconvenientia notaretur: sin obelo, malim superne adpuncto ∸, qui teste Isidoro §. 3: »ponitur in his de quibus dubitatur, utrum tolli debeant necne.« Si quae de dipla Anecd. Rom. cap. I perscribuntur conferimus, ea nota aptior videatur. Sed diplae usus apud Aristophanem, quantum sciamus, incompertus. Alter locus est Schol. Odyss. ε, 185: τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ] γράφεται καὶ ὕδατος, πρὸς ὃ ἐσημειοῦτο Ἀριστοφάνης. Non versum, sed versus partem significavit. Videretur et hic diplae locus fuisse ex doctrina posteriorum. Omnium vero tutissimum erit in nota C sigma acquiescere ea potestate, qua ea usum esse Aristophanem mox videbimus.

§. 25.

De dramatis Graecorum ab Aristophane Byz. notatis.

Constat igitur Aristophanem in diorthosi Homerica obelisco sive obelo, asterisco simplice eodemque obelato, sigma et antisigma, ceraunio certe usum esse: fortasse etiam pluribus, quod revera factum esse eo facilius credi licet, quo aetate eius plurium notarum usum percrebuisse scimus, et quo accuratius ipsum in Alcaei carminibus notandis versatum vidimus §. 15. Quod breviter ibi tetigimus, id contentius nunc persequendum. Mirum enim Aristophanis comici Scholiastam ad Plut. 253, ubi Hephaestionem exscribit verbaque eadem, quae l. l. supra exhibuimus, apponit, ita

agere, quasi quae illic de editione Alcaei Aristophanica traduntur, non solum ad Alcaeum sed etiam ad ceteros, qui ab Hephaestione significantur, poetas et praesertim in his ad dramaticos, pertinerent. Etenim Alcaeo non memorato ille de solo scenicorum poetarum scripta signandi usu agens: Ἡφαιστίων δέ φησιν, inquit, ὅτι κατὰ τὴν Ἀριστοφάνειον ἔκδοσιν ὁ ἀστερίσκος ἐπὶ ἑτερομετρίας ἐτίθετο μόνης. Multum abest ut huic testimonio, quod negligenter vel ab auctore compositum, vel vitiose ad nos perlatum esse potest, tantum tribuam, ut inde Aristophanem dramaticos poetas notis distinxisse concludam. Sed tamen rem ita habere aliunde in comperto habemus. Ac primum Aristophanem in recensendis illustrandisque Sophocle et Euripide (de Aeschylo non liquet) aliquam operam navasse, indubiis testimoniis patet, collectis a Nauckio p. 62. Criseos vero signorum adminiculo in Sophocle quidem exercitatae nullum vestigium exstat: Euripidis unum ap. Schol. Cobeti Hippol. 172, in vulgatis paullo aliter scriptum: τοῦτο σεσημείωται Ἀριστοφάνει, ὅτι καίτοι τῷ ἐκκυκλήματι χρώμενος τὸ ἐκκομίζουσα προσέθηκε περιττῶς. Ad explicanda haec addo ex vulgatis Scholiis: ἐπὶ γὰρ τῆς σκηνῆς δείκνυται τὰ ἔνδοι πραττόμενα· ὁ δὲ [Euripides] ἔξω προϊοῦσαν αὐτὴν ὑποτίθεται. Leve quidem hoc vestigium, neque tamen propter grammaticorum in usu verbi σημειοῦν constantiam spernendum. Ac proprio sensu eam vocem accipiendam esse, docebit comparatio operae ab Aristophane in cognominis Comici dramatis recensendis praestitae, de qua Nauckius disputavit p. 63 sq. Cf. Fritzsch. ad Aristoph. Thesm. p. XVI. Signis enim in his revera usum esse eum docent Schol. Ran. 152:

νὴ τοὺς θεοὺς ἐχρῆν γε πρὸς τούτοισι καὶ
τὴν πυῤῥίχην τις ἔμαθε τὴν Κινησίου.

Τινὲς δὲ οὐ γράφουσι τὸν „νὴ τοὺς θεούς“ στίχον, ἀλλ' ἀφαιροῦσιν αὐτὸν, καὶ τὸν ἑξῆς οὕτω γράφουσιν, „πυῤῥίχην τις ἔμαθε τὴν Κινησίου.“ διὸ καὶ Ἀριστοφάνης παρατίθησι τὸ ἀντίσιγμα καὶ τὸ σίγμα. Igitur hoc vel illud signum,

antisigma opinor, Aristophanes priori versui, quem alienum putaret, posteriori qui correctione indigeret, ab ipso vero correctione tentatus non esset, alterum apposuit. Eadem igitur notae sigma vis, quam in Homerica crisi advertimus, simpliciter *notandi* caussa adiectae. Alterum locum Scholiorum Comici ex Nubibus, quem Nauckius p. 65 ad hoc notarum genus trahit, ad aliud potius referendum, ad quod statim transeundum, quum addidero, si quam rara notarum ab Aristophane in Comici scriptis adhibitarum vestigia sint meminerimus, tamen quo certiora ea sunt, eo planius ea ostendere, quot quantaque eruditionis instrumenta in illo litterarum naufragio, quod antiquitas subiit, submersa sint; nam nemo erit quin vel ex sola illa Ranarum adnotatione concludendum sumat, Aristophanem non modo hanc fabulam sed alias plures, si non omnes, eodem modo notatas reliquisse: [1]) quod eo magis credibile est, quo etiam alias

---

1) Attulit Nauckius p. 18 etiam alterum criticae adnotationis exemplum, ex Schol. Nub. 958, ubi initium est systematis anapaestici Aristophanei dicti; ubi postquam de hoc metro eiusque nomine disputatum est, leguntur, quae quocunque modo totum scholion constituas (ego quidem Hermanni sequor rationem) patet ad metri rationem pertinere: τοῦτο οὖν ἄγαν Ἀριστοφάνης ἀπεδέχετο, ὡς εὖ πεποιημένον. Quae verba Nauckius quum ad grammaticum Aristophanem referenda putaret, a veritate eo usque aberravit, ut pro ἄγαν, quod se non intelligere fateretur, γραμματικὸς reponendum suspicaretur. At intelligitur Comicus ipse, quem istud metrum, quod bene compositum videretur, nimium quam adamasse, Scholiasta adnotare voluit: nihil amplius; atque illa sententia praecedentibus aptissima. In errorem induxerunt Nauckium verba seq. ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι παράγραφος, quae sane grammatici sunt. Tum si ad grammatici aliquam adnotationem, cui sane conveniret verbi ἀποδέχεσθαι usus, v. Schol. ad Aristoph. Av. 76, verba ista referremus, ea prorsus sensu carerent. Rem conficit Schol. Plut. 487, ubi in eodem metro explanando eadem sententia aliis verbis ita expromitur: καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ μέτρον Ἀριστοφάνειον, διὰ τὸ κατακόρως αὐτὸν τούτῳ χρήσασθαι, οὐ μὴν εὑρηκέναι πρῶτον. Similia iisdem verbis de metro Hipponacteo Schol. Plut. 253. Postremo

fabulas diverso quamvis notandi consilio Aristophanem pertractasse certius constat. Quod enim §. 15, ubi de notis lyricorum et dramaticorum poetarum sermo fuit, in antecessum ostendere nisi sumus, quae eorum carminibus apposita tradantur signa metrica, ea non ab antiquis musicis, nedum ab ipsis auctoribus profecta esse, id fontem ipsum, ex quo illa promanarint, aperiendo probabili coniectura age comprobemus. Diximus ea signa ex scholis grammaticorum repetita videri: hi qui sint vel esse possint, nunc quaeramus necesse est. Atque ante omnia monendum, Hephaestionem istorum signorum auctores ipsum quidem ignorasse videri, non quod eorum de nominibus taceat, sed quod si compertos sibi habuisset, in eum errorem supra a nobis taxatum non incidisset. De signis igitur istis dramaticorum quantum tradidit, id non potest non ex eorum exemplaribus, quae ipsius aetate circumferebantur, notisque instructa erant ductum esse: quantum autem ad Alcaei et Anacreontis carmina, editiones, quibus utebatur, a quibus adornatae essent, videlicet ab Aristophane et Aristarcho, in comperto habebat. His positis quum iam qui critici fuerint, quorum exempla dramaticorum inspexerit quaeritur, apparet cogitari non posse de grammaticis Zenodoto antiquioribus, quandoquidem credibile non est, exemplaria isto

---

iuvat locum producere, si sanus est, Nauckii sententiae mirifice faventem, sed, si recte accipiatur, contraria probantem, Schol. Eq. 569: εὐλογῆσαι βουλόμεθα] τὸ ἐπίῤῥημα στίχων ἐστὶ ιϛ′ τετραμέτρων τροχαϊκῶν ἀκαταλήκτων ὃ φιλεῖ Ἀρίσταρχος. Hic igitur Aristarchus, illic Aristophanes grammaticus; utroque loco sententia perversa. Reponendum esse Aristophanis comici nomen pro Aristarcho iam adnotavit Kusterus. Ea nomina saepe commutata esse quis nescit? V. Barkerum in Wolfii Anal. litt. IV. p. 545. Portento simile eiusdem nominis exemplum suppeditat Athenaeus III. p. 113. D: Ταῦτ᾽ ἐκθεμένου τἀριστάρχεια δόγματα τοῦ Ῥωμαίων μεγαλοσοφιστοῦ, ubi legendum esse τὰ Χρυσίππεια pro τἀριστάρχεια ostendit comparatio eiusdem pag. initio, ubi liber Chrysippi Tyanensis memoratur, ex quo sumpta dicuntur omnia quae hic exponuntur dogmata de panum generibus.

modo adnotari ante coeptum esse, quam horum scriptorum reliquiae undecunque collectae et dispositae essent; quod quantum certe ad scholam Alexandrinorum ab Alexandro et Lycophrone factum esse Scholion Plautinum testatur. Neque de Zenodoto istarum notarum auctore cogitari potest, quum etiam scenicos poetas eum attigisse plane incompertum sit: immo in eius muneris partibus, quod in instruenda bibliotheca Alexandrina ipsi mandatum esset, illud genus scriptorum non fuisse, ex eodem Scholio constat. Quid igitur? Delabitur res ad discipulum eius Aristophanem, quem omnia si colliguntur suadent ut dramaticorum scripta notis distinxisse statuamus. Quem enim isto modo Alcaeum certo notasse scimus, nonne eundem eandem operam etiam dramatis, in quibus recensendis altero isto notarum genere critico usus fuit, praestitisse iure quodam censebimus? Non sufficiunt haec ad evidentiam rei. Sed adsunt alia argumenta, quorum pondere certi alicuius testimonii penuria, opinor, compensabitur.

§. 26.

De Aristophanis com. fabulis ab Aristophane Byz. metrice et critice notatis.

Ac primum de Aristophanis comici fabulis dicendum, de quibus res explorata videri deberet, si locum Scholiorum ex Nubibus supra tractatum cum Nauckio in auxilium vocare liceret. Revertamur igitur ad Hephaestionem, qui quum notas, quibus poetae (ita ait) in ipsorum operibus distinguendis usi essent, enarravit, paragraphum, coronidem, diplam utramque (τὴν ἔξω νενευκυῖαν καὶ τὴν ἔσω) et asteriscum, in qua poetarum recensione unicos lyricos eum spectasse notandum est, his pergit: Τούτοις, τοῖς σημείοις τοῖς προειρημένοις, πλὴν τοῦ ἀστερίσκου, καὶ ἑτέροις τισί, περὶ ὧν λέξομεν, ἐν τοῖς δράμασι χρώμεθα; quibus quae iam subiunguntur, ea ad comicorum artem maxime spectant, neque tamen ita ut tragici utique exclusi putari debeant.

V. Hephaest. p. 134. Haec si de usu notandi sua quidem ipsius aetate recepto Hephaestio tradere videtur, tamen ex eius tradendi ratione ipsa per totum caput servata colligitur, eum morem non ipsius aetate inventum esse, sed a maioribus acceptum usuque receptum perdurasse. Eius iam adnotationis exempla innumera in Scholiis Aristophanis servata sunt, quae quum etiam asteriscum ignoret, eo certius ex antiquissimis grammaticorum voluminibus sublecta videri debet. Immista quidem ea exempla plerumque ádnotationi metricae, quae saepe vel recentissimae aetatis est, veluti in Scholiis, quae Thomae Magistri sunt, v. c. ad Plut. init., sed debent ex antiquorum commentariis vel eam ob causam transumpta putari, quod Thomae doctrinam eruditio, quam nonnunquam prae se ferunt, longe superat. Neque qui Scholiastam auctoritate Hephaestionis passim nisum animadverterit, si quidem inde concludat, hunc a metrici illius doctrina profectum singulo quoque fabularum loco ipsum ea omnia excogitasse, quae ad cuiusque loci rationem metricam notandam pertinerent, eum verum dixisse crediderim, tum quod in iis multa reperiuntur, quae ab Hephaestione sumi non potuerunt, tum quod ipse auctor in ordinanda poetae oratione variis fontibus se usum profitetur, ad Plut. 802, ubi receptae a se membrorum divisioni exadverso alia, quae reperta esset ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων, ponitur. Neque denique, si modo in testibus tractandis paullo liberius agere datur, latet ex quo metricae adnotationis pars certe aliqua ducta sit, fons, siquidem uno saltim loco de eo constat qui metrum in sua membra disposuerit. Etenim ad hymenaei, quod in Pace sub finem legitur, versum 1329 exstat in cod. Veneto scholion adscriptum: ὑμὴν ὑμέναι' ὤ] οὕτως Ἡλιόδωρος· κεκόλλισται πρὸς τὰ Ἡλιοδώρου· παραγέγραπται ἐκ Φαεινοῦ καὶ Συμμάχου, [1]) ubi si Schneiderus Comm. de veterum in

1) Verborum extremorum haud scio an alia vis esse possit quam ut adnotetur, quae de Heliodori ratione memorentur, ea ad-

Aristophanem scholiorum fontibus, Sundiae 1838 p. 10 sq. κεκώλισται recte, ut opinor, correxisse iudicabitur, iudicatusque est a Fritzschio ad Aristophanis Thesm. p. XV, habemus Heliodorum eius ordinationis auctorem. Eiusdem argumenti scholion ex eodem cod. Ven. iam Villoisonus ad Hom. p. XIX protulerat, quod idem esse censeremus, nisi sub finem adiecta essent verba καὶ ἄλλων τινῶν, et priora exhiberentur κεκόλλισται ἐκ τῶν Ἡλιοδώρου· Illud quum carmini adscriptum sit, quod in fabulae clausula est, ex quo concludi liceret, metricam totius fabulae descriptionem ad disciplinam Heliodori compositam esse, hoc quatenus verum esset, fortasse diiudicari posset, si Villoisono placuisset adnotare, cui Aristophanis fabulae scholion et cui fabulae loco appositum sit. Igitur tametsi unam pluresne Comici fabulas Heliodorus metrice distinxerit, in medio relinquendum est, tamen istis testimoniis comprobatum est, fuisse iam antiquo tempore qui illum laborem Comico aliquatenus praestitissent: quem Heliodorus an absolverit in exemplo Aristophanis distinguendo, vel in Commentariis in eius fabulas compositis, vel etiam in scripto alio quopiam, incertum est.

De Heliodoro iam quaerenti succurrit metricus ille, a grammatico, ut arbitror, minime diversus, quem Homeri

---

scripta esse ex Phaino et Symmacho, eodem prorsus modo, quo apud Schol. Plut. 720 leguntur: σχῖνον νῦν φησι τὴν σκίλλαν. δηκτικὰ γὰρ βούλεται πάντα εἶναι· ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς παράκειται ἐκ τῶν Θεοφράστου, ὅτι ἕτερόν τι ἡ σκίλλα καὶ σχῖνος. Scilicet appositus locus erat Theophrasti de scilla, a Scholiasta omissus; neque aliter ea de re iudicavit Fritzschius l. l. Utrum iam ista Phaini et Symmachi ex poetae exemplo cum Hermanno transcripta dicamus, id quod factum esse pernegat Schneiderus l. l., an ex commentariis, hoc in medio relinquo. Possit quidem illud παραγέγραπται de adiectione paragraphorum nonnemo dictum putare: tum vero ὑπὸ, non ἐκ, scribendum fuerat, ut omittam, verbi παραγράφεσθαι ea potestate aliud exemplum desiderari.

commentatorem sive glossatorem novimus [2]) Huius grammatici de aetate qui expressis verbis nos docuerit, veterum scriptorum adhuc repertus est nullus. Neque qui rem nuper tetigit, Meierus Comm. Andoc. VI, 3. p. XVII, eam definire accurate in se sumpsit: qui quum Heliodorum miro consortio cum Apione plerumque coniunctum deprehendisset, [3]) id non casu factum ratus, ita statuit: „Uter eorum fuerit aetate prior, uter posterior, ignoramus; nam de Heliodori aetate nihil fere constat, nisi eum ut Aristarcho posteriorem, ita Apollonio sophista, a quo saepe in partes vocetur, [4]) priorem fuisse; at tamen mihi quoque Heliodorus antiquior videtur.“ Neque ego his quod addam habeo nisi quod propter temporum congruentiam is Heliodorus diversus non fuisse videtur a cognomine metrico, quo usus est magistro Irenaeus sive Minucius Pacatus, qui Augusti fere aetate grammaticam professus est. V. Meierum, quem hanc convenientiam temporum fugisse miror, p. VII et X. [5]) Hunc igitur doctrinam de metris

---

2) V. Schol. Ven. Iliad. γ, 418. ε, 297. Cramer Anecd. Oxon. T. I. p. 194. T. IV. p. 310. Bachmann Anecd. T. I. p. 31 (spectatur Odyss. φ, 326) 75. Düntzer De Zenodoto p. 199.

3) Addamus Bachmanni Anecd. T. I. p. 309. Crameri Anecd. Oxon. T. IV. p. 310. Paris. T. IV. p. 175. (Bachmann Anecd. T. I. p. 368) 176. 191.

4) Heliodori nomen pro Herodoro vel Herodoto Apollonio vindicare studet Anonymus in Ephem. litt. Ienens. 1834. N. 233. p. 426. De frequenti illorum confusione dictum post alios ad Philem. Lex. p. 183.

5) De Irenaeo testimoniis addendum est locus ex libro de dialecto Alexandrinorum Scholiastae Diorcoridis in Matthaei Med. vett. p. 352 eodem anno, quo Meieri opusculum prodiit, a Bernhardyo ad Suidam v. Εἰρηναῖος in medium productus. Item desidero apud Meierum locum Etym. M. p. 819, 16 de voce πύη, ubi post ὀστέοις in cod. Paris. 843 οὕτως Εἰρηναῖος adiici, ad Etymologi l. l. Bekkerus adnotavit. — Ceterum si recte Scholii verba παραγέγραπται etc. supra interpretatus sum, ex constituta

antiquorum peculiari scripto enchiridii nomine vulgato tractasse ex Hephaestionis scholiasta Longino p. 70 ed. Egger docemur: quem locum si malis ad Hephaestionem referre, quod mihi probabile videri §. 20 significavi, tamen quamvis sublato operis nomine, eius generis opus de medio non tollitur, quale et ipsum significatur a Longino p. 66, ubi Heliodorus inter eos laudatur, qui de metrorum natura exposuissent. Tum quae exstant apud Priscianum de metris Terentii et apud Hephaestionem p. 16 Heliodori observationes metricae non unius poetae carminibus constituendis adstrictae deprehenduntur, sed tam dramaticos quam lyricos, in his Pindarum, Alcmanem, Simonidem, Hipponactem, attingunt; quae non possunt non scripto aliquo rem metrorum universalem complexo tractata esse. Tametsi iam in hoc opere metrico illa, quam supra excitavimus, carminum Aristophanicorum ordinatio legi potuit, quamquam ita ut statuamus sunt quae dissuadeant, tamen signis musicis, ut illuc unde exorta est haec de Heliodoro disputatio tandem redeat, hunc metricum ullibi ad notandas metrorum rationes varias usum esse, non potest demonstrari. Praeterea vero illud, ut opinor, demonstratum est, in quo demonstrando hactenus versabamur, praeter Hephaestionem conscribendis in Aristophanem Scholiis superstitibus quantum ad partem metricam etiam alia subsidia adhibita esse, et ea in parte nonnulla inesse, quae antiquioribus Hephaestione auctoribus debeantur.

Itaque ad antiqua illa artis criticae Alexandrinorum primordia sive fundamenta ultro deducimur, triumvirorum, Zenodoti, Aristophanis, Aristarchi nominibus maxime insignia, quorum qui primo loco nominandus fuit, si recte supra ab hac quaestione exclusus est, alteri duo restant, quorum Aristarchum, de quo primum dicendum, in Aristo-

---

Heliodori aetate simul aliquatenus constat de temporibus Symmachi et Phaini, Aristophanis interpretum, de quibus alio loco dicetur.

phanis comoediis recensendis et illustrandis multiplicem operam impendisse Scholia testantur abunde. Atque non solum peculiari commentariorum instar opere in Aristophane illustrando eum versatum esse ex eo concludimus, quod Aristarchi vel allatis ipsis eius verbis passim mentio fit, veluti Ran. 1173 et 1230, sed etiam ex Ran. 1474 constat de atheteseos genere critico similem ad modum, quem recensendo Homero adhibuit, usurpato. Haec autem minus ad rem nostram: apprime vero huc pertinet, quod et in ordinandi carminum membris elaboravit eamque doctrinam ad officium critici pertinere ratus est. Ad Ran. 356: εὐφημεῖν χρὴ] adnotatur: ἐπὶ τοῦτον τὸν χρόνον λέγει Ἀρίσταρχος μεμερίσθαι εἰς μερικὰ ἀναπαιστικά, ἄλλα δὲ ἀμείβεσθαι τὸν χρόνον, quo loco pro χρόνον reponendum est utrobique χορόν. Tum ad vs. 374: χώρει νῦν] εἴσθεσις ἑτέρα μέλους μονοστροφικοῦ διαιρεθέντος τοῦ χοροῦ, ἐκ κώλων ἀναπαιστικῶν ί, ὧν τὰ μὲν ἄκρα καὶ τὸ δ' καὶ έ δίμετρα ἀκατάληκτα· τὸ δὲ δεύτερον καὶ ἕκτον ἐφθημιμερῆ, τὸ τρίτον καὶ τὸ ὄγδοον δίμετρα βραχυκατάληκτα· τὰ δὲ λοιπὰ τρίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβήν· ἑξῆς δὲ στίχοι δύο ἀναπαιστικοὶ τετράμετροι καταληκτικοὶ ὡς ἐξ ἑτέρας στροφῆς· ἐπὶ τῷ τέλει παράγραφος· ἐντεῦθεν δὲ Ἀρίσταρχος ὑπενόησε μὴ ὅλα τοῦ χοροῦ εἶναι τὰ πρῶτα· τοῦτο δὲ οὐκ ἀξιόπιστον· πολλάκις γὰρ ἀλλήλοις οὕτω παρακελεύονται οἱ παρὰ τὸν χορόν. Habemus hic nescio cuius censuram sententiae Aristarchiae, in dispositione metrorum versantis, quae quum praesertim propter adhibitam antiquam paragraphi notam ab ipso Aristarcho videri possit profecta, tamen nemo qui ceteras eiusdem generis expositiones metricas per totum Scholiorum corpus sparsas vel obiter inspexerit, pro opere tam antiquo habuerit, quum praesertim unum eundemque auctorem eas habuisse apparet quum ex tractandi rationis aequabilitate, tum ex eo quod in posteriore aliqua parte Scholiorum, quae in priore dixerit, auctor ipse recolat, ut Ran. 1275: ἐνίοτε δὲ καὶ μετὰ διπλῆν, ὡς πολλάκις εἴρηται. Sed tamen haud minus erraret, qui auctorem antiquis exemplaribus

poetae criticorum more distinctis usum esse negaret. Etiamsi igitur illa ipsa verba, quae ad Ranarum locum leguntur, Aristarchus, quum suam de eo conficeret sententiam, non respexit, tamen vel ex ipso verbo ἐντεῦθεν necesse est concludamus, usum eum esse aliqua technici cuiuspiam adnotatione, eandem metri ordinationem, quam Scholii auctor suo more enarravit, exhibente, cui suam ipsius sententiam discrepantem opponeret. Adnotationis vero illius auctor quum vix alius fuisse possit quam Aristophanes Byz., quem constat in Alcaei certe carminibus distinguendis signis illis metricis uno asterisco auctis usum esse, magna probabilitate statui poterit, eum praeter criticam operam etiam metricam Comici fabulis praestitisse, id quod proclive est coniicere, adhibendis signis pariter atque in aliorum generum scriptis eum perfecisse.

Superest at earum ipsarum notarum, quae in metrica adnotatione Scholiis Aristophanis inserta reperiuntur, recensus exhibeatur, quo simul comprobatur, eas utique convenire cum istis, quas in poetarum scenicorum carminibus se reperisse Hephaestio testatus est quasque secundum varias earum potestates descripsimus §. 20: in quo recensu exhibendo quum eius adnotationis facies per totam Scholiorum congeriem una eademque sit, chartis pepercisse prudenter videbor, si in exemplis notarum afferendis me intra unius fabulae spatia continuero.

1) παράγραφος, ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι, ad designandas personarum in diverbio inter se sermocinantium vicissitudines, Plut. 1, vel etiam nova persona intrante, vs. 802, pariter atque ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι τῶν συστημάτων, v. 487. 641. Item in carminibus systematicis ἐφ' ἑκάστῳ συστήματι, singulo quoque systematis membro, vs. 253. Item sub finem totius systematis sive chori, v. 302. 619. De usu in parabasi dicam ad diplam.

2) κορωνίς, ἐπὶ τῷ τέλει, in clausula diverbii. Vs. 1. 253. 641, vel novis intrantibus personis, vs. 771. 824. 851.

960. 1098. 1172. Item in clausula chori, redeuntibus in scenam actoribus, vs. 322. 415. Tum sub finem fabulae, ἡ τὸ δρᾶμα περατοῦσα, vs. 1172.

3) διπλῆ ἀμοιβαία, posita sub finem systematis una διπλῇ τῇ ἔξω νενευκυίᾳ, vs. 253. 302. 487, altera sub initium, uti concluditur ex 598: εἶτα δύο διπλαῖ, ἡ μὲν ἐν ἀρχῇ τοῦ τελευταίου κώλου, ἡ δὲ κατὰ τὸ τέλος· ἀμφότεραι δὲ νενευκυῖαι. Alterius διπλῆς, τῆς ἔσω νενευκυίας, nullum in Pluto exemplum observavi: exstat aliarum fabularum locis, veluti Av. 451 in carmine strophico, ubi adnotatur: ἐπὶ τῷ τέλει τῆς μὲν στροφῆς παράγραφος καὶ ἔσω νενευκυῖα, ἐπὶ δὲ τῆς εἰσθέσεως ἔξω διπλῆ. De usu denique in parabasi audiamus Schol. Nub. 618: ἑπτὰ δὲ ὄντων τῶν τῆς παραβάσεως μερῶν, ἐφ' ἕκαστον τῶν ἀπολελυμένων τριῶν τίθεται ἡ παράγραφος· οὐχ ἧττον δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ μέλους καὶ τοῦ ἐπιῤῥήματος, ἂν μηδὲν ἀποδιδῶται· ἐὰν δὲ ᾖ τὰ ἀνακυκλούμενα, τό τε ἀντίστοφον τοῦ μέλους καὶ τὸ ἀντεπίῤῥημα, ἐπὶ τοῦ ἐπιῤῥήματος τίθεται ἡ ἔσω νενευκυῖα διπλῆ, ὑπὲρ τοῦ δηλῶσαι, ὅτι ἐστὶ τὰ ἀνταποδιδόμενα, ἐπὶ δὲ τοῦ ἀντεπιῤῥήματος ἡ ἔξω νενευκυῖα· ἐν δὲ τοῖς ἀποδιδομένοις πάλιν ἐφ' ἑκάστης στροφῆς παράγραφος· ἐπὶ δὲ τοῦ τελευταίου κώλου δύο διπλαῖ, ἡ μὲν καταρχάς, ἡ δὲ κατὰ τὸ τέλος, ἀμφότεραι μέντοι ἔξω νενευκυῖαι, δηλοῦσαι ἡμῖν ὅτι ἀνταποδίδοται.

§. 27.

De Sophoclis dramatis metrice notatis.

Diximus de Comici dramatis metrice in scholis grammaticorum tractatis. Similem curam tragicis quoque poetis ab antiquis adhibitam esse, certo testimonio demonstrari nequit. Ab illorum vero studiis etiam hanc scenicorum poetarum classem alienam non fuisse, certe quantum ad Sophoclem et Euripidem, ut credam adducor eo, quod in Scholiis metricis, quae ad horum fabulas nomine Triclinii feruntur, eadem prorsus ratio adnotationis obtinet, quam in Aristophanis Scholiis observavimus. Atque ut de Sophocle primum dicam, eorundem signorum, coronidis, paragraphi et diplae utriusque usus notatur diligenter et

ab ipso scholiasta figuris ipsorum appositis illustratur, Aiac. 240. Quibus signis asteriscus addendus, cuius quum uno tantum loco, Antig. 155 (ἐπὶ τῷ τέλει ἀστερίσκος δηλῶν, ὡς τὸ ᾆσμα τετέλεσται) mentio fiat, consectarium videtur, scriptis demum et vulgatis scholiis in Aiacem Triclinium ad recensendam Antigonam transiisse: unde in ordinem, quo fabulas Triclinius in exemplaribus exhibitas repererit, coniecturam facere licet, eo firmandam quod, si Aiax prima ordine censetur, id eo nonnihil praesidii nanciscatur, quod quum per ceteras tragoedias duobus tantum locis Hephaestionis auctoritas laudetur (Antig. 100. Oed. R. 151), id in una Aiace ternis fit (vs. 134. 172 et 200); quippe qua testis allati gravitate doctrinam metricam posthac per totum fabularum corpus tenendam tamquam fundamento Triclinius in antecessum superstruere voluerit. Haec vero obiter. Ad rem pertinet, quod hic statim monendum, ex hoc ipso usu asterisci, qui signis scenicorum poetarum ab Hephaestione p. 134 expresse excluditur, concludi posse, huius doctrina sola Triclinium minime contentum fuisse, sed etiam alios fontes consuluisse, id quod vides plane convenire cum ratione Scholiorum Aristophanis. Tum quae notae metricae in his Triclinii Scholiis afferuntur, eas aliunde adscitas esse, ipsa earum indoles prodit. Primum enim si ad solam Hephaestionis doctrinam Triclinius notandi rationem suam composuisset, destitui suis notis multos locos notatione non sivisset, aut certe non imperfecte notasset: quod permultis locis factum est, pariter atque in Scholiis Aristophanicis. Exempli gratia affero unum paragraphi in ἀποθέσει ponendi usum, cuius ratio duplex est: una metrica, quae qualis sit cognoscitur ex Aiac. 134, ubi nomine ἀποθέσεων in systemate anapaestico paroemiaci dimetris acatal. oppositi significantur: εἰσὶ τὰ μὲν δίμετρα ἀκατάληκτα· τὰ δὲ τῶν ἀποθέσεων, δίμετρα καταληκτικά, quibus sub finem subiiciuntur: ἡ παράγραφος ἐν ταῖς ἀποθέσεσι. Intelligitur igitur systematis finis, ita ut clausulae sive καταλήξεως vim habeat, quemadmodum etiam vox ἀπόθεσις rhetorum ser-

mone de exitu periodi dicitur, ut apud Demetr. Phal. de elocut. 19. Ac prorsus idem quod κατάληξιν valere, ex Schol. Hephaestionis p. 162 perspicitur, quo simul patet eam vocem non in solo metro anapaestico adhibitam esse: usum in tetrametris anap. adnotavit Scholiasta Aristoph. Plut. 9551, tum in alio genere variis metris composito idem ad Av. 959. Alterum genus in discernendis dialogi personis consistit inservitque significandae sermonis alternationi, quam Aiac. 1210 in dialogo iambico Triclinius his agnoscit: ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι τῶν προσώπων παράγραφος. Quod genus eodem modo saepe in Scholiis Aristophanis adnotatum, veluti Plut. init. a Thoma M. Cf. ad eiusdem fabulae vs. 771 et ad Equit. init. In hoc paragraphi usu a criticis recepto, quum recorderis illo signo dramatum exemplaria antiqua distincta fuisse, iam si affirmavero praeter duo illa ex Aiace excitata exempla in reliquo Scholiorum Sophoclis corpore tertium non reperiri, concedes id non tam negligentia auctoris quam conditione exemplarium ab ipso adhibitorum etiamtum non integra factum esse. Quod de paragrapho attuli, unum de multis, quae perlustrare non opus, exemplum est: quibus expensis non poterimus aliter statuere quum ut Triclinium notarum tantum, quantum in exemplaribus, quibus uteretur, reperisset, in opus suum transumpsisse censeamus. Quod eo insuper confirmatur, quod innumeris locis talia leguntur: ἐπὶ μὲν τῇ στροφῇ παράγραφος· ἐπὶ δὲ ἀντιστροφῇ κορωνὶς μόνη, Electr. 1380: vel ἐπὶ τῷ τέλει τῆς στροφῆς καὶ ἀντιστροφῆς παράγραφος μόνη, Antig. 332. 580. 589. 773: vel ἐπὶ τῷ τέλει κορωνὶς μόνη, Antig. 623. Tum inprimis memorabilis locus est Electr. 135, ἐπὶ τῷ τέλει οὐ τὰ αὐτὰ κεῖται σημεῖα, ἀλλὰ παράγραφος. Quibus locis significatur, quod nunc demum recte intelligitur, quum et alia signa apponenda fuissent, solam paragraphum vel coronidem in exemplari minime integro, quo auctor uteretur, repertam esse. Plena enim distinctio ita v. c. enotata Antig. 616: ἐπὶ τῷ τέλει κορωνὶς καὶ παράγραφος συνήθως. Antig. 374. 956. 1123. Aiac. 192.

684. 1188. Etiam plenior Antig. 798: ἐπὶ τῷ τέλει παράγραφος καὶ διπλαῖ συνήθως, ἡ μὲν κατ' ἀρχὰς τοῦ κώλου ἔξω νενευκυῖα, ἡ ἐπὶ τῷ τέλει δὲ ἔσω. Adde quod signationis ea conditio est perpetua, ut scholii metrici sub calcem adiiciatur et cum cetero scholii argumento nihil commune habeat: quam legem positionis uno loco neglectam observavi, Antig. 1263. Ex eadem denique caussa repetendum, quod in Trachiniis parcissimus deprehenditur notarum usus et eius quidem modi, ut earum quae sunt exquisitioris rationis, ut diplarum, nulla omnino fiat mentio.

Ex re esse videtur, mantissae loco una exhibere et signorum in Sophoclis Scholiis commemaratorum syllabum cum ipsorum locorum singulorum enarratione. De paragrapho et coronide, quando systematis sub finem apponuntur, supersedeo locos enumerare innumeros, partim supra indicatos. Unum locum exscribam usum coronidis illustrantem, Aiac. 615: ἐπὶ τῷ τέλει τῆς στροφῆς παράγραφος τίθεται, ἐπὶ δὲ τῷ τέλει τῆς ἀντιστροφῆς κορωνίς· ἐξιόντων γὰρ τῶν ὑποκριτῶν καὶ τῶν χορευτῶν εἰσιόντων κορωνὶς τίθεται, καὶ αὖθις τῶν χορευτῶν ἐξιόντων καὶ τῶν ὑποκριτῶν εἰσιόντων ἡ αὐτὴ κορωνὶς τίθεται. Cf. Oed. R. 482. 487. 1077. Diplae utriusque usus idem quem in Aristophanis Scholiis notavimus. Duplicis antistrophae sub finem plerumque cum paragrapho adiectae, brevitatis caussa absque ipsarum appellatione propria, exempla suppeditant Philoct. 201. 391. 817. 1062. 1128. Electr. 120. 231. 1236 (caussa allata, διὰ τὴν ἀνταπόδοσιν, ut saepe alias). 1403. 1409. Antig. 100. 868. 1256. 1292. 1302. 1320. Aiac. 339. 355. 385. 405. 870. 889. 943. Oed. R. 644. 654. 1309. 1323. 1330. 1346; cum ipsarum nominibus, τῆς ἔσω et τῆς ἔξω νενευκυίας, Antig. 134. Electr. 188. 1229. 1242. 1279. Asterisci mentionem inveni unam.

§. 28.

De Euripidis fabulis metrice notatis.

A Sophocle transeo ad Euripidem, cuius fabulas antiquitus eodem modo signatas esse Scholia testantur: si non

omnes, saltim Hecubam, Orestem et Phoenissas, in quarum solarum Scholiis expositiones metricae reperiuntur. Sic ut statuam eo adducor, quod quam rationem et indolem Sophocleorum Scholiorum observavimus, prorsus eadem in Euripideis recurrit, ut nullum omnino relinquatur dubium, quin utraque adnotatio ab eodem auctore profecta sit. In qua rei demonstratione breviori mihi esse licet. Primum eaedem notae laudantur, uno asterisco excepto, eaeque prorsus eadem formula conscriptae, qualis est παράγραφος ἐν τῷ τέλει. Hec. 624. 678. 686. 690. 697. 888. 904. 1011. Orest. 162. 795. 948. 1262. 1270. 1275. 1279. 1281. 1347. 1355. 1366. 1380. 1434. 1460. 1530. 1535. 1537. 1544. Locos ex Phoenissis omittam, ut etiam qui exhibent phrasin ἐπὶ τῷ τέλει κορωνίς, cuius ratio explicatur Hec. 461, numero permultos. Tum ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι παράγραφος καὶ ἐπὶ τῷ τέλει κορωνίς, Hec. 59. 95. 151. 709. 932. 1032. 1065. Orest. 1. 198. 306. 970. Phoen. 239. 301. 1067. 1508: vel ἐπὶ τῷ τέλει κορωνὶς καὶ παράγραφος, Hec. 640, ubi adiiciuntur: ταῦτα γὰρ τοῦ τέλους τῆς ἐπῳδοῦ σημεῖα, Hec. 923. Orest. 819. 1296. 1677, quo loco illa Triclinio frequentata formula exstat: ἐπὶ τῷ τέλει τοῦ πρώτου [κώλου] παράγραφος, τοῦ δὲ δευτέρου κορωνίς, ἡ περατοῦσα τὸ δρᾶμα. Praeter paragraphum et coronidem pariter diplae utriusque ratio habetur, Orest. 170: ἐπὶ τῷ τέλει παράγραφος, καὶ διπλῆ ἔσω καὶ ἔξω νενευκυῖα, ἡ μὲν ἐν ἀρχῇ τοῦ κώλου, ἡ δὲ κατὰ τὸ τέλος, δηλοῦσα ἔχειν ἀνταπόδοσιν. Cf. 1240. 1245. 1253 (ubi ἐκτὸς et ἐντὸς pro ἔξω et ἔσω, quod alibi non reperi). Phoen. 183. Tum Orest. 1287: ἐπὶ τῷ τέλει δύο διπλαῖ ἔξω νενευκυῖαι, ἡ μὲν ἐν ἀρχῇ τοῦ κώλου, ἡ δὲ κατὰ τὸ τέλος prorsus ut vs. 1539: ad quem usum illustrandum cf. Hephaest. p. 136. Rursus deprehendimus idem transsumptarum aliunde notarum indicium in formulis ἐπὶ τῷ τέλει παράγραφος μόνη, Hec. 1002, et κορωνὶς μόνη, Phoen. 1019. Accedit denique eadem inaequalitas in adscribendis notis. Quid igitur? Eadem est, ut dixi, adnotationum metricarum indoles, eadem notarum pariter atque illic illarum

sub finem tantum collocatarum ratio et origo. Cui sententiae firmandae inservit quod quamvis raro, tamen hic illic Scholiis adhaerent manifeste vestigia adnotationum ex antiquis exemplaribus et commentariis sublectarum, veluti, ut Aristophanem Byz. nunc mittam, Apollodori Tarsensis, Parmenisci et Didymi, quorum de controversis sententiis insignes loci exstant Med. 171. 276. Alia criseos a Didymo exercitatae exempla leguntur Med. 260. Androm. 867, quibus accedunt in Scholiis a Cobeto vulgatis Hec. 830 et Androm. 329. 1054. Unum locum valde momorabilem, eruditione simul reconditiore insignem, exscribo Orest. 1631: ναυτίλοις σωτήριος] ὅτι ἡ Ἑλένη τοῖς χειμαζομένοις κατὰ θάλατταν ἐπήκοός ἐστι, κατὰ Εὐριπίδην σεσημείωται· ὁ μέντοι Σωσίβιος ἔμπαλιν οἴεται οὐκ εὐμενῶν αὐτὸ ἐπιφαίνεσθαι, quibus in cod. Flor. 33 adduntur: Πολέμων δὲ καὶ ἐν τῷδε τῷ πρὸς Ἀλεξανδρίδην τὴν μὲν τοῖν δυοῖν ἀστέρων ἐπιφάνειαν τῶν Διοσκούρων ἀνομολογεῖσθαι, τὴν δὲ τῶν λεγομένων ζοβείρων [lege καβείρων]. [1]) Multo etiam memorabilior subscriptio est, a plurimis codd. Orestis sub calcem exhibita, quam praecedentis scholii partem non esse, quum ex ipsa re cognoscitur, tum ex eo quod in nonnullis libris seorsim exhibetur, verbis concepta his: Πρὸς διάφορα ἀντίγραφα παραγέγραπται ἐκ τοῦ Διονύσου (marg. γρ. Διονυσίου) ὑπομνήματος ὁλοσχερῶς καὶ τῶν μικτῶν. Eadem verba, omissa voce ὁλοσχερῶς, sed recte scripto nomine Διονοσίου, suppeditavit cod. Havn. Euripidis excussus in Class. Journ. V. XXVIII. p. 203, fabulae sub finem non posita sed Argumento subiecta. Iam quum illud παραγέγραπται eodem sensu manifeste dictum sit, quo supra in Aristophanis Scholio legimus παραγέγραπται ἐκ Φαεινοῦ καὶ Συμμάχου, ubi v. nobis notata: habemus antiquissimum Euripideorum Scho-

1) De toto hoc loco egregie nuper disputavit Hullemann Symbol. litt. doctor. gymnas. Batav. IX p. 131, quicum plane facio *Anaxandridem* hominis nomen evincente simulque Καβείρων, in quod et ipse statim incideram, pro ζοβείρων reponente.

liorum fontem, ex quo putari licet omnia ea promanasse, quae reconditiorem aliquam doctrinam prodant: cuius subscriptionis ratio haud alia fuisse videtur quam quae in Scholiorum Iliadis Cod. Veneto A obtinuit, ut sicut horum auctor singulis rhapsodiis, quibus Homeri interpretibus in concinnandis iis usus sit, subiunxerit, ita etiam illic Dionysius putetur is fuisse, cuius commentarii ex priorum studiis collecti Scholiorum Euripidiorum, qualia nunc in codicibus feruntur, aliquam certe partem materiae praebuerint. Nam de toto corpore cogitare ipsa eorum conditio novitia et saepe futilis probibemur. Dionysius ille quis dicatur ex tot cognominibus grammaticis, [2]) tum commentaria illa μικτὰ quae significentur, id aliis ad explorandum relinquo.

Quae hactenus de reliquiis studiorum, quae in recensendis Euripidis fabulis critici antiqui posuissent, in Scholiis servatis attulimus haud me fugit nihil continere, quod ad antiquam contextus notationem pertineat: sed quum iam demonstratum sit, ex veteri illa grammaticorum doctrina nonnulla petita deprehendi, quod in Sophocle probabile visum, id etiam in Euripide probabiliter factum concedes, signorum, quibus in parte metrica Scholiorum mentio fiat, memoriam ex schola illa antiqua repetendam esse, cuius curam etiam in Sophocle tractando versatam esse scimus. Cui sententiae firmandae succurrit quod rursus Aristophanem in recensendis Euripidis fabulis operam suam impendisse, ipsa Scholia ostendunt, in quibus haec notavi veteris censurae vestigia, Orest. 704: Ἄργους] τὸ δὲ Ἄργους γράφεται καὶ Ἄργου, ἵν' ᾖ Ἄργου γαῖαν. Ἀριστοφάνης δὲ μετὰ τοῦ σ̄, quibuscum conspirant Scholia a Cobeto vulgata. Tum Hippol. 170: τὴν δὲ κομίζουσ'] τοῦτο σεσημείωκεν Ἀριστοφάνης, ὅτι κατὰ τὸ ἀκριβὲς τὸ ἔγκλημα [3]) τοιοῦτόν ἐστι τῇ

2) Apud Suidam v. Εὐριπίδης, ubi de genere poetae sermo est, laudatur testis Διονύσιος ἐν τοῖς χρονικοῖς, quod opus cave confundas cum laudatis Dionysii commentariis.

3) Lege ἐκκύκλημα. Eodem vitio mox in Schol. Cob. Venet. cod. ἐγκλήματι pro ἐκκυκλήματι.

ὑποθέσει· ἐπὶ γὰρ τῆς σκηνῆς δείκνυται τὰ ἔνδον πραττόμενα, ὁ δὲ ἔξω προϊοῦσαν αὐτὴν ὑποτίθεται. Scholia Cobetiana: τόνδ' ἐκκομίζουσ'] τοῦτο σεσημείωται τῷ Ἀριστοφάνει, ὅτι καίτοι τῷ ἐγκυκλήματι χρώμενος τὸ ἐκκομίζουσα προσέθηκε περισσῶς, in quibus antiquum nota vitium ἐκκομίζουσα, quod metrum respuit, pro κομίζουσα; alterum quod librario debetur, τόνδ' pro τήνδ', si revera illud in Codice est, miror Cobetum sine nota dimisisse. Tertium fragmentum exhiberi Phoen. 886, non sine caussa iusta suspicatus est Cobetus p. 268. Adde quod nunc Aristophanem commentarios in Euripidis minimum unam fabulam, Troadas, scripsisse ex iis Excerptis patet, quae pariter Cobeti industriae debemus, ex codd. Neapolitano et Vaticano in lucem producta, p. 301, de quibus plane probo sententiam editoris p. X: »subesse in iis reliquias commentariorum Aristophanis, quibus deinde aliunde alia sint intermixta.« Atque non solum eae Scholiorum partes, quae praefixa voce ἄλλως praecedentibus subiunguntur, ab Aristophanis nomine arcenda sunt: sed etiam in iis scholiis integris, quae putari possint esse Aristophanis, nonnulla reperiri, quae posterius immixta sint, una mentio grammatici Parmenisci (vs. 239) ostendit, cuius de aetate commodum docemur ex Schol. Ven. Iliad. Θ, 513: Παρμενίσκος ἐν τῷ ά πρὸς Κράτητα ὡς Ἀριστάρχειον γραφὴν προφέρεται „κείνων.“ Quae egregie eo firmantur, quod idem Parmeniscus in genuini Scholii Aristophanici vs. 220 appendice non Aristophanica memoratur. Praeterea laudatur Parmeniscus in Scholiis Cobeti ad Rhes. 524, qui locus ex eo libro, quem adversus Cratetem scripsit, sumptus putari potest: tum etiam in vulgatis Med. 276.

§. 29.

De Aeschyli fabulis metrice tractatis.

Postremo dicendum de Aeschylo, cuius fabulis metrice tractandis an pari modo antiqui vacarint, pro certo affirmare non ausim, quamquam id factum esse admodum probabile videbitur recordanti, Aeschyli fabulas signis criticis

olim distinctas fuisse, id quod ii loci demonstrant, quos supra, ubi de nota × sermo fuit, excitavi. Atque in Scholiis, quae pro unico huius rei fonte sunt, multo rariora, quantum quidem observavi, notarum metricarum vestigia apparent, maximam partem iam a Villoisono Proleg. p. XIX indicata; tum a Prometheo, Choephoris et Supplicibus illa adnotatio metrica utique abest. Quidquid autem ad ceteras fabulas eius generis adnotatur, maxime simile est iis notis quae in Scholiis Sophocliis leguntur, ut utriusque adnotationis eundem auctorem diceres, nisi Aeschyliae elocutione multo contractiores simul loquendi usum ostenderent a more Triclinii ita abhorrentem, ut ambigas, eidemne Triclinio eae pariter sint adscribendae nec ne. Quantum ad usum loquendi, in medium profero unam notam quae quum ad discernendas et significandas carminis melici vel strophici partes singulas adiici solet, hic ad transitum carminis strophici in dialogum indicandum usurpatur, et ita quidem, ut non strophici clausulae, sed initio diverbii iambici apponatur: quae notandi ratio a Triclinii more utique abhorret. Schol. Sept. adv. Theb. 165: Ὑμᾶς ἐρωτῶ] Εἴσθεσις διπλῆς, ἧς προτίθεται ἡ μονοστροφικὴ αὕτη περίοδος, στίχων οὖσα ἰαμβικῶν τριμέτρων ἀκαταλήκτων κά. Eiusdem fabulae diverbii initio vs. 407 adscriptum: Διπλῆ ἑτέρα περίοδος. Οἱ δὲ στίχοι ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι λ'; item vs. 407: Τέταρτος ἄλλος] διπλῆ ἑτέρα περίοδος. Οἱ δὲ στίχοι ἰαμβικοὶ τρίμετροι λέ. Utroque loco post διπλῆ ad sensum parum accurate expressum requiritur punctum: diple enim, quam auctor in codice suo repererat, ad praecedens carmen spectat, verba ἑτέρα περίοδος ad sequens diverbium. Eodem sensu leguntur ad vs. 777: Θαρσεῖτε παῖδες] Εἴσθεσις μερικῆς διπλῆς. Οἱ δὲ στίχοι εἰσὶν ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι λ'. Similiter Pers. 247. Agam. 1179. 1332. 1578. 1643. Eum. 391. 556. Diplae ἀμοιβαίας, quae simpliciter nomine ἀμοιβαίας περιστροφῆς appellatur Schol. Eurip. Orest. 1499, usum auctor novit, nusquam vero utriusque discrimen nomine τῆς ἔσω et ἔξω νενευκυίας, tam

saepe in Scholiis Sophocliis obvio attulit. Eum. 814: Οὐκ ἐστ' ἄτιμοι] Εἴσθεσις διπλῆς ἀμοιβαίας καὶ μονοστροφικὰς ἔχουσα τὰς περιόδους. Vs. 919: Δέξομαι Παλλάδος] Εἴσθεσις διπλῆς ἐν ἐκθέσει τοῦ δράματος, ἀμοιβαίας τὰς περιόδους ἔχουσα. Item Sept. adv. Theb. 1032. Tum ad initium fabulae: Ἡ εἴσθεσις τοῦ παρόντος δράματος ἐκ μονοστροφικῆς ἐστὶ περιόδου καὶ ἑξῆς ἐκ συνεχοῦς διπλῆς. Οἱ δὲ στίχοι τρίμετροι ἀκατάληκτοι ρλέ. Phrasi συνεχοῦς διπλῆς alterum exemplum exstat Septem adv. Theb. 984. His locis omnibus voce διπλῆς non tam signum ipsum, quam carmen aliquod ad eam normam compositum, cui designandae διπλῆς signum inserviebat, intelligitur. Adde Pers. 678 et Agam. 1449. Item Schol. Aristoph. Pac. 111. Ut breviter quod de auctore earum adnotationum metricarum sentio dicam, is mihi a Triclinio diversus videtur, sed qui eius a doctrina atque etiam elocutionis ratione pendens totus, ad huius exemplar Aeschylum metrice tractare sustinuerit, ipse antiquae notandi legis et rationis parum gnarus. Nam notabile, quod uno tantum loco usus signandi, qualem antiqui excogitarunt Tricliniusque in Sophocle suscepit, deprehenditur, Agam. 362: Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ] . . . Ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι παράγραφος· ἐπὶ δὲ τῷ τέλει τῆς ἐπῳδοῦ κορωνὶς καὶ παράγραφος: cui loco similis unus Sept. adv. Theb. 1032: καὶ ἑξῆς ἡ κορωνὶς ἡ τὸ δρᾶμα ἀποπερατοῦσα, ad Triclinii consuetudinem loquendi plane compositus. Ceterum quantum ad priorem non praetermittendum, eum non in ea classe Scholiorum legi, quae a Schützio, cuius editione usus sum, littera Γ signata est, in qua tantum non omnes illae adnotationes metricae exhibentur, sed in secunda B notata: quorum de discrimine quaerere non vacat.

Quae de horum ceterorumque Scholiorum indole et origine disputavi retrospicientem nunc me minime praeterit, quod de Aristophane fabularum tragicarum et comicarum adnotatore metrico conieci non tam firmis rei testimoniis quam coniecturali argumentatione niti: qua de re in utram-

que partem quum possit disputari, hoc tamen demonstratum arbitror, eam adnotandi rationem a Triclinio vel alio homine novitio neque excogitatam neque ex solo Hephaestione adsumptam esse, immo ex fontibus longe antiquioribus eam repetendam esse, qui quidem quum diu exaruissent ipsi, tamen liquoris nonnihil reliquissent, quo posteriores hortos suos irrigare potuerant.

§. 30.

De Platonis scriptis ab Aristophane Byz. notatis.

At nondum dimitto Aristophanem, quem, si coniectura me mea non fallit, ostendam notis criticis etiam in alio genere scriptorum tractando usum esse: quem notandi morem si semel adhibere in arte critica factitanda instituerat, non mirum potest videri, in eodem etiam per aliorum scriptorum genera usurpando, quamvis signis pro diversitate argumenti paullisper mutatis, eum sibi constitisse. Scilicet §. 21, ubi de signis quae Platonicis scriptis adiectae reperirentur sermo fuit, quum auctor eorum quis fuerit in medio relinquendum esset, ei quaestioni nunc postquam quae et qualis Aristophanis Byzantii industria in hoc genere studiorum fuerit, melius perspexerimus, permagna cum probabilitate responderi poterit. Etenim si recogites, Aristophanem in hoc labore non solum Homericis carminibus, sed etiam lyricis atque dramaticis suam curam impendisse, concedas certe necesse est eandem eum in Platone praestare potuisse. Hoc quidem parum est ad probandum: sed non nullius videbitur momenti esse, quod scriptorum Platonicorum editio ea, quae notis distincta traditur, ipsis fere temporibus, quibus vixit Aristophanes, ut supra ostendimus, confecta est; quae temporum congruentia non videtur casui tribuenda esse, quum praesertim accedat, quod in ordinandis Platonis operibus Aristophanem operam dedisse in comperto habemus. Inter eos enim, qui Platonicis scriptis ad certas classes describendis vacassent, etiam

Aristophanem fuisse et quidem ad trilogiarum formam primaria opera disposuisse, testatur Diogenes Laert. III, 61: in quo opere eum singulorum quoque locorum rationem habuisse suamque de quoque sententiam more suo notas adiiciendo exprompsisse, haud absonum fuerit. Haec omnia inter se tam vincta et probabilia mihi quidem videntur, ut ad veritatem rei nihil nisi certum eius notationis testimonium desideretur: quod si in Scholiis Platonicis, quae nunc praesto sunt, frustra quaeratur, id qui norit quam novitiae aetatis ea maximam certe partem sint, non mirabitur. Nam σημείωσαι illud, quod aliquoties singulis Scholiis praefixum deprehenditur, veluti p. 317. 318. 327. 332. Bekk., non ausim eo sensu, quem explicui §. 21, ante interpretari quam eos qui Scholia composuerint, exemplis Platonis signatis usos esse demonstratum fuerit.

Ceterum eandem coniecturam de auctore Platonicae notationis video etiam Bergkium Zeitschr. f. d. Alt. 1845. No. 15. p. 113, licet obiter et timidius, proposuisse.

§. 31.

De signis Aristarchi Homericis.

Pervenimus tandem per ambages ad principalem locum, ad quem ab omni parte pernoscendum iis, quae hactenus disputavimus, via quasi munita nunc accedere possumus. In qua quaestione profliganda dici non potest utilitatis quantum afferat Anecdotum Rom. quum aliis nominibus, tum eo quod quum antea ea signa, quae ab ipso Aristarcho usurpata essent, ab iis quae eius nomen mentirentur, discerni aegrius possent, nunc demum edocti sumus, quae proprie ad Aristarchi usum pertinuerint, quaeque huius ex schola profecta progrediente tempore aut potestates ipsorum aliquantum mutarint, aut etiam novis adaucta sint, id quod in sequentibus per singulas notas, quotquot a criticis quibusvis Homerici carminibus adscriptae sunt, persequendum est. Quod ut recte procedat, separatim de signis, quibus ipse Aristarchus fertur usus esse, dicam,

deinde de criticorum Aristarcho posteriorum usu: in qua disquisitione tenendum, parti priori ex posteriore, ut res ferebat, nonnulla statim immixta esse, tum rationem unice eorum signorum habitam esse, quae ad crisin Homericam spectarent. Aristarchus horum vel similium signorum usum an in aliorum quoque scriptorum operibus notandis adhibuerit, absoluto hoc capite disquirendum erit. Iam vero si ex iis, quae supra dicta sunt, constat, signorum, quae teste auctore Anecdoti Rom. Aristarchi propria fuerint, h. e. dipla utraque, obelus, asteriscus purus, asteriscus cum obelo et antisigma cum puncto, vix unum alterumve reperiri, quod ab ipso Aristarcho inventum, primumque Homero notando admotum sit, magnopere subit mirari, qui factum sit, ut quidquid signorum criticorum Homero appositorum exstitit, nomine Aristarchiorum, tamquam ita ab auctore et inventore appellatorum, ad nos perlatum sit, ita ut Aristarchus, etiam ubi non nominatus esset, ab omnibus intelligeretur, veluti apud Ausonium in his Epist. XVIII, 29:

quique notas spuriis versibus apposuit.

Ac si demus Aristarchum signorum, quae ab superioris aetatis usu mutuatus esset, potestates novum in modum constituisse vel novo modo in Homero distinguendo adhibuisse, tamen haec Aristarchi opera non tanti videri debuit, ut tanta laudis fama signa ea celebrata sint. Alia igitur eius famae caussa et origo quaerenda, quae mihi quidem non ab ipsa eorum ratione repetenda videtur, sed ab argumenti, cui illustrando inservire iubebantur, tum gravitate, tum ab iudicii auctoritate et dexteritate, qua versatus ut ante eum nemo aequalibus posterisque Aristarchus in tractando Homero visus fuit. Igitur ex ea laude, quam Aristarchus studiis suis Homericis consequutus est, [1]) quamque socordia hominum paene oblitteratam nec a Wolfio plane perspectam, unus nostra memoria Lehrsius in tam clara luce posuit, ut tanti viri, qualis Aristarchus fuit, ipse sive discipulus sive

---

1) V. Bekkeri Anecd. T. II. p. 768.

laudis aemulus et putari et dici mereatur, etiam ad signorum usum, cum illo opere coniunctum, famae nonnihil redundare debuit. Ad hanc laudis et nominis originem accessit quod in tota hac notandi ratione Aristarcho proprium fuit, quod ante eum nemo, qui Homerum signis criticis distinxerit, tanta signorum varietate usus est, eaque ita comparata, ut quae adhiberet signa, ea ad significandos omnes iudicandi modos sufficere posse viderentur: quem signorum numerum si posteriores supergressi sunt, id non tam ab rei penuria, sed a quodam laudabili studio quae a magistro inchoata accepissent perficiendi repetendum est; ad quam industriam accessit quaedam amplificandi necessitas ex eo nata, quod quum Homerus ab Aristarcho notatus posterioribus ad iudicandum propositus esset, quumque insuper aliae aliorum, ut Cratetis, recensiones Homericorum carminum ab Aristarchio exemplo discrepantes successissent, ipsis, nisi in magistri verba iurare vellent, nova ratio notandi instituenda fuit, qua cum Aristarchia crisi etiam ceterorum operas comprehenderent. Itaque non potuit fieri quin posteriores signorum ab Aristarcho traditorum vel potestates paulisper mutarent, vel etiam numerum novis adiectis augerent, id quod revera factum esse, ex iis quae deinceps expositori sumus, patebit.

Ceterum recensionem Homeri Aristarchiam exploraturo non acquiescendum est in notatione per Scholia ad utrumque carmen nobis tradita. Fallerentur enim magnopere qui vel copiosissimis commentariis in codice Veneto A ad Iliadem servatis integram Aristarchi recensionem exhiberi putarent, id quod etiam magis de Scholiis in Odysseam longe tenuioribus, quantum ea nunc quidem prostant, valere debet. Ad rem probandam paucorum locorum enarratio sufficiet.

Odyss. λ, 582 et 583 de Tantalo:

ἑσταότ᾽ ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ·
στεῦτο δὲ διψάων, πιεέιν δ᾽ οὐχ εἶχεν ἑλέσθαι.

Hos versus Aristarchum in spuriis retulisse testatur Schol. Pindari Olymp. I, 97: quo fortasse explicatur Scholiastae

observatio de v. στεῦτο· ἵστατο νῦν ἐπὶ ποδῶν· κέχρηται δὲ τῇ λέξει ὁ διασκευαστὴς παρὰ τὴν τοῦ ποιητοῦ συνήθειαν, quae verba paulisper mutata repetit, subiunctis his, Eustathius p. 1701, 27: ἐν Ἰλιάδι [γ, 83] γὰρ στεῦταί τι ἔπος ἐρεῖν Ἕκτωρ, ἀντὶ τοῦ ὑπισχνεῖται, διαβεβαιοῦται, ἢ φαίνεται etc. Nempe insolens verbi usus offensionis ansam Aristarcho dederat: diasceuasta vero intelligitur auctor illorum versuum, quorum de mala fide aliquid Scholiastes et Eustathius traditum repererant.

De epitheto Amazonum ἀντιάνειραι Iliad. γ, 189 et ζ, 186 obvio nihil in Scholiis traditur. Supplet Choeroboscus Epim. in Psalm. p. 15: τὰς δὲ „ἀντιανείρας Ἀμάζονας" ὁ μὲν Ἀρίσταρχος τὰς ἴσας ἀνδρῶν· ἔνιοι δὲ ἐπὶ πολεμικῶν τὰς ἀντιαζούσας, οἷον ἐναντιουμένας ἀνδράσι.

§. 32.

De Odyssea ab Aristarcho correcta et notata.

Transituris nobis ad propositum verbo de Odyssea seorsim ante dicendum est, quum quae haetenus disputavimus, ad Iliadis solius recensionem unice spectare posse videantur. Etenim quum praesertim invento excussoque Iliadis codice Veneto de curis Aristarchi aliorumque criticorum in notanda Iliade inpensis abunde liquebat, eodem modo an etiam Odyssea antiquitus tractata esset, quoniam haud pari subsidiorum felicitate in hoc atque in illo carmine adiuti sumus, haud aeque in comperto fuit. Non tamen plane nos fortuna destituit: immo posteaquam praesertim in lucem protracti sunt Odysseae codices Ambrosianus Q et Harleianus, hic Porsoni primum summaria, tum Crameri Anecdotorum Paris. tomo III accurata, diligenti ille Ang. Maii cura, etiam hac de re certius edocti sumus, atque etiam melius, ut sperare licet, edocebimur, si quando codex Marcianus Odysseam cum scholiis partim ex veterum grammaticorum libris excerptis continens, quem a Cobeto repertum et excussum narrat Pluygersius (v. §. 16). publici iuris factus fuerit. Atque, quod singulatim infra

suo quidque notarum loco commonstrabitur, nunc patet pariter atque in Iliade notis distinguenda Aristarchum etiam in Odyssea versatum esse iisdemque signis iisdemque eorum potestatibus usum esse; cui rei probandae satis erit vel haec in antecessum attulisse. Odyss. κ, 35: ὡς καὶ νῦν] Σημειοῦται· Ἀρίσταρχος λέγει τὸν [l. τό] καὶ περιττεύειν. Γ, 234: Σημειωτέον τὸν στίχον. Vs. 241 et 242: Ὀβελίζοντο δύο. Item δ, 93. De asterisci puri asteriscique cum obelo usu inprimis consulenda Scholia cum Eustathio ad τ, 4, de quibus ubi de horum signorum usu Aristarchio sermo erit, enucleatius dicetur. Tum in hoc labore minime Aristarchum substitisse, sed ut in Iliadem, ita etiam in Odysseam commentarios concinnasse, vel ex ipsis in Odysseam Scholiis hodie superstitibus constat, et aliis quoque testibus firmatur, quorum unum peridoneum affero Ioannem Characem ap. Choeroboscum in Bekkeri Anecd. p. 1149 et Gaisford p. 20: καὶ εὐλόγως εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς Ὀδυσσείας ὁ Ἀρίσταρχος οὐκ ἠβουλήθη δοῦναι εἰς τὸ „ἄνδρα μοι“ δύο ὀξείας, ἀλλὰ μίαν εἰς τὸ ᾱν, φάσκων „ἐν ἀρχῇ ποιήσεως παράλογον οὐ μὴ ποιήσω.“ Addamus alium, sed de fide suspectum, Tortellium de orthographia v. *Arethusa* fol. 43 a: »Sane in glossulis Aristarchi super XIII Odysseae Homeri librum comperi quatuor in diversis mundi partibus fuisse Arethusios fontes: unum apud Syracusas, alterum apud Smyrnam, tertium in Chalcidia [sic], et quartum in Ithaca;« possunt enim haec omnia sumpta putari ex vulgatis Scholiis ν, 408, in quibus tamen nulla Aristarchi mentio fit. Possit tamen divinando Tortellius verum de Aristarcho assecutus esse, siquidem quod alias factum etiam hic sumi licet, Aristarchum presse sequutum esse Didymum, qui teste Stephano Byz. v. Ἀρέθουσα in commentariis suis in Odysseae librum l. dixerit Ἀρέθουσαι δέ εἰσιν ὀκτώ, ubi in numero erratum esse iam alii adnotarunt. Addamus denique, Aristarchi in Odysseam commentarios, si non integros, excerptos in codice aut Veneto, aut qui ex Veneto transcriptus videtur, circa saeculum XIV vel XV superstites fuisse, si fides habenda

Boëstalleri, qui Venetiis regi Gallorum a legatis fuit, catalogo codicum, quem vulgatum debemus industriae Caroli Muelleri Analector. Bernensium Part. I. 1839, quem vide p. 2, simul docte et vere de Aristarchi commentariis in Odysseam loquentem, hic non expilandum. Ceterum non tacebo quod, quum quae de Boëstalleri codice produntur legerem, in mentem mihi venit. Quum in codice illud Aristarchi opus hoc modo inscriptum feratur (v. p. 7): Ἀριστάρχου καὶ ἄλλων τινῶν ἑρμηνεία εἰς Ὀδύσσειαν Ὁμήρου, proclivis fuit comparatio horum commentariorum cum corpore scholiorum in Iliadem Venetorum, quorum ad rationem et indolem etiam illam adnotationum congeriem, quae Boëstalleri codice contineretur, compositam fuisse, non inepte iudicaveris. Quid iam ad veritatem similius esse potest quam ut statuamus maioris scholiorum corporis, quo commentarii in utrumque opus Homericum comprehenderentur, alteram partem, quae Odysseam complexa esset, in Boëstalleri codice exhibitam esse? Quae coniectura eo firmatur, quod talem partem alteram olim exstitisse, aut, si stricte loquendum est, ab Iliadis librario Veneto certe concinnari debuisse, ex ipsis eius scholiis luculenter colligitur. Confer notata ad α, 294: περὶ δὲ ταύτης τῆς ἀναγνώσεως ἐντελέστερον διαληψόμεθα ἐν τῇ γ τῆς Ὀδυσσείας ὅταν περὶ τῆς Ὀδυσσείας γραφῆς ἐπιζητῶμεν, et ad μ, 157: ῥηθήσεται δὲ ἐν τῇ μ τῆς Ὀδυσσείας περὶ τῆς προσῳδίας. Quibus potissimum locis usus, tum etiam quorundam locorum similitudine inductus Maius Praef. ad Odyss. quum statuisset, ea ipsa Scholia, quae codice Ambrosiano continerentur, ab Iliadis librario Veneto significata esse, eam sententiam tam infirmis rationibus niti ostendit Buttmannus ad Scholia Odyss. p. VII. sq. ut hac ex parte nihil certe prodeat, quod coniecturae propositae officiat. Utcumque vero de indole statuas Ambrosianorum Scholiorum, ea accurate examinata pariter atque alia, praesertim, Harleiana commentariorum congeriem, et argumento et tractandi ratione Venetis Iliadis scholiis admodum similem, ostendunt, quam similitudinem vix aliter explicare potueris, quam si me-

cum putaveris corpus illud, ex quo excerpta sunt, pari ratione qua Venetum confectum, h. e. conflatum maxime fuisse ex commentariis Aristonici, Didymi, Herodiani et Nicanoris; quae Lehrsii quoque sententia fuit, iusto brevius p. 35 ita loquentis: »verbo moneo hoc opus Odysseam quoque complexum esse. Quattuor scriptorum vestigia quocunque pedem posueris in scholiis obvia.« Confer vel unum hunc locum ex multis, β, 260: ἰὼν ἐπὶ θινὶ θαλάσσης] Ἐὰν κατὰ δοτικὴν γράφηται τὸ „θινί", βραχέως διαστελοῦμεν ἐπὶ „ἰὼν" καὶ τὰ ἑξῆς συνάπτομεν· ἐὰν δὲ αἰτιατικῇ, ὡς Δίδυμός φησι γράφειν Ἀρίσταρχον, μετὰ τὸ „θαλάσσης" διαστελοῦμεν. Ita Q et Harl., in quo etiam alterum hoc scholion legitur: Ἐπὶ θινί, καὶ ἐπὶ θῖνα, διχῶς. Sententiae propositae nihil detrahitur, quum animadverteris, quod permirum posset videri, in universis Odysseae Scholiis Aristonici et Nicanoris nullam, Didymi et Herodiani haud frequentem reperiri mentionem. Horum grammaticorum doctrinam consuetudinemque qui ex usu Scholiorum Iliadis Venetorum perspectam habeat, eum non latebit, plurimarum adnotationum auctores, etiam si nomine non laudati sint, grammaticos illos esse. Ex ista Scholiorum conditione potius colligendum videtur, quae nunc excerpta servantur, ea longe minore et diligentia et eruditionis studio Scholiis Venetis confecta esse. Postremo afferendum quod sententiam meam mirifice sustentat, quod in Harl. ad ο, 106 (Cramer p. 493) manifestum est indicium commentariorum in Iliadem, quibus observatio quaedam occupata esset: καὶ εἴπομεν ἐν τῇ Ἰλιάδι τὸ αἴτιον; Iliadis autem locum valde doleo mihi adhuc incompertum esse. Tum haud levis momenti esse videtur quod in Harleianis Herodiano nullum grammaticum vel scriptorem antiquiorem laudari meminerim, ut etiam hac operis parte ea cum indole Scholiorum A. in Iliadem egregie conveniant. Conveniunt etiam eo, quod passim signorum criticorum in iis ratio habetur, veluti diplae ad κ, 89 apud Cramerum p. 429. Alia exempla, ut asteriscorum, infra suis locis proferentur. Quid? quod

paene credendum est, Marciano Odysseae codice supra commemorato, quem Boëstalleriani fuisse fontem diximus, alterum Marcianorum in Iliadem Scholiorum tomum praestari, ex quo et Harleiana, Ambrosiana et quae his similia sunt scholia hausta sint. Sed haec omnia ut tractatu dignissima, ita non sine magno laboris impendio et novarum copiarum adiumento profliganda, quum exspectari nequeat hic ut pertractentur diligentius, consistam in eo, cuius gratia ista a me allata sunt, quantum ad usum signorum in Homericis carminibus adhibitorum cognoscendum in eodem copiarum loco, quem Scholia Iliadis Veneta obtineant, etiam quae in Odysseam conscripta exstant maximam certe partem habenda esse. Itaque, ut unum exempli caussa afferam, non poterit dubitari quin Aristarchi intelligatur crisis, ubi in ἀθετήσει unius alteriusque versus προαθέτησις Aristophanis diserte simul adnotatur, veluti Odyss. β, 322: Ἀθετεῖται ὡς περιττός· προηθέτει δὲ καὶ Ἀριστοφάνης. V. α, 195. Neque dubito eiusdem rationis putare eos quoque locos, ubi Aristophanis nomen reticetur, veluti Odyss. δ, 276. Igitur ad singula tandem signa, quibus Aristarchus usus esse traditur, transituris iam nobis praemonendum, si quem locum ex Scholiis in Odysseam adduxero, quo ipsum Aristarchi nomen laudatum non est, hoc a me ea fiducia factum esse, qua in tractandis Scholiis in Iliadem Venetis, si modo per ipsius loci conditionem fieri licet, idem recte fieri inter omnes convenit.

§. 33.

De hymnorum Homericorum diorthosi.

Hymnorum Homericorum, ut etiam hos verbo tangam, disquisitio a proposito utique aliena est, quippe qui a grammaticis Alexandrinis eodem modo critico, quo Ilias et Odyssea, tractati non esse videantur, et si tamen, nihil earum curarum memoriae mandatum sit. Quid? quod uno loco excepto Iliad. σ, 222, in Scholiis Venetis A, unde conflata sunt quae leguntur Schol. Pal. Odyss. δ, 44, horum Hym-

norum nulla omnino ratio habetur, unde colligas, eos grammaticos Homericos a comparatione Hymnorum consulto abstinuisse. Neque novisse me fateor veterum criticorum quemquam, qui commentarios in unum alterumque vel adeo universos Hymnos reliquisse tradatur. Sero enim corpori Homerico ista membra, ut quae et ipsa ei per errorem adsuta essent, adiecta esse videntur, quum praesertim de nonnullorum Hymnorum auctore, v. c. in Apollinem, quem licet Thucydidis III, 104 auctoritate valde speciosa Homeri nomini vindicatum, [1]) constat a nonnullis Cinaetho Chio tributum esse, iam antiquo tempore dubitatum esset; vel ut accurate loquamur, a munere eorum, quibus Homericae poeseos reliquias binis corporibus Iliadis et Odysseae includere mandatum esset, quum Hymni si qui eo tempore exstarent exclusi essent, quum ob argumenti diversitatem, tum quod incerto auctoris nomine circumferebantur vel alias quascunque ob caussas, factum est, ut antiquitus ne exstaret quidem collectio eorum aliqua, qua grammatici Alexandrini tamquam fundamento hymnicae Homeri poeseos uti potuissent: unde consectarium est, ut si eorum tamen ratio habenda esset, unius cuiusque auctoritas seorsim examinanda esset, et vindicato demum auctore opus in factitanda crisi Homerica in auxilium vocari posset. Quod in paucissimis factum est, si quid ex silentio Scholiastarum Venetorum concludi licet, apud quos quae una reperitur mentio ad Hymnum in Mercurium spectat, quo testimonio certe hoc lucramur, ut hymnum eum ab Alexandrinis pro Homerico habitum esse doceamur, id quod ex ipsa ratione, qua verba hymni afferuntur consequitur. In demonstranda enim Homeri proprietate loquendi ea auctore non nominato iuxta alia verba, quae ex Iliade

---

1) Lepidum effutivit Reimnitzius System der Griech. Declination p. 15 commentum, Hymnum in Apollinem Ptolemaeorum aetate scriptum esse posse, exagitatum iam a Düntzero De Zenodoto p. 46.

sunt, laudantur. Neque novit posterior aetas corpus, quo qui nunc habentur hymni una comprehensi fuissent; neque universos codex ullus manuscriptus, ut constat, exhibet. Sed hoc longius persequi non est huius loci.

§. 34.

De dipla pura sive non punctata Aristarchi.

Satis, ut opinor, praeparati accedimus iam ad signa ab Aristarcho in digerendis Iliade et Odyssea adhibita, quorum a simplicissimo initium ducamus, a dipla pura sive non punctata. Anecdoton Romanum: Τῇ διπλῇ χρῆται Ἀρίσταρχος πρὸς ἱστορίαν, σχηματισμοὺς καὶ ἑτέρας ποικίλας χρείας. Parisiense: „Usus et in multis Aristarchus, nunc ea, quae praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae apud eum invenirentur adnotans, nunc proprias ipsius figuras: interdum ea, in quibus copiosus est, rursus quae semel apud eum ponerentur.“ Vides utrumque auctorem apprime inter se convenire, ita tamen ut quae ille de historia designanda attulit, a Parisiensi etiam accuratius definita sint: item quae idem affert de notatae abundantiae vel semel dictorum usu, ea illum ut credam complexum esse verbis obscuris καὶ ἑτέρας ποικίλας χρείας, adducor eo, quod earum proprietatum in ceterorum signorum Aristarcho cap. II. adscriptorum potestatibus nulla mentio fit: eas tamen ab Aristarcho praetermissas fuisse eo minus credibile, quo planius semel dictorum notam in Homero a glossographis certe adhibitam esse caput I testatur: quicum ad verbum fere convenit Anecdoti Veneti codex posterior, dum in priore eius signi potestates etiam plures enotantur, quae una excepta, quae πρὸς τὰς τῶν νέων ἐκδοχὰς spectat, quorum de verborum sensu suo loco dictum est, ἑτέρων illarum ποικίλων χρειῶν nomine comprehensae Aristarcho vindicandae sunt. Unde patet tam largum huic notae assignatum esse campum, ut generalis eius vis ad notandum quodcunque notatu dignum patuisse ac plerumque eodem sensu usurpatam esse, quo ad designandam aliquam pro-

prietatem veteres verbo σημειοῦσθαι, vel σημαίνειν uti soliti essent, uti iure monet Graefenhanius Gesch. d. Klass. Phil. T. II. p. 97. Non plane satisfaciunt rei quae ad constituendum diplae usum Aristarchium contulit Pluygers De Carm. Hom. veterumque in ea Schol. ed. p. 1, omnia his fere comprehendens: diplam iis versibus apponere solitum esse Aristarchum, „in quibus inesset documentum, quo firmaret quae sive in scholis, sive in commentariis exposuerat de versibus interpolatis, de pravis lectionibus a prioribus editoribus receptis, de falsis aliorum interpretationibus, de verborum significationibus etc.«; tum »nullis versibus crebrius διπλῆν appositam inveniri quam iis, ex quibus appareat Homerum duobus positis solere πρὸς τὸ δεύτερον πρότερον [ita ex cod., ut opinor scribit pro πρῶτον] ἀπαντᾶν, cf. ad Δ, 451 et alibi«; vel in anaphora. Quae propriae diplae apud Aristarchum potestates fuerunt, earum cunctarum iam age syllabum, apposito simul uno alterove exemplo, exhibeamus, ordinem, quo in codice Veneto priore leguntur sequuti.

1) πρὸς τὴν ἅπαξ εἰρημένην λέξιν. Iliad. α, 106, quod exempli loco ab ipso Veneto librario affertur, in contextu notabile est signum in cod. non appositum esse: quod aliis multis locis culpa librarii factum observare licet. Ἅπαξ εἰρημένων alia exempla dabunt Iliad. χ, 496 et ω, 304, quibus de locis dictum §. 53. De ἄριστον Schol. Iliad. ω, 124: ἡ διπλῆ ὅτι ἅπαξ νῦν ἐν Ἰλιάδι καὶ ἅπαξ ἐν Ὀδυσσείᾳ [π, 2] τὸ ἄριστον. Ex hoc genere verborum sunt ἀβάκησαν Odyss. δ, 249 (ubi v. Schol.); ζῶστρον ibid. ζ, 38, notante Scholiasta; βαμβαίνων Iliad. κ, 375, ubi de dipla, quae in contextu Veneto appicta est, Scholia silent; λάψοντες Iliad. π, 161, ubi v. Schol.; notatae hae tres voces eandem ob caussam Apollonio Lex. Hom. suis locis.

Ceterum quum dudum coeptum esset in usu Homerico examinando utrumque carmen seorsim tractare, non videri debet absonum, dipla etiam eas voces notatas esse, quae quamvis in Odyssea saepius legerentur, in Iliade tamen

semel repertae essent, qualis est ἤϊα ν, 103: quam vocis proprietatem Scholiastae quidem eo nomine non notarunt, dipla tamen versui appicta librarius Venetus significari voluit. Posset tamen etiam ob vocem θώων, cuius de prosodia antiquitus disceptatum fuit, diplae locus datus esse, quod diserte tradit Schol. A. factum ψ, 160, quo versu pariter atque illo exstat vox ταγός, praeter hunc in Homero non reperta.

Sunt praeterea voces, quae in Iliade nusquam, in Odyssea semel deprehenduntur, veluti ὕμνος, θ, 429; κυνηγέτης, ι, 120, cuius loco in Iliade θηρητὴρ dicitur, atque etiam θήρη et θηρεύειν, nusquam κυνηγεῖν, vel ulla inde ducta vox, monente Heynio Obs. ad Iliad. ε, 49. Addamus adverbium κουρίξ, Odyss. χ, 126, de quo v. Wegener De aula Attalica I. p. 143 sq.: γείτων, quod hac de caussa notavit Schol. Harl. Odyss. ι, 48 in Crameri Anecd. Par. T. III. p. 458. Quos locos non potest dubitari olim dipla notatos esse.

Mirum denique debet videri, quod quum passim a veteribus haec vel illa vox, quae in Homero non reperiretur, notata sit, veluti τύραννος ab Hippia in Argum. Sophocl. Oed. Tyr., [2]) critici Homerici hoc nomine nullam Hymnorum Hom., quantum sciam, comparationem instituerunt: cuius proprietatis caussa ex parte ex iis colligi potest, quae disputavimus §. 33. Haud raro enim notandi ansam habuissent, si quae in Homero nusquam, sed in Hymnis reperiantur voces, eas designare voluissent, qualis est θεράπνη, H. in Apoll. 157; γηρύειν, monente Wolfio ad Hesiod. Th. 28; θεσμά, monente Hermanno ad H. in Apoll. 129; ἐπισχεδόν, H. in Apoll. 3; ὑμνεῖν; νόμος, quod etiam Hesiodus ignorat, et quod veteribus criticis illo nomine iam notatum fuit, v. Lehrs Aristarch. p. 363. sq. Τύχη, H. in Cer. 420, olim iam notante Pausania IV, 30, 3. quamvis Homeri nomine hunc locum examinante.

2) Tyri insulae nullam etiamtum apud Hemerum mentionem factum esse, adnotarat Strabe XVI. p. 1097.

2) πρὸς τὴν τοῦ ποιητοῦ συνήθειαν, scilicet in controversia, numquid ex consuetudine Homeri recte positum sit. Apollonius Lex. Hom. p. 693. Toll. Ἀρίσταρχος σεσημείωται ὅτι συνήθως φόβος ἐπὶ τῆς φυγῆς, hic tamen non accurate Aristarchi mentem reddens, siquidem verum est quod ad Iliad. κ, 10, cui dipla pura adscripta est, ab Aristonico adnotatur: τρομέοντο] ὅτι Ζηνόδοτος γράφει φοβέοντο· τὸν δὲ φόβον εἴωθε λέγειν Ὅμηρος τὴν μετὰ φυγῆς δειλίασιν. Melius hic fortasse punctatae diplae signum propter Zenodotum haberet: sed in ceteris locis, quibus φόβος, φοβεῖσθαι et φέβεσθαι fugae significatum habent, congestis a Lehrsio p. 89 sq., propter hanc Homericae dictionis proprietatem dipla pura appicta reperitur. Atque dipla quoque pura commemoratur in Schol. A. ad locum simillimum σ, 247, ubi pro τρόμος, quod Aristarchus tutabatur, Zenodotus dicitur φόβος legisse, ἀγνοῶν ὅτι φόβος ἐστὶ καθ' Ὅμηρον ἡ μετὰ δεόυς φυγή· διὸ ἡ διπλῆ. Contra vero Aristonicus ad μ, 346: ἡ διπλῆ περιεστιγμένη πρὸς Ζηνόδοτον ὅτι ἔοικεν ἐξειληφέναι τὸ ὧδε τοπικῶς· ἔστι δὲ ἀντὶ τοῦ οὕτω, qui usus in συνηθείᾳ Homeri tum ab Aristarcho tum a ceteris grammaticis refertur, v. Pluygers De Zenodoti ed. carm. Homericorum p. 2. Iliad. γ, 10: Εὖτ' ὄρεος κορυφῇσι] διὰ τοῦ ε̄ αἱ Ἀριστάρχου τὸ εὖτε, καὶ τὸ ἑτέρωθί που λεγόμενον „τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίνεται" (Iliad. τ, 386) ἀντὶ τοῦ ὡς πτερὰ ἐγίνετο ἐλαφρὰ τὰ τοῦ Ἡφαίστου ὅπλα τῷ Ἀχιλλεῖ· ἐν ἐνίαις δὲ τῶν ἐκδόσεων, τῇ τε Χίᾳ καὶ τῇ Μασσαλιωτικῇ καί τισιν ἄλλαις, ἐκ πλήρους γέγραπται „ἠΰτε ὄρευς κορυφῇσι", παρὰ τὸ εἰωθὸς Ὁμήρῳ· ἐκ πλήρους γὰρ παρέκαστα γράφειν ὄρεος. Haec ex Didymi adnotatione afferuntur. In contextu diplae signum appositum est. Adde γ, 18. Speciosus locus, in contextu Ven. dipla notatus, κ, 408:

πῶς δ' αἱ τῶν ἄλλων Τρώων φυλακαί τε καὶ εὐναί,

Schol. A. ἡ μὲν σύνταξις ἐπιζητεῖ πῶς δ' αἱ, τὸ αἱ ἄρθρον· ὁ δὲ Ἀρίσταρχος δύο παρέλαβε χαρακτηριστικὰ τοῦ ποιητοῦ, ἔλλειψιν ἄρθρου καὶ τοῦ δαί σύνταξιν μετὰ τὸ πύσμα· οὕτως γὰρ αὐτῷ ἔθος· „ποῦ δαὶ νηῦς ἕστηκε" (Odyss. ω, 24)· „τίς δαὶ ὅμιλος" (Odyss. α, 225). De quo loco Appollonius Dysc.

de synt. I, 73. p. 771 ad vulgatam lectionem respiciens: Τί οὖν οὐχὶ προσεπηνέχθη ἐκεῖ πρὸς Ἀριστάρχου „πῶς δαὶ τῶν ἄλλων Τρώων“, καὶ τοῦ λόγου ἀπαιτοῦντος τὸ ἄρθρον καὶ τῆς φωνῆς ἐγκειμένης τοῦ ἄρθρου;... ἀλλὰ φαίνεται ὅτι τὸν Ἀρίσταρχον ἐκίνει τὸ ἔθιμον τοῦ ποιητοῦ, ὅς συνήθως μὲν ἐλλείπει τοῖς ἄρθροις, συνάπτει δὲ μετὰ τὰ πύσματα τὸν δαί σύνδεσμον

τίς δαίς, τίς δαὶ ὅμιλος ὅδ᾽ ἔπλετο;
ποῦ δαὶ νηῦς ἕστηκε;

κατὰ γὰρ τὴν προκειμένην σύνταξιν ἐπὶ τούτου πάλιν λείπει τὸ ἄρθρον· καὶ ἦν ἐγκείμενος ὁ δαί σύνδεσμος, λείποντος ἑνικοῦ ἄρθρου, λέγω τοῦ ἡ.... καὶ οὕτως ἀκριβέστερον τὸ Ὁμηρικὸν ἔθος ἀπεδείκνυτο. Cf. I, 2. p. 5 et Crameri Anecd. Par. T. III. p. 13. De illo loco Homerico Aristarchique de Homeri proprietate loquendi observata placitis v. Lehrs p. 376. sq. verissime post alios docentem, Aristarchum, tametsi Homerum articulo plerumque non uti observasset, tamen non tam severum fuisse, quin articulum, ubi ratio ferret, admittendum censeret. [3]) Cuius rei exemplis allatis novum nunc accedit ex Schol. Harl. ad Odysseam a Cramero Anecd. Paris. T. III. vulgatis, ubi p. 448 ad ζ, 391:

καὶ τότ᾽ ἔπειτ᾽ ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη
ἔπλετο νηνεμίη

adnotatur: Ἀρίσταρχος „ἡ δὲ“, ἄρθρον δεχόμενος τὸ ἡ· οἱ δὲ ἀντὶ τοῦ καί, videlicet ii qui ἠδὲ scribebant.

Addo Schol. η, 137: ἡ δὲ διπλῆ πρὸς τὸ ἔθος, καὶ ὅτι κοίτου ἀρσενικῶς φησί. Ità egregie pro ὅτι καὶ τοῦτο restituendum esse eamque glossam ad vs. seq. pertinere vidit Buttmannus. Longum esset perlustrare totum hoc adnotationis genus, quod in stabiliendo illustrandoque maxime

3) De usu articuli Homerico consulendi post Wolfium Proleg. p. 206 inprimisque Alterum ad Odyss. p. XXX sq. Heynius Iliad. T. IV. p. 12. sq. Köppen ad Iliad. Anhang I. T. I. p. 302. Matthiae ad Hymn. in Apoll. p. 18. Ephem. litt. Ienens. 1803. No. 125. p. 259. Zeitsch. f. d. Alterth. 1837. No. 77. p. 626. Düntzer De Zenodoto p. 75.

singulorum vocabulorum vel phrasium usu versatur: quod quominus singulatim persequamur, providit sollertia Lehrsii, qui singularem consuetudinem, qua quasque voces, dipla suis locis notatas, poeta usurparit accurate tractavit Aristarch. Diss. II. p. 61. Accedat exemplum industriae Pluygersii debitum, De carm. Hom. et Schol. p. 8, ex codice Ven. scholion ad ε, 230 ab editoribus omissum hoc afferentis: ὅτι ἰδίως συνθεσιάων ἀντὶ τοῦ ἐντολῶν, quae verba ad diplam spectant, versui in Cod. appictam. Ceterum in eius generis locorum tractatione Aristarchus eam legem sequutus videtur, quam quantum ad analogiae rationem sibi praescripserat, ut quae vere essent inter se contendenda, ad eandem regulam castigaret, in ceteris nonnihil consuetudini relinquendum esse praeciperet. Cf. Lersch Sprachphilosophie der Alten I. p. 62. sq. [4]) Postremo afferendus sive Zenodori, sive quod malim, Zenodoti liber, περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας inscriptus, quo idem argumentum licet latius ita tractatum videtur, ut non modo loquendi consuetudo sola, sed alia omnia, quae ad proprietatem rerum ab Homero tractatarum pertinerent, respicerentur.

3) πρὸς τοὺς λέγοντας, μὴ εἶναι τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν. Horum verborum vis haec est, ut apponeret

---

4) Adiiciamus obiter, Charisii p. 93. verba Lerschio laudata: »Aristarchus discipulus eius [Aristophanis] addidit, ne umquam simplicia compositis aptemus«, aut mutuatum hinc esse aut ex eodem fonte quo ille hausisse Donatianum grammaticum quendam, cuius fragmentum insertum est Attilii Fortunatiani editioni Mediolanensi excerptae nuper a Gaisfordio Praef. ad Scriptores Lat. rei metr. ubi p. VIII leguntur: „Aristarchus auditor eius adicit differentiam, id est ne simplicia cum compositis comparemus. Hactenus de nomine analogiae.« Hunc Donatianum aliunde non novi nisi quod nunc ex Keilii Anal. gramm. p. 18. 19 et 29 constat in tribus codicibus Italis, quibus scripta grammatica continentur, Attilii Fortunatiani Arti pariter subiungi Donatiani fragmentum, quod ab edito diversum esse non videtur.

diplam Aristarchus iis locis, quibus aliqua de caussa offensi grammatici, οἱ χωρίζοντες inde dicti, quod ab eodem auctore utrumque carmen Homericum confectum negarent, ad hanc ipsorum sententiam sustentandam usi essent. Schol. A. β, 649: ἡ διπλῆ πρὸς τοὺς χωρίζοντας, ὅτι νῦν μὲν ἑκατόμπολιν τὴν Κρήτην, ἐν Ὀδυσσείᾳ δὲ ἐνενηκοντάπολιν, quam discrepantiam in sequentibus Aristarchus diluere studet. Λ, 692: ἡ διπλῆ πρὸς τοὺς χωρίζοντας, ὅτι ἐν μὲν Ἰλιάδι δώδεκα Νηλῆος παῖδας λέγει, ἐν δὲ τῇ Ὀδυσσείᾳ [λ, 295] τρεῖς γεγονέναι, ὡς γενεαλογεῖ etc. Est etiam ubi οἱ χωρίζοντες intelliguntur, non nominantur, ut δ, 354: ἡ διπλῆ ὅτι προτετυπωμένως τὰ κατὰ τὴν Ὀδύσσειαν μνημονεύει τοῦ Τηλεμάχου· τοῦ αὐτοῦ ἄρα ποιητοῦ καὶ ἡ Ὀδύσσεια. Scilicet qui Iliadem et Odysseam ab eodem auctore confectas arbitrabantur, in quibus Aristarchus erat, in utroque carmine locos quosdam deprehendisse sibi visi erant, qui mutua necessitudine inter se vincti essent, quo spectat illa observatio Schol. Odyss. γ, 248: πῶς ἔθαν' Ἀτρείδης] Καλῶς ἀναπλήρωσις τῆς Ἰλιάδος ἡ Ὀδύσσεια λέγεται· ἃ γὰρ κατέλειψεν ἐκεῖ, ἐνταῦθα λέγει. Compara etiam inter se Scholia Iliad. ι, 347 et Odyss. θ, 75. Sed quo minus plura afferam otium fecit qui locos ex Iliade collegit, Wolfius Proleg. p. CLVIII et post hunc perlustravit Grauertus in Mus. Rhen. 1827 p. 200, immemor hic locorum nonnullorum Scholiorum Ambros. in Odysseam, quibus τῶν χωριζόντων ratio habita est, quibusque ea supplentur, quae ex Scholiis in Iliadem docemur. Supplebo. T, 28: χοίνικος] ἀντὶ τοῦ δαπάνης, τροφῆς· ἅπαξ ἐνταῦθα ἡ φωνή· καὶ οὐ διὰ τοῦτο χωριστέον τῆς Ἰλιάδος τὴν Ὀδύσσειαν· κἀκεῖ γάρ εἰσι τοῦδε εὐτελέστερα ὀνόματα. Haec adversus τῶν χωριζόντων suspiciones dicta esse, ostendunt Schol. A. Iliad. λ, 147: ὅλμον δ' ὥς] ἡ διπλῆ δὲ ὅτι ἅπαξ ἐνταῦθα κέχρηται· καὶ ὅτι ἐν Ἰλιάδι εὐτελέσι κέχρηται λεξιδίοις, οὐ μόνον ἐν Ὀδυσσείᾳ, χοίνικος [τ, 28] καὶ λύχνου [ib. 34]· πρὸς τοὺς χωρίζοντας. Huc etiam refero quae ad Odyss. γ, 245, ubi de Nestore agitur,

τρὶς γὰρ δή μίν φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν

adnotantur: παρὰ τὸ ἐν Ἰλιάδι πεποίηται, „μετὰ δὲ τριτάτοισιν

ἄνασσεν“ [α, 252]· ἀλλὰ νῦν μὲν βασιλεῦσαι αὐτὸν τρίς, ἐκεῖ δὲ ἅπαξ, βιῶναι δὲ ἐπὶ τρίτην γενεάν· περιγραφομένων οὖν τῶν τριῶν στίχων τὰ τῆς διανοίας χαριέντα. Hanc igitur discrepantiam ut tollerent, erant qui tres Iliadis versus, 250—252, obelo circumscriberent: haec enim verbi περιγράφεσθαι vis; huius tamen notationis non fit mentio in Aristarchiis. Ad idem genus criseos fortasse pertinent quae ad Od. δ, 123:

τῇ δ' ἅμ' Ἀδρήστη κλισίην εὔτυκτον ἔθηκαν etc.

adnotantur: Σημειωτέον καὶ περὶ τῶν θεραπαινῶν· ἄλλαι μὲν γὰρ ἐν Ἰλιάδι, ἄλλαι δὲ νῦν· οὐ γὰρ εὐπρεπὲς τὰς μετεχούσας τοῦ ἁμαρτήματος ἐπιτρέπειν συνεῖναι τῇ γυναικί. Τινὲς δὲ γράφουσιν „ἅμα δραστῇ [l. δράστῃ] οἱονεὶ θεραπαίνα. Harl. Τρισυλλάβως τὸ Ἀδρήστη, ὡς Ἡρωδιανὸς καὶ Ἀρίσταρχος, et inter lineas: τινὲς δὲ δράστη, οἱονεὶ θεράπαινα.

De grammaticis iis, qui nomine τῶν χωριζόντων comprehensi fuerunt, posteaquam Grauertus l. l. ostendit, Xenonem et Hellanicum, Aristarchi aequales, intelligi, nulla amplius dubitatio est, atque qui ipse olim cum Thierschio, ea de caussa non semel, sed iterum eodem anno a Nitzschio castigatus, [5]) Zenodotum pro Xenone [6]) amplexus fui, nunc lubenter cedo argumentis a Grauerto propositis, quibus firmandis haec duo adiicio: primum quod notandis Zenodoti commentis, ut nunc constat, Aristarchus proprium signum adhibebat, non diplam puram, qua οἱ χωρίζοντες ab ipso notati sunt, sed punctatam; tum credibile non videtur,

5) Iahnii Jahrb. 1831. Vol. II. p. 3 et Ephem. litt. Hal. 1831. Suppl. 89. p. 706.

6) Genuinum esse Graecum nomen proprium Ξενών, quod in suspicionem incidit, testantur exempla post Grauertum a Papio exhibita, quibus addantur Cicero II Verr. III, 21 et 22. Macrobius Sat. I, 9. p. 186. Pont. Sed quum proclivis error librariorum sit Zenonem in Xenonem mutandi, quem erravit qui *Xeno* scripsit in Frontonis Epist. p. 171 ed. Rom., utar auctoritate lapidum inscriptorum, illud nomen passim confirmantium. V. Corp. inscr. Nr. 1699. Rossii Inscr. I. p. 23. Raoul-Rochette lettre à Mr. Welcker sur quelques inscriptions Grecques de la Sicile p. 15. 17. Rev. de philologie T. I. p. 351.

Aristophanem a magistro suo Zenodoto mirifice pendentem, huius de auctore Iliadis et Odysseae placitum, quod in exercenda crisi Homerica gravissimi debebat esse momenti, deseruisse, quum constet Aristophani utrumque carmen ab eodem auctore confectum visum esse: quod vel inde patet, quod in indicandis Iliadis et Odysseae locis singulis utroque carmine passim sine discrimine utitur.

4) πρὸς τὰς τῶν παλαιῶν ἱστορίας, quibus non tam fabulae proprie dictae quae ad res divinas humanasque spectarent, quam omnia quae antiquitates Homericas attingerent, comprehensa esse videntur. Cuius usus exempla per tota Scholia patent, ita ut Lehrsius quum singula quaeque argumenta ab Aristarcho explanata et notata seorsim tractaverit Diss. III. p. 166. sq., in paucis afferendis consistere licet. Iliad. ψ, 638: Σεσημείωται ὁ τόπος πρὸς τὰ περὶ τῶν Μολιονιδῶν ζητούμενα· ζητεῖται γάρ, τί ἐστι τὸ „πλήθει πρόσθε βαλόντες", καὶ ὁποῖοί τινες ἦσαν τὴν φύσιν ὡς λέγεσθαι ἐπ' αὐτῶν „οἱ δ' ἄρ' ἔσαν δίδυμοι", τίς τε τῆς ἁρματηλασίας ὁ τρόπος, καὶ τί τὸ τῆς νίκης αἴτιον. Ἀντόδωρος 7) μὲν οὖν ὁ Κυμαῖος τὴν μὲν φύσιν αὐτῶν, οἷά τίς ποτέ ἐστιν, οὐ προσποιεῖται, τινὰς

7) Nauci videtur Ἀντόδωρος, quae nominis ratio omni caret analogia, quandoquidem nullum nominis Graeci ab Ἀντο incipientis exemplum exstat: immo dicebatur Ἀντίδωρος, quod ipsum nomen licet falso eidem grammatico tribuitur in codice quodam Veneto, quem excussit Villoisonus Anecd. T. II. p. 173, simul recte ostendens, ubique Αὐτόδωρος legendum esse. Eandemque nominis formam praebet margo Codicis, ex quo Cramerus Anecd. Ox. T. IV. p. 320 haec vulgavit, quibus egregie simul de hominis studiis edocemur: Φασὶ δὲ Ἀντόδωρον [sic in contextu] τὸν Κυμαῖον πρῶτον ἐπιγεγραφέναι αὑτὸν [l. αὐτὸν] γραμματικόν, σύγγραμμά τι γράψαντα περὶ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου. Si iam in Iliade atque in aliquo carmine Hesiodio, cuius locus aetatem, ut puto, non tulit, ex Scholiorum loco supra laudato constat Molionidarum factam esse mentionem, haud male me iudice statues, quae de habitu Molionidarum de sententia Autodori Scholiis inserta sunt, ex hoc ipso, quod de Homero Hesiodoque conscripsit, opere sumpta esse.

8) De Aristarchi sententia rectissima v. Lehrs p. 179.

δέ φησι λέγειν ὅτι ἅρματα πλείονα καθῆκαν εἰς τὸν ἀγῶνα, οἷς ἐνεπόδιζον τὰ τῶν ἀντιπάλων, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ „πλήθει πρόσθε βαλόντες. Ἀρίσταρχος δὲ διδύμους ἀκούει οὐχ οὕτως ὡς ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ νοοῦμεν, οἷοι ἦσαν καὶ οἱ Διόσκουροι, ἀλλὰ τοὺς διφυεῖς, δύο ἔχοντας σώματα, [9]) Ἡσιόδῳ μάρτυρι χρώμενος, καὶ τοὺς συμπεφυκότας ἀλλήλοις. Huius de testimonii Hesiodii auctoritate quae Hermannus Comm. de iteratis apud Homerum, 1840, p. 12 sq. acute disputavit, non est huius loci expendere: quae enim Hesiodi nomine de Molionidis tradebantur, sive ad carmen illud antiquum, quod de Nestoris gestis exstitisse Hermannus ingeniose suspicatus est, pertinuisse, sive aliunde ea arrepta dicamus, certum est, ista quo conscripta essent, carmen quoddam Hesiodi nomine inscriptum veteres novisse, ex quo, ut hoc obiter adnotem, sumptum arbitror fragmentum quod ex Eustathio apud Goettlingium legitur CLV. p. 237 ed. pr.

Φυλέα — φίλον μακάρεσσι θεοῖσι.

Scilicet hic Phyleus idem est qui Augeae filius dicitur eiusdemque stirpis Actoriae, qua Molionidae prodierunt, fuit, v. Apollodor. II, 5. Tum casu factum non videtur, quod Iliadis loco, quem tractamus, victoriae Molionidarum de Nestore reportatae Phylei mentio praemittitur, ab illo, ut credibile est, non diversi:

δουρὶ δ' ὑπειρέβαλον Φυλῆά τε καὶ Πολύδωρον,

ex quo loco simul probabile fit, apud Hesiodum, si modo Φυλῆα reponas, necesse non esse ut hanc inter vocem et sequentes aliquid excidisse statuamus. Ceterum versui Homerico in contextu Ven. praefixa dipla.

Aliud exemplum Iliad. σ, 510: ἡ διπλῆ πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἔθος, ὅτι οἱ πολιορκούμενοι ἐξίστασαν τοὺς πολεμίους ἐπιμεριζόμενοι τὰ κτήματα, quae verba quum Aristonici sint, Lehrsii de sententia p. 12 admodum probabili, patet ea ad crisin Aristarchi respicere.

5) πρὸς τὴν Ἀττικὴν σύνταξιν. Schol. A. ε, 700: οὕτως Ἀρίσταρχος ἀμφότερα διὰ τοῦ ε̄ „προτρέποντο“ καὶ „ἐπὶ νηῶν“· λέγει γὰρ οὔτε προτροπάδην ἔφευγον ἐπὶ τὰς ναῦς· ἡ δὲ διπλῆ

πρὸς τὸ σημαινόμενον, ὅτι Ἀττικῶς ἐξενήνοχεν, οὐκ ἔφευγον ἐπὶ ναῦς. Schol. Odyss. γ, 151: ῆ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαϊκοῦ] Ἀττικῶς κατ' ἔλλειψιν, ἐν τῷ τόπῳ τοῦ Ἄργους. Ex innumeris grammaticorum locis addam unum Schol. E. Odyss. β, 404, quicum facit Harl. ap. Cram. Anecd. Par. T. III. p. 431.

6) πρὸς τὴν πολύσημον λέξιν. Prima haec vocis πολύσημος auctoritas, quae adhuc produci potuit. In Stephani Thesauro Parisiis iterum edito adverbium uno Clementis Alex. testimonio et hoc haud plane tuto firmatum est. De vocis significatione quum nullum dubium sit, intelligi πολύσημος λέξις ex mente criticorum videtur ea, quae propter varietatem significationis vario modo accipi potuerit et ipsa ita ambigui fuerit intellectus. Quale est ἀγήνωρ, de quo Schol. ad Iliad. ι, 699: ἡ διπλῆ ὅτι ἐνίοτε μὲν ἐπὶ ἐπαίνου ὁ ἀγήγωρ, ὁ ἄγαν τῇ ἠνορέῃ καὶ τῇ ἀνδρείᾳ χρώμενος, νῦν δε ἐπὶ ψόγου, ὁ ἄγαν ὑβριστικὸς καὶ διὰ τῆς ἀνδρείας ὑπερπεπτωκὼς εἰς ὕβριν. Vel ὑπερφίαλος, de quo Schol. ad ο, 94: ἡ διπλῆ ὅτι τὸ ὑπερφίαλος νῦν μὲν ἐπὶ ψόγου, ὑπέρσπονδος· ἐν ἄλλοις δὲ ἐν τάξει ἐγκωμίου. Vel στυγεῖν, de quo verbo v. Schol. Iliad. ο, 183. Cuius verborum classis innumera alia sunt exempla, petenda facile ex iis quae composuit Lehrsius Arist. p. 148. sq. quem etiam confer p. 158.

Adduntur ex usu glossographorum Homericorum Anecd. Rom. cap. I, item Aristarcho vindicanda:

7) πρὸς τὰ ἐναντία καὶ μαχόμενα, praesertim ubi locus in disceptationem a criticis adductus esset, quae dissidere secum viderentur, dissolvere studentibus, veluti Iliad. χ, 202, ubi Schol. A. ἡ διπλῆ πρὸς τὸ ζητούμενον, πῶς ὁ ποδώκης οὐ καταλαμβάνει τὸν Ἕκτορα; λέλυκε δὲ αὐτὸ ὁ ποιητής, ὅτι ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐβοηθεῖτο. Adde κ, 252. 372. ρ, 125, a Lehrsio Arist. p. 17 illustratum. Odyss. β, 89, ubi Schol. Harl. apud. Cram. Anecd. Paris. T. III. p. 429: τάχα δ' εἶσι τέταρτον] Ἡ διπλῆ πρὸς τὸ εἶσι δοκοῦν εἶναι ἀσύμφωνον· λέγεται ὡς τρίτον ἔτος μὲν ἔληθε δόλῳ· ἀλλ' ὅτε δὴ τέταρτον ἦλθεν ἔτος· διὸ καί τινες μετεποίησαν, ὡς διέτες μὲν ἔληθε δόλῳ, ὅτε δὴ τρίτον ἦλθεν ἔτος· οὐδὲν δὲ ἐναντίον ἔχει τὰ ἔπη· τὸ

γὰρ τάχα ἀντὶ τοῦ ταχέως· τὸ δὲ εἶσιν διέρχεται καὶ τὸ τέταρτον. Sed hic locus infra retractandus, ubi de dipla punctata sermo erit. [9])

8) πρὸς σχηματισμούς, ut affertur breviter in Anecdoti Rom. cap. II. cuius loco cap. I: πρὸς ἕτερα σχήματα πάμπολλα, quibus quum praesertim proprietates sermonis significentur, omnia ea comprehensa sunt, quae ad singularem elocutionis formam grammaticalem vel etiam poeticam et rhetoricam spectarent. Ex illo genere v. c. sunt quae adnotantur ad Il. δ, 357: γνῶ χωομένοιο] ἡ διπλῆ πρός τὸ σχῆμα, ὅτι τῇ γενικῇ ἀντὶ τῆς αἰτιατικῆς. Aliud diplae exemplum α, 324 una cum eadem explicatione πρὸς τὸ σχῆμα, quam primus ex Codice restituit Pluygers De ed. carm. Hom. et Schol. p. 7. Vel Odyss. ε, 422:

ἐξ ἁλός, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη,

ubi Schol. Harl. Ἀρίσταρχος γράφει „εἰν ἁλὶ ἅτε [leg. οἷά τε] πολλά, cuius adnotationis ratio, Buttmanno recte docente, explicatur verbis Q. ἡ δὲ διπλῆ πρὸς τὸ σχῆμα· καὶ ὅτι ἐν θαλάττῃ ὧν λέγει ἐξ, ἡ [ἤγουν?] διά. Nimirum, ut Buttmanni verba mea faciam, absurda illi videbatur praepositio ἐξ. Alia exempla praestant Iliad. ι, 77. π, 17. ω, 331. 332. Poeticae figurae exemplum suppeditat λ, 747: ἡ διπλῆ, ὅτι ἐκπέπτωκεν εἰς ποιητικὴν κατασκευὴν τὸ παρηγμένον ἠωΐκὸν

9) Incertum an ad Aristarchum referenda sint quae exstant in Schol. Harl. Odyss. γ, 230: Τηλέμαχε] Λαγαρός ἐστιν ὁ στίχος δὲ ἴσως με [Porson. em. μὲν] γέγραφε, Τηλέμαχ' ὑψαγόρη μέγα νήπιε ποῖον ἔειπες; τὸν δὲ δεύτερον περιείρει [idem recte περιαιρεῖ] τελέως διὰ τὸ μαχόμενον αὐτῷ, εἰ μὴ θεοὶ ὣς ἐθέλοιεν (vs. 228). Postrema ad vs. 231 spectant, ubi Ambros. Q. Σημειωτέον τὸν στίχον, ὅτι καὶ ἀνωτέρω οὐ περὶ Τηλεμάχου, περὶ δὲ Ὀδυσσέως εἴρηται, τίς δ' οἶδ' εἴκε ποτέ σφι βίας ἀποτίσσεται ἐλθών (vs. 216). Utraque observatio ad candem offensionem redit, cuius qui auctor fuerit quaeritur. Ac vere Porsonus viderat iu verbis δὲ ἴσως nomen critici alicuius latere, quem sequutus Buttmannus Ἴστρος, Boeckhius Ἰξίων reponendum suaserunt, in quibus conieccturis clementorum δε ratio habita non est. Mihi videbatur Aristarchi nomen, imperfecte olim scriptum, ex scriptura ΔΕΙCωC facilius prodire.

πρόσωπον κατὰ τὴν ποίησιν. Ad rhetoricum denique genus pertinet, ut unam de multis afferam, figura quae technicis dicitur ἐπανάληψις sive eiusdem vocis iteratio, cuius insigne exstat exemplum Iliad. ζ, 153:

ἐνθάδε Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,
Σίσυφος Αἰολίδης,

ubi Schol. A. ἡ διπλῆ πρὸς τὴν ἐπανάληψιν τοῦ ὀνόματος· καὶ ὅτι ἐν Ἰλιάδι συνεχῶς ταῖς ἐπαναλήψεσι κέχρηται, ἐν δὲ Ὀδυσσείᾳ ἅπαξ κατ' ἀρχάς „Αἰθίοπες, τοὶ διχθά." Quo testimonio ad refingendum Odysseae locum laudatum, α, 22, ubi de consensu codicum omnium, ut videtur, etiam optimi Vespasiani (nihil certe varietatis ab Heinsio enotatum est) vulgaretur

Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
οἱ μὲν δυσαμένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος,

cupidius usus est Bergkius Commentat. crit. Spec. V. p. III, qui lectionem Αἰθίοπες a Scholiasta suppeditatam figura epanalepseos memorata firmari ratus, eandem Homero vindicare studuit, insuper loci similitudine in eodem Iliadis libro vs. 395 commotus:

Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
Ἠετίων, ὃς ἔναιεν ὑπὸ Πλάκῳ ὑλήεντι.

Praeterea in subsidium afferuntur loci aliquot Strabonis, Stephani Byz. quibus, ubi versus ille Iliadis laudatur, pariter lectio Αἰθίοπες servari dicitur. Quibus auctoribus testem a Bergkio neglectum addamus ipsi laudatis multo antiquiorem, si quidem vera sunt quae eius de scriptoris aetate nuper constituta sunt, [10]) Geminum in Petavii Uranol. p. 53, nisi Cratetem ipsum Pergamenum, cuius ille de loci Homerici una appositi ratione sententiam refert: quam lectionem eo magis credibile est a Cratete approbatam esse, quo ea sermonis anomaliae, quam Cratetem iu regendis sermonis legibus scriptorumque locis tractandis sequutum esse con-

10) V. Brandes in Iahnii Jahrb. Suppl. T. XIII. p. 199.

stet, [11]) magis quam analogiae convenire videtur. Tam speciosa Bergkii ista argumentatio est, ut imprudenti facile imponere possit. At quum appareat, quae de usu Iliadis et Odysseae a scholiasta afferuntur, ad illustrandam epanalepseos rationen spectare unice, huius ad normam necesse est compositum sit quod ex Odyssea adducitur exemplum. Nihil enim agitur aliud, quam ut illo Iliadis loco dipla apposita iteratio eiusdem nominis, Σίσυφος, simpliciter notetur, minime eiusdem nominis casus mutatus, ita ut quum Αἰθίοπες ex Odyssea excitatur, casus mutatio per se spectanda sit, ut quae cum epanalepsi nihil habeat commune. Atque hanc figurae vim etiam technici ceteri agnoverunt, veluti Tiberius de fig. 26. p. 43. Boisson. Ἐπανάληψις δέ ἐστιν ὅταν τὸ αὐτὸ ὄνομα δὶς ἐν τῷ αὐτῷ καλῇ [lege κώλῳ] ἢ τῇ αὐτῇ περιόδῳ, κατὰ τοῦ αὐτοῦ σημείου τεταγμένον· οἷον, „οὐ μόνον κρίνετε τούτους τήμερον, οὔ." Καὶ πάλιν· „καίτοι φιλίαν αὐτὴν ὀνομάζει, καὶ νῦν εἶπέ που λέγων, ὁ τὴν Ἀλεξάνδρου ξενίαν ὀνειδίζων ἐμοί. Ἐγώ σοι φιλίαν Ἀλεξάνδρου." Tum idem paulo post de ipso usu Homerico: Οἱ μὲν οὖν πολιτικοὶ κατ' ἀρχῆς χρῶνται ταῖς ἀναλήψεσι καὶ τῇ παλιλλογίᾳ, Ὅμηρος δὲ καὶ ἐπὶ τέλει ἐχρήσατο εἰπών [Iliad. υ, 371]·

Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Quae comprobantur ipso codice Veneto, ubi versui dipla appicta est cum hac adnotatione: πρὸς τὴν ἐπανάληψιν, ὅτι ἐν Ἰλιάδι συνεχῶς, ἐν δὲ Ὀδυσσείᾳ ἅπαξ. Addamus aliud eiusdem usus exemplum ex Iliadis β, 870:

τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην,
Νάστης Ἀμφίμαχός τε, Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

Epanalepsis igitur, de qua veterum technicorum sententias varias collegit Ernestius Lex rhet. Gr. p. 116, [12]) in eiusdem

---

11) V. Wegener De aula Attalica I. p. 113. Elink Sterk in Symbol. litt. doctor. gymnas. Batav. Fasc. VIII. p. 3.

12) Adde Zonaeum de fig. in Boisson. Anecd. Gr. p. 511, nomine epanalepseos miscentem quae potius analepseos propria esse

et immutatae quidem phraseos repetitione versatur, quae si in Iliade crebro reperiri traditur, id nullo modo trahi potest ad illud genus, quod in se simul phrasin mutatam habet, quale exemplum praestaret in Odyssea lectio a Bergkio constituta: quo loquendi genere nullum rarius est. Atque scholiastam, quum epanalepsin in Odysseae loco agnosceret, de sola eiusdem nominis iteratione cogitasse, eius ostendit adnotatio ad verborum ex Iliad. ζ, 396 supra exscriptorum structuram simillimam: διπλῆ πρὸς τὴν ἐπανάληψιν, ὅτι πλεονάζει ἐν Ἰλιάδι, καὶ τὸ τῶν πτώσεων ἀκατάλληλον. Inter utramque igitur proprietatem dicendi distinxit, insuperque in nota praemissa, ubi rursus epanalepseos mentio facta est, hanc monuit debere esse ὁμοιόπτωτον, id quod illic locum non habet. Prorsus eadem figurae vis a scholiasta Ven. etiam adhibita ad haec Iliad. ε, 75 sq.

Εὐρύπυλος δ' Εὐαιμονίδης Ὑψήνορα δῖον,

et duobus interiectis versibus,

τὸν μὲν ἄρ' Εὐρύπυλος, Εὐαίμονος ἀγλαὸς υἱὸς,

ubi ad postremum vs., cui dipla appicta est, in Codice adnotatur: πρὸς τὴν ἐπανάληψιν τοῦ ὀνόματος, quae verba ab editoribus omissa, nunc demum tenebris erepta sunt industria Pluygersii p. 8. Cf etiam Schol. A. ad π, 467. Rem conficit Cocondrius in Boisonadii Anecd. Gr. T. III. p. 305, qui verbis praemissis ἐπανάληψίς ἐστι τῶν προειρημένων πάλιν ἐξ ὑπαρχῆς κατάλογος exempli gratia ipsum Odysseae locum, servata scriptura Αἰθίοπας, cum altero Iliadis supra laudato υ, 371 subiicit, addito tertio Iliad. χ, 127, qui eius utique generis est, quod crebro in Iliade reperiri traditum,

τῷ ὀαριζέμεναι, ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε,
παρθένος ἠΐθεής τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοισιν.

Alterum vero exemplum ex Odyssea attulit nemo, neque afferri potuit, quum si qui specie similes reperiantur loci, ii diversi re vera sint omnes, veluti γ, 155:

---

videntur vel a primitiva figurae natura certe abhorrent. Cernitur analepsis in iteratione subiecti per articulum. V. Schol. ο, 127.

ἡμίσεες δ' ἄρα λαοὶ ἐρητύοντο μένοντες
αὖθι παρ' Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι, ποιμένι λαῶν·
ἡμίσεες δ' ἀναβάντες ἐλαύνομεν,

quam repetitionis figuram nomine epanaphorae Eustathius designavit. Haec quum ita sint, repertae apud Scholiastam A. lectioni Αἰθίοπες, cuius rationem grammaticam cum epanalepsi nihil habere commune eiusdem aliorumque testium auctoritate ostendi, non tantum quantum Bergkius fidei tribuere possum: immo vitiis scribendi ideo adnumero, quod ratio lectionis Αἰθίοπες aliena est a structura eius loci Homerici, ad quem Odysseae locus ad eandem rem exemplo firmandam affertur, cui unice Αἰθίοπας convenit, uti Scholiastam revera scripsisse existimo. Quae praeterea ad sustentandam ipsius sententiam a Bergkio laudantur auctoritates, quibus versus singulus Αἰθίοπες, τοὶ διχθὰ etc. affertur, non tanti eas puto, quod scriptoribus in re illustranda unice occupatis rotundiorem scripturam loci nominativus prae accusativo solitario praestare videri poterat promptaque mutatione prodibat.

Addere iuvat epanalepseos exemplum Iliadi ex Euripidis diorthosi longe antiquissima iniectum, eodem figurae nomine recte ab Eustathio, qui unus ea de re tradidit, notatum, ad β, 865. ubi versui

οἳ καὶ Μήονας ἦγον ὑπὸ Τμώλῳ γεγαῶτας

Euripides fertur continuo subiecisse

Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι, Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ.

Ex genere rhetorico, quod tractamus, unam addo figuram syllepseos, saepe Aristarcho notatam, veluti ad Iliad. III, 24:

ἐν νηυσὶ κέαται βεβλημένοι, οὐτάμενοί τε,

ubi Schol. A. ἡ διπλῆ πρὸς τὴν σύλληψιν· οἱ μὲν γὰρ βεβλημένοι ἦσαν, οἱ δὲ οὐτασμένοι. Simillimos locos alios, qui συλληπτικῶς compositi et διπλῇ notati dicuntur, contulit Lehrs Aristarch. p. 62. Adde Iliad. τ, 47:

τὼ δὲ δύω σκάζοντε βάτην Ἄρεος θεράποντε
Τυδείδης τε μενεπτόλεμος καὶ δῖος Ὀδυσσεύς,

ubi Schol. D. συλληπτικῶς πέφρακε· μόνος γὰρ ὁ Διομήδης ὤφειλε σκάζειν, κατὰ τοῦ ταρσοῦ τετρωμένος, ὁ μέντοι Ὀδυσσεὺς τὴν πλευράν, quibus iam patet aliorum doctrinam sapere quae continuo subiiciuntur: εἰ μὴ κατὰ συμπάθειαν τῶν μερῶν δόξαιμεν αὐτὸν τοῦτο πεπονθέναι. In syllepseos exemplis hic locus apponitur ab Herodiano de fig. p. 59, cum nota: πιθανὸν γὰρ ἦν αὐτῶν τὸν ἕτερον σκάζειν, τὸν κατὰ τοῦ ταρσοῦ τετρωμένον. Eiusdem rationis est τ, 49: ἔγχει ἐρειδομένω, ubi Schol. A. ἡ διπλῆ, ὅτι συλληπτικῶς εἴρηκεν· ὁ γὰρ Διομήδης μόνος τὸν πόδα τετρωμένος ὑπέρεισμα ἔχει τὸ δόρυ. Ab eodem Herodiano l. l. subiungitur ι, 5:

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον.

Μόνος γὰρ ὁ Βορέας ἀπὸ Θράκης ἐκπνεῖ. Quod in scholiis Homericis traditur ab aliis συλληπτικῶς, ab aliis συνεκδοχικῶς dictum esse. Rursus aliud eiusdem figurae exemplum affert Trypho in Boisson. Anecd. T. III. p. 282 ex Iliad. κ, 561: τὸν τρισκαιδέκατον σκοπὸν εἵλομεν, quibus adiungit: καί τοι τοῦ Διομήδους μόνον αὐτὸν [Δόλωνα] ἀνελόντος. Schol. A. ἡ διπλῆ, ὅτι τοῖς δώδεκα Θρᾳξὶ τὸν Δόλωνα ἐπαριθμεῖ, χωρίσας τὸν Ῥῆσον διὰ τῶν προσειρημένων „τὸν δέ σφιν ἄνακτ᾽ ἀγαθὸς Διομήδης." Sequitur alterum apud Tryphonem exemplum ex Thersitae sermone petitum β, 228: εἴτ᾽ ἂν πτολίεθρον ἕλωμεν, ubi adnotatur: συγκαταριθμεῖ ἑαυτὸν τοῖς ἀριστεῦσιν, ἀσθενὴς καὶ οὐδαμινὸς τυγχάνων. Qui quidem locus sine dipla in Scholiis dimittitur.

Alia figura est κατ᾽ ἐξοχήν, de qua Herodianus p. 60: γίνεται ὅταν τῶν ἐν τῷ κοινῷ ῥηθέντων ἰδίᾳ καθ᾽ ὑπεροχὴν μνησθῶμεν τινῶν·

Ζεὺς δ᾽ ἐπὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσεν.

εἷς γὰρ ἦν τῶν Τρώων καὶ ὁ Ἕκτωρ, ἰδίᾳ δὲ εἴρηται, ὅτι ἄριστος· καί,

οὐ γὰρ ἔτ᾽ Οἰνῆος μεγαλήτορος υἱέες ἦσαν,
οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἔτ᾽ αὐτὸς ἔην, θάνε δὲ ξανθὸς Μελέαγρος·

ὅπερ οὐ νοήσαντες οἱ νεώτεροι τὸν Μελέαγρον, Ἄρεως ὄντα, κεχωρίσθαι τῶν Ὀνειδῶν ἔδοξαν. Ad posteriorem locum Iliad. β, 641. Schol. A. ὅτι Ζηνόδοτος τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς ἠθέτηκεν,

ἴσως ὑποπτεύσας τὸν Μελέαγρον κεχωρίσθαι τῶν Οἰνέως παίδων· εἴρηται δὲ ἐξ ὀνόματος κατ' ἐξοχήν, καθάπερ ἐπὶ τοῦ „Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα (Iliad. ν, 1)· καὶ γὰρ ὁ Ἕκτωρ Τρὼς ἦν.

Nolo plures perlustrare eius generis figuras. Illos vero grammaticorum locos eo fine simul apposui, quo unde doctrina ipsorum cummaxime hausta esset constaret.

Porro ex Schol. A. etiam hae rationes signandi ad Aristarchum probabiliter referendae:

9) πρὸς τὸ σημαινόμενον. Ad λ, 754. Agitur in Schol. de explicatione lectionis variantis δι' ἀσπιδέος et διὰ σπιδέος πεδίοιο et postquam in his etiam Aristarchi de superiorum criticorum commentis iudicium allatum est, adiiciuntur: ἡ διπλῆ πρὸς τὸ σημαινόμενον τὸ ἀπὸ τῆς λέξεως, scilicet ad notandum vocis insolentioris et obscurae significationis usum.

10) in anaphora. Schol. A. ξ, 45: ἡ διπλῆ ὅτι ταῦτα ἀναφέρεται ἐπ' ἐκεῖνα „ἔλπομαι εὐχόμενος Διΐ (Iliad. θ, 526) καὶ „μνημοσύνη τις ἔπειτα πυρὸς δηΐοιο γενέσθω, ὡς πυρὶ νῆας" (ibid. 181).

11) in dissensu Homeri cum aliis scriptoribus. Ad Iliad. β, 867: βαρβαροφώνων Schol. A. ἡ διπλῆ ὅτι Θουκυδίδης λέγει τὴν ὀνομασίαν τῶν βαρβάρων νεωτερικὴν εἶναι· ἐλέγχεται δὲ ἐντεῦθεν. At Schol. Thucyd. I, 3, ad quem locum cf. Poppo Vol. III, 1. p. 60, adnotavit versum Homeri ut spurium. In exemplo Veneto diplae signum appositum. Alterum exemplum suppeditat mox vs. 872:

Νάστης Ἀμφίμαχός τε, Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα,
ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πόλεμόνδ' ἴεν, ἠΰτε κούρη.

Schol. A. ἡ διπλῆ, ὅτι ἐπὶ τοῦ Ἀμφιμάχου ἐστὶ τὸ „ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων," ὁ δὲ Σιμωνίδης ἐπὶ τοῦ Νάστου λέγει· καὶ ὅτι οὐ λέγει ὅπλα αὐτὸν ἔχειν χρυσᾶ, ὡς καὶ πάλιν ὁ Σιμωνίδης ἐξέλαβεν, ἀλλὰ κόσμον χρυσοῦν· λέγει γάρ „ἠΰτε κούρη"· ἐνεπλέκοντο γὰρ χρυσὸν οἱ βάρβαροι· „πλοχμοί θ' οἳ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο" (Iliad. ρ, 52).

De singulari diplae purae usu Aristarchio in laudandis

lectionibus Zenodotiis, praeter consuetudinem adhibito, dicetur ad §. seq.

§. 35.

De dipla punctata Aristarchi.

Anecdotum Rom.: χρῆται Ἀρίσταρχος πρὸς Ζηνόδοτον τὸν διορθωτήν. Isidorus Orig. I, 20, 15: „Diple περιεστιγμένη, id est cum geminis punctis. Hanc antiqui in iis apponebant, quae Zenodotus Ephesius non recte adiecerat, aut detraxerat.“ Exempli loco esto Iliad. σ, 239: ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „ἐνθάδε [immo ἔνθα δὲ] κοῦροι ὄλοντο δυώδεκα πάντες ἄριστοι οἷσιν ἐν βελέεσσιν·“ εἰσὶ δὲ οὔτε τῇ συνθέσει Ὁμηρικοί, οὔτε τὸ „οἷσιν βελέεσσιν“ ὑγιῶς εἴρηται τοῖς ἑαυτῶν· ἔδει γὰρ τοῖς ἀλλήλων. Adde γ, 273: ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων] ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „ἀρνέων ἐκ κεφαλέων· „ἀπὸ δὲ τῶν κατὰ τὴν ὀρθὴν ληγόντων εἰς ες οὐ γίνονται τοιαῦται διαιρέσεις, ἀλλ' ἀπὸ τῶν εἰς αι· εἰ δὲ ἄρνες, ἀρνῶν· ἀπὸ δὲ τοῦ κεφαλαὶ κατὰ λόγον κεφαλέων. Alia exempla eiusdem libri vs. 279. 280. β, 658. μ, 346. π, 98, et locis sexcentis aliis, magna ex parte notatis a Siebenkeesio p. 80. sq., tum in Scholiis ipsis tum in contextu Iliadis, quibus examinatis et inter se collatis haud parum proficimus in pernoscenda crisi Homerica, quod malo cum Pluygersii verbis De Zenodoti carm. Hom. editione p. 2. explicare: „In veterum igitur criticorum lectionibus indagandis hoc est tenendum, eos versus, quibus διπλαῖ περιεστιγμέναι appictae sint, aliter legisse Zenodotum, aliter Aristarchum. Egregie itaque faciunt ad Zenodoti nomen restituendum in iis Scholiis ex Aristonici libris oriundis, in quibus, omissis epitomatorum socordia nominibus, legimus τινάς diverse ab Aristarcho versum aliquem edidisse.“ Confer etiam quae idem p. 8. 9. congessit ad crisin Homeri pertinentia Zenodotia exempla, et Düntzer Zenod. p. 79. not. 45. Praeterea notandum, tam in Scholiis quam in contextu sive socordia librariorum, sive quantum quidem ad

Scholia epitomatoris studio brevitatis quodam passim diplam puram pro punctata exhibitam deprehendi, id quod exemplis infra apponendis testatum dabimus. Interim adeas quae composuit Pluygers p. 5, qui numquid discriminis in utriusque signi usu in Scholiis A. esset frustra se quaesisse tandem professus, nunc in consensu testium grammaticorum de ratione, qua Zenodotia lectio ab Aristarcho notata est, eo confidentius stari posse concedet, quo facilius abusus a me notati origo a negligentia illa librariorum singulari, qua codicem Venetum exaratum supra probavimus, repetitur. Addamus hic statim in Schol. ad Odyss. β, 89 ex cod. Harl. apud Cramerum Anecd. Par. T. III. p. 429 supra §. 34, 7 producto eo probabilius diplam punctatam intelligi, quo certius est verbis τινὲς μετεποίησαν Zenodotum significari. Ceterum uno, quem sciamus, loco Aristarchus a consueta signandi ratione discessit, puram diplam pro punctata in Zenodotum apponendo, teste auctore apospasmatii, in cod. Veneto exhibiti, p. III. ed. Bekk.: de quo loco v. §. 6, ubi simul eius rei singularis caussam indagare studui. Nam idem auctor diplae punctatae usum ex consuetudine Aristarchi in tractando Zenodoto paulo post adseruit: πρὸς μὲν δὴ Ζηνόδοτον αὐτῷ (Aristarcho) ἡ παράθεσις τῆς περιεστιγμένης διπλῆς πρὸς ἑκάστην γραφὴν ἀκριβέστερον θεωρεῖται.

His positis patet iam haud integrum esse Anecdoti Harleiani locum eum, quo de dipla sic scribitur: ἡ δὲ ἀπερίστικτος διπλῆ πρὸς τὰς Ζηνοδοτείους μεταγραφάς, quandoquidem dipla pura nihil ad Zenodotum. Scilicet exciderunt post verba ἀπερίστικτος ea, quae ad hanc notam explicandam pertinerent. Hoc ita esse certo coarguitur indice signorum explicationi singulorum quorumque praemisso, quo utraque dipla, punctata et pura singulatim afferuntur: quam iacturam quum librarius non animadverteret, factum ut continua oratione exhiberentur omnia quae servata reperisset. Ceterum casu minime factum videtur, quod in Zenodotiae diorthoseos mentione apud

Harleianum librarium tentamina Zenodotia nomine μεταγραφῶν appellantur peculiari, quandoquidem in referendis eiusdem diorthoseos lectionibus Scholiasta Venetus innumeris locis verbo μεταγράφειν utitur, quod Latine *permutare* redditur in Anecdoto Paris. de notis p. 87.

Ab Aristarchi usu posteriores critici Homerici nihilo discesserunt, praeterquam quod praeter Cratetis lectiones nunc simul etiam Aristarchi ipsius scripturam, id quod res ipsa postulabat, dipla punctata notarunt: qua de re mox dicetur. Quantum ad Aristarchi scripturas notatas pauca sufficient exempla. Notandum vero in Scholiis Ven. brevitatis caussa creberrime diplam appellari simpliciter, ubi dipla punctata nominanda fuerat, quod vel unus hic locus docere potest, qui simul ad rem ipsam pertinet, de qua agitur, ν, 808: ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος ὑποτάσσει „λίην γάρ σφι πᾶσιν ἐκέκριτο θάρσεϊ πολλῷ·“ τοῦτο δὲ ἐπὶ τῶν προκειμένων δηλοῦται· καὶ ὁ Ἀρίσταρχος περὶ τοῦ στίχου οὕτως λέγει, ὅτι ἐν τοῖς Ζηνοδοτείοις ἐφέρετο. Cui versui in contextu signum diplae punctatae praefixum est. Idem factum χ, 546. Contra ι, 634, ubi Schol. A. ἑπτά: ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος ἐλέγχεται γράφων ἕξ, ἀτὰρ ἑβδομάτην Βρισηΐδα· χωρὶς γάρ εἰσιν αἱ ἑπτά. Hic in contextu pariter dipla pura, ut etiam θ, 448. Recte vero ι, 637 dipla punctata adscripta legitur, illustrata a Schol. A.: πλῆθυος ἐκ Δαναῶν ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „ἀθρόοι ἐκ Δαναῶν“· πῶς δὲ ἀθρόοι ἐληλυθέναι δύνανται δύο ὄντες. Est etiam ubi Zenodoto non nominato propter diplam punctatam contextui adpictam illa quae in Scholiis referuntur probabiliter vindicantur, ut ξ, 117, auctore Pluygersio p. 9. Dubiae conditionis est locus γ, 277, in contextu dipla punctata instructus,

ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις,

ubi Schol A. ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι ἥλιος ἀντὶ τοῦ ἥλιε, ὡς κἀκεῖ „δὸς φίλος“ [Odyss. ρ, 415] καὶ „ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ [Iliad. χ, 106]. Καὶ πρὸς τὴν ἀθέτησιν τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ „ὠκέα δ' ἠελίῳ ὑπερίονι ἄγγελος ἦλθεν“ [μ, 374] περὶ τῆς ἀπωλείας τῶν βοῶν τῷ πάντας ἐφορῶντι. Quae de athetesi

hic afferuntur cum dipla nihil commune habent, et spectant unice ad Odyss. l. l., ubi Scholia ostendunt fuisse qui propter hunc ipsum locum Iliadis offendissent et λύσιν discrepantiae quaesiissent. Zenodotum offendisse, nemo tradidit: si tamen offenderat, eius offensionis notatio ab Iliadis loco, quem nemo in suspicionem vocavit, aliena fuisset.

Praeterea designandus est β, 197, in codice Ven. usus diplae punctatae cum obelo iunctae ⸖ —, ubi posterius signum non spectat ad Zenodotum, sed ad crisin eorum qui hunc versum cum praecedentibus quatuor in spuriis retulisse in Schol. traduntur, prius vero ad Zenodotum. Eiusdem signationis et rationis alterum est exemplum (plura non novi) λ, 781:

σφὼ δὲ μάλ' ἠθέλετον, τὼ δ' ἄμφω πόλλ' ἐπέτελλον,

ubi patet diplam punctatam ad Zenodotum ἀθελέτην scribentem, obelum ad ipsum versum, qui cum ceteris inde a vs. 766 nonnullorum iudicio, Aristarchi puta, condemnarentur, pertinuisse.

Deprehenditur, quod postremo notandum, in contextu Iliadis Veneto nonnumquam, licet rarius, asterisco subiuncta dipla punctata, in ipsis Scholiis, si recte memini, non commemorata: quae signandi ratio, a consuetudine Aristarchi aliena, qua ἀθέτησις Zenodotia indicatur, debet a posterioribus profecta putari, quamquam eius nulla apud scriptores mentio fit. Exempli loco affero α, 208 et 209, ubi v. Scholia.

§. 36.

De obelo Aristarchi [1]).

Anecdotum Romanum: τῷ ὀβελῷ [χρῆται Ἀρίσταρχος] πρὸς ἀθέτησιν, quibuscum prorsus consentiunt notarum scriptores ceteri, uno excepto Isidoro cum Anecdoto Parisiensi,

---

1) Villois. Proleg. p. XVII. Gräfenhan Gesch. d. klass. Philologie T. II. p. 93.

quorum hoc p. 85, origine falsorum versuum appellationisque simul festive declarata: »Obelus versibus apponitur hac causa. Pisistratus quondam Atheniensium tyrannus, inordinata et confusa adhuc poesi Homeri, praemio sollicitare proposuit eos qui [Cod. *quia*] ordinarent [Cod. *ordinassent*], iisque praemii nomine in singulos versus singulos obelos constituit. Mercede multi inducti pauperes, quibus ingenium affluebat, quoniam aut invenire aut disponere, ut [abest *ut* a Cod.] debebant [Cod. *debebat*], non poterant, fingendo plurimos versus operis nobilitatem corruperunt. Unde evenit, ut postea prudentiores viri, quorum summus in hac re fuit Aristarchus, quotiens inprobarent [Cod. *inprobaret*] versus quasi aut malos aut non Homericos, obelum potissime notandum existimarent [Cod. *existimaret*]. Nam et ipsius Homeri proprios et non eo dignos eadem hac nota condemnarunt.« Horum quae postremo loco leguntur, ea ad criticorum Aristarcho posteriorum potius rationem ab illo distinendam spectare videntur, quam pariter spectavit Isidorus I, 20, 3: »Obelus, id est virgula iacens, [2]) apponitur in verbis vel in sententiis superflue iteratis, sive in iis locis, ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta iugulet supervacua atque falsa confodiat. Sagitta enim Graece ὀβελὸς dicitur.« Nam quod iterata esset aliqua sententia vel versus, id solum Aristarcho non tanti visum, ut ἀθέτησιν suam adhiberet, quum praesertim iteratis notandis alia signa praesto haberet varioque modo de talibus iudicandum esse censeret, id quod testantur quae de eius usu asteriscos et antisigma apponendi traduntur.

Iam ut missa faciamus somnia illa, quibus grammatici laudati cum Anonymo in Villoisoni Anecd. T. II. p. 183. (Bekk. Anecd. T. II. p. 768.) in origine obelorum usus a Pisistrati inde temporibus repetenda sibi placuerunt, quod ad obeli signum attinet, quod notandis non solum Homeri-

2) Ob figurae similitudinem, quare etiam ῥάβδος Graece dicebatur. Hesych. 'Ράβδοι, ὀβελοί, οἱ περιτιθέμενοι τοῖς 'Ομήρου στίχοις.

cis, sed aliis quoque veterum scriptis teste Eustathio ad Iliad. ν, 730. p. 957 adhibitum, ab Aristarchi inde tempore proverbialiter de quavis ἀθετήσει etiam in aliis multis litterarum generibus dictum est atque etiamnunc ore criticorum retinetur, [3]) contigit summam usus ab Aristarcho inhibiti ex testimonio luculentissimo cognoscere, quod ex cod. Veneto supra §. 6 integrum descripsimus. Hoc collato quum primum doceamur, Aristarchum eo signo minime primum usum esse, sed id ex disciplina Zenodoti suum fecisse (τὸν δὲ ὀβελὸν ἔλαβεν ἐκ τῆς Ζηνοδότου διορθώσεως), qua de re supra §. 23 dictum est, tum eius signi vis talis esse dicitur, ut versus, cui appositum esset, Homeri esse negaretur, dignus quidem qui ex corpore carminis quasi mortuus ex coetu hominum expelleretur, interim tamen retineretur: quam rationem obeli, in ceteris insipiens, quippe qui quae de usu obeli in scriptis sacris adhibito in comperto haberet, ad Homericum aperte transferret, vere tamen his enarravit Grammaticus Bekkeri Anecd. T. II. p. 768: ἐπειδὴ δέ τινες τῶν συναγαγόντων τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους πρὸς τὸν Πεισίστρατον διὰ τὸ πλείονα μισθὸν λαβεῖν καὶ ἰδίους στίχους... σκεψάμενοι προσέθηκαν, καὶ ἤδη ἐν συνηθείᾳ ἐγένοντο τοῖς ἀναγινώσκουσιν, οὐκ ἔλαθε τοῦτο τοὺς κριτάς, αλλὰ διὰ μὲν τὴν συνήθειαν καὶ πρόληψιν ἀφῆκαν αὐτοὺς κεῖσθαι, ὀβελίσκους δὲ ἑκάστῳ τῶν ἀδοκίμων καὶ ἀλλοτρίων καὶ ἀναξίων τοῦ ποιητοῦ στίχων παρατιθέμενοι, τοῦτο αὐτὸ ἐνδείξαντο ὡς ἀνάξιοί εἰσι τοῦ Ὁμήρου. Tum fragmento illo Veneto docemur de duplici eius notae vi: primum ut designaret versus, quibus aliquod contineretur, quod recte fieri nequiret, cuius rationis exemplum laudatur Odyss. λ, 603:

τέρπεται ἐν θαλίῃ καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,

quae enim sempiterna putetur virgo, eam Aristarchus negat nubere cuiquam posse (ἀδύνατον γὰρ τὴν διηνεκῶς παρθένον παραδεδομένην γεγαμῆσθαι). Cuius adnotationis Aristarchiae nullum in Scholiis Ambros. servatum est vesti-

---

3) V. Trotz De prima scribendi origine, Ultraiecti 1738. p. 170.

gium. Non opus exemplis pluribus, quae desideranti suppeditabit Siebenkeesius p. 73. Egregios binos atheteseos Aristarchiae locos egregie tractat Lehrsius p. 195. sq., alios Pluygers p. 2. Alteram ἀθετήσεως rationem, quoniam et alia nota signatur et illi similis tantum est, ubi de obelo cum asterisco sermo erit (§. 38), tractabo.

Ceterum non satis veterum criticorum in designanda ἀθετήσει praedicari potest prudentia, quod quum versus de fide suspectos protinus eliminari de contextu licuisset, quo sat magna Homericorum carminum pars aeternae oblivioni commissa fuisset, eos in contextu servare, atque Aristophane et Aristarcho (v. Lehrs p. 375) ducibus (nam de Zenodoto ambigitur, v. Nauck Aristoph. Byz. p. 26) tamquam spurios signo notare maluerunt, unicuique iudicio suo ipsorum de sententia uti permittentes. V. Anon. in Villoisoni Anecd. T. II. p. 183 (Bekkeri Anecd. T. II. p. 768). Quorum temperantiam vellem nostrae quoque aetatis critici quamplurimum sequerentur.

§. 37.

De asterisco Aristarchi.

Tertium quasi, sed improprium ἀθετήσεως Aristarchiae genus auctor Veneti apospasmatii adiunxit, obelo etiam in Anecdoto Romano continuo subiunctum, quod consistit in nota obeli cum asterisco coniuncti, de quo dicam quum antea de asterisco, qui in Anecdoto Rom. ultimum ordine locum obtinet, exposuero. Asterisci igitur puri, cuius figuram §. 21 [1]) tetigi, si audimus Anecdotum Romanum cap. I et II et Venetum, prorsus inter se convenientia, ea fuit potestas, ut in eorundem versuum repetitione asteriscus ei apponeretur, qui suo loco recte positus videretur nullamque offensionem haberet. Plane consentit Anecdotum Paris. p. 86: „Asteriscum Aristophanes apponebat illis locis, quibus sensus deesset: Aristarchus autem ad eos, qui in hoc

1) Nonnulla, sed non satis discreta Gräfenhan l. l. T. II. p. 95.

puta loco positi erant, cum aliis scilicet non recte ponerentur.« Anecdotum Harl. iusto brevius ideoque non vere, licet ad veritatem prope: πρὸς τὰ Ὁμήρου ἔπη τὰ καλῶς κείμενα; quae magis usum posteriorum criticorum sapiunt, nisi ex iis quae continuo sequuntur de asterisco cum obelo pateret, ista simul habita horum verborum ratione dicta esse. A vero autem Isidorum aberrasse, aut posuisse, quae ad aliorum scriptorum usum pertinuissent, minime ad Aristarchium, patet, dicentem I, 20, 2: »Asteriscus adponitur in his quae omissa sunt, ut illucescant per eam notam, quae deesse videntur. Stella enim ἀστὴρ dicitur Graeco sermone, a quo *asteriscus* derivatur.« Similiter, simul ratione originis habita, signi vim, qualem posteriores suam fecerunt, et in scriptis sacris adhibuerunt, respiciens Epiphanius de mensuris p. 160. T. II. p. 160. ed. Petavii: ἐπίστασαι τοῦτο, ὅτι ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ οἱ ἀστέρες εἰσί, κἂν τε ὑπὸ νεφελῶν ἢ ἡλίου καλυφθῶσι, τούτῳ τῷ νοήματι ὁ τοὺς ἀστερίσκους παραθεὶς ἐποίησεν, ἵνα σοι δόξῃ, ὅτι οἱ λόγοι, οἷς παράκεινται οἱ ἀστερίσκοι, πεπήγασι μὲν ἐν ταῖς Ἑβραϊκαῖς λέξεσιν, ὥσπερ οἱ ἀστέρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ, ἐκαλύφθησαν δὲ ὑπὸ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνέων, ὡς [vulgo ἑρμηνείας] οἱ ἀστέρες ὑπὸ τῶν νεφελῶν καλύπτονται. Ad Aristarchi autem usum rursus respexisse videtur, licet iusto breviore rei expositione usus, Eustathius ad Odyss. ι, 252. p. 1627: δηλοῖ γὰρ τὸ σημεῖον ὁ ἀστερίσκος, ὡς ἄριστα ἐν τῷ τόπῳ κεῖται τὸ ἔπος καὶ οἷον ἐκλάμπει. Idem ad Iliad. ε, 733. p. 599: τίθεται ἐπὶ τῶν ἄριστα ἐχόντων ἐπῶν καὶ ἀστεροειδῶς οἱονεὶ λαμπόντων, ὡς ἐν καλῷ τόπῳ κειμένων. Similia idem ad Odyss. π, 293. p. 1038. Exempla asterisci Aristarchii Homerica §. seq. exhibebuntur.

§. 38.

De obeli cum asterisco iuncti usu Aristarchi.

Proxima asterisco puro et si rationem spectas quam maxime cognata est nota asterisci cum obelo iuncti, quam superiore §. verbo tetigimus. Anecdotum Rom. c. II.:

ἀστερίσκῳ δὲ σὺν ὀβελῷ [χρῆται Ἀρίσταρχος] πρὸς τὸ εἶναι μὲν τοὺς στίχους Ὁμήρου, κεῖσθαι δὲ ἐν ἄλλῳ τόπῳ καλῶς· οἷς καὶ ἀστερίσκος μόνος παράκειται. Etiam planius cap. I: ὁ δὲ ἀστερίσκος μετὰ ὀβελοῦ, ὡς ὄντα μὲν τὰ ἔπη τοῦ ποιητοῦ, μὴ καλῶς δὲ κείμενα ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ, ἀλλ' ἐν ἄλλῳ, quibuscum consentiunt Anecdotum Ven. et Harl. [1]) Parisiensis eadem sed concisius ideoque obscurius tradentis verba §. praecedente apposui: a quo pendet Isidorus I, 20, 7: »Asteriscus cum obelo. Hac proprie Aristarchus utebatur in iis versibus, qui suo loco positi erant,« ubi quod dicitur de proprietate eius usus Aristarchia quomodo accipiendum sit, illustravi ubi de Aristophane sermo fuit, §. 24, a quo Aristarchus mutuatus est. Egregie rem exemplo illustrat apospasmatii Veneti auctor: ὅταν δ' ὁ Ἀγαμέμνων λέγῃ πρὸς τὸν Ἀχιλλέα

αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη πόλεμοί τε μάχαι τε,

ἐνταῦθα ἠθετῆσθαί φησι [Aristarchus], χάριν τοῦ βασιλέως ὀφείλοντος, εἰ τοιοῦτός ἐστιν ἐν πολέμῳ ὁ κατ' ἐπικουρίαν ἥκων· διόπερ ἐπὶ μὲν τοῦ λεγομένου ὑπ' Ἀγαμέμνονος ὀβελὸς παρακείσεται καὶ πρὸς τούτῳ ἀστερίσκος· δηλοῖ δὲ τοῦτο, ὅπου ἂν ᾧ κείμενος σὺν τῷ ὀβελῷ, ὅτι Ὁμήρου μέν ἐστι, φαύλως δ' ἐνταῦθα κεῖται. Pugnant quidem cum his quae ad versum illum Homericum, Iliad. α, 177, in Schol. A. leguntur: ἀστερίσκος ὅτι ἐνταῦθα ὀρθῶς εἴρηται, ἐν δὲ τῇ Ὀδυσσείᾳ οὔ. Sed omnia in hoc Scholio misero modo, cuius quidem caussam non perspicio, turbata sunt. Primum enim versus iste in Odyssea hodie non legitur, sed exstat repetitus Iliad. ε, 891, ubi quae in eodem Cod. Veneto A. adnotantur, non solum cum iis quae auctor apospasmatii tradit, conveniunt, sed ita comparata sunt, ut ostendant, Scholiastam illic alia adnotare debuisse: ὁ ἀστερίσκος, inquit, ὅτι ἐντεῦθεν μετενή-

---

1) Haud recte Gräfenhan l. l. T. II. p. 94: „Wenn Stellen zwar schön, aber am unrechten Orte angebracht waren, so notirte man ein solches ästhetisches Bedenken mit einem Obelos und Asteriskos."

νεκται ἐν τῇ πρώτῃ ῥαψωδίᾳ ἐπὶ τὸν πρὸς Ἀχιλλέα ὑπὸ Ἀγαμέμνονος λόγον. Ex hoc igitur loco Aristarchus versum illum male translatum iudicavit, Homericum quidem, sed non suo loco positum. Quae quum iam Heynius Obs. T. IV. p. 66. perspexisset, recte censuit, primae rhapsodiae loco obelum cum asterisco apponi debuisse, quod nunc tum apospasmatio Veneto, tum Diomedis in Dionysium Thrac. scholio in Villoisoni Anecd. Gr. T. II. p. 173 egregie confirmatum est, ubi commemorato vs. 176 subiiciuntur: τὸν ἑξῆς δεῖ ὀβελίζειν ἔξωθεν ἀποστερίσκῳ σημειώσασθαι (paulo correctius cod. Marc. 489 δεῖ μετ' ἀστερίσκου ἔξωθεν σημειώσασθαι), ὡς ἐνταῦθα μὲν οὐκ ὀρθῶς ἐγκειμένου τοῦ στίχου, ἀλλαχοῦ δὲ ἐπιτηδείως· οὐκ ἂν γὰρ αὐτὸν Ἀγαμέμνων διὰ τοῦτο ἐβδελύττετο, ὡς φιλοῦντα τοὺς πολέμους· τί γὰρ τούτου ἐπιτηδειότερον ἔργον τῷ στρατηγῷ, ἢ πόλεμος. Haec utriusque loci Homerici notatio Aristarchia tam certis auctoritatibus nititur, ut quum in contextu Veneto versui priori solus asteriscus appositus reperiatur, id sorordiae librarii manifeste tribuendum sit, quod nunc video etiam Pluygersium De ed. carm. Hom. et Schol. p. 6. statuisse.

Aliud persimile exemplum Odyss. α, 99:

εἵλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος, ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ,
βριθύ, μέγα, στιβαρόν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν
ἡρώων, τοῖσίν τε κατέσσεται Ὀβριμοπάτρη,

ubi Schol. Ἀθετοῦνται μετὰ ἀστερίσκων, ὅτι ἐν τῇ τῆς Ἰλιάδος καλῶς. Scilicet primus versus exstat κ, 135, duo alteri ε, 746. Praeter asteriscos igitur his Odysseae versibus obeli adiecti erant: illis ex Iliade singuli asterisci puri. Hoc modo scilicet Aristarchus retractasse et correxisse videtur prioris cuiusdam critici, Zenodoti puta vel Aristophanis, sententiam, totum locum inde a vs. 97 in spuriis quippe referentis, teste scholio his versibus adscripti, in cod. Hamburgensi ap. Prellerum I. p. 11: προηθετοῦντο κατ' ἔνια τῶν ἀντιγράφων οἱ στίχοι· κατὰ δὲ τὴν Μασσαλιωτικὴν οὐδ' ἦσαν, quibus quae subiiciuntur ea ad infirmandam versuum auctoritatem apponuntur: καὶ ταῖς ἀληθείαις μᾶλλον ἁρμόσειεν καθ'

῾Ερμοῦ· ἴδιον γὰρ ἀγγέλων τοιούτοις ὑποδήμασι χρῆσθαι· καὶ ἡ τοῦ δόρατος . . λέξις πρὸς οὐδὲν ψιλῶς κεῖται, ubi quae est lacuna, ea nunc egregie suppletur Scholiorum in Odysseam codice Marciano, quem Pluygers p. 2, ubi huius loci notationem Aristarchiam tractat, commemoravit, quippe quo Hamburgense scholion paene ad verbum referente legatur ἡ τοῦ δόρατος ἀνάληψις πρὸς οὐδὲν ἀναγκαῖον. Illa enim est vis verbi προαθετῆσαι a Pluygersio bene illustrata, ut critici intelligantur Aristarcho priores, Zenodotus quidem et Aristophanes: de qua verbi potestate iam Buttmannus exposuerat Add. ad Schol. Odyss. α, 185. p. 564. Rem confirmat Schol. Harl. ad Odyss. δ, 62—64, accuratius nunc vulgatum a Cramero Anecd. Paris. T. III. p. 438: προηθετοῦντο καὶ παρὰ ᾿Αριστοφάνους καὶ παρὰ Ζηνοδότου. Cave tamen ne hanc verbi potestatem ita accipias ut praeter dictos criticos alius quisquam intelligi nequeat, quamquam facile concedo plerumque eo Zenodotum et Aristophanem designari. Iuvat laudare in hac re memorabilem locum Schol. Harl. ad Odyss. ξ, 503 ab eodem Cramero l. l. p. 490 vulgatum: εἴθε μοί τις δοίη τῶν χοιροβοσκῶν ἱμάτιον ῥιγῶντι, δυσὶ τρόποις, φιλότητί τε καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ αἰδοῖ, ἤγουν ἐυτροπῇ. Καὶ ὁ ᾿Αθηνοκλῆς προηθετεῖ· ἀφανίζουσι γὰρ τὸ χωρίον τοῦ αἰνίγματος διαῤῥήδην αἰτοῦντος ἄλλως τε καὶ ὁ Εὔμαιος ὕστερον λέγει „αἶνος μέντοι ἀμύμων ὃν κατέλεξας.“ Spectat haec ἀθέτησις ad vs. 504 et 505, quos in cod. Ambros. obelo revera confixos esse Buttmannus narrat. Hunc iam Athenoclem, cuius ex scripto quodam περὶ ῾Ομήρου loci interpretatio una Didymo laudatur in Schol. A. Iliad. ξ, 71, oportet statuamus Aristarcho fuisse aetate maiorem aut certe aequalem, et hoc verum esse eo docemur, quod teste eodem Schol. ad γ, 368 Ammonius, Aristarchi discipulus, vel satelles [2]) isti ipsi Athenoclis, dum viveret, libro alium apposuit (᾿Αμμώνιος ἐν τῷ πρὸς ᾿Αθηνοκλέα συγγράμματι). Unde patet de Homero quidquid ab

2) V. Schol. Iliad. β, 111. κ, 398.

Athenocle scriptum fuit, id certe vulgatum fuisse, anteaquam studiorum suorum Homericorum fructus Aristarchus emisisset. Atque cum Aristarcho Athenocles apud Athenaeum V. p. 177. E. (p. 405. Dind.), ubi agitur de fide Iliad. β versus 409

ᾔδεε γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο,

in Scholiis Venetis sine censura transmissi, eum in modum componitur, ut in aemulationem utriusque critici coniecturam facere liceat: Ἀθηνοκλῆς δ' ὁ Κυζικηνὸς μᾶλλον Ἀριστάρχου κατακούων τῶν Ὁμηρικῶν ἐπῶν εὐπαιδευτότερον ἡμῖν φησι τοῦτον [τὸν στίχον] Ὅμηρον καταλιπεῖν, ὡς τῆς ἀνάγκης ὁ Μενέλεως οἰκειοτέρως ἔχειν. Sed satis de Athenocle, critico Homerico parum adhuc cognito: redeo ad propositum.

Alterum eiusdem signationis exemplum auctor fragmenti Veneti continuo subiungit, pluribus nominibus memorabile: Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος τρόπος τῆς ἀθετήσεως, ὅταν τοῖς αὐτοῖς στίχοις πολλάκις χρῆται, ὁτὲ μὲν οἰκείοις περιτιθεὶς προσώποις τὰ λεγόμενα, ὁτὲ δὲ οὔ, ὡς ἔχει τὰ τοῦ Κύκλωπος τοῦ ἀνημερωτάτου ῥήματα ὑπὸ τοῦ συνετωτάτου Νέστορος λεγόμενα πρὸς Τηλέμαχον·

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
ἦ τι κατὰ πρῆξιν, ἦ μαψιδίως ἀλάλησθε,
οἷά τε ληϊστῆρες, ὑπεὶρ ἅλα, τοίτ' ἀλόωνται
ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;

Ταῦτα γὰρ ἥρμοζεν ὑπὸ τοῦ Κύκλωπος Ὀδυσσεῖ εἰρῆσθαι, οὐχ ὑπὸ Νέστορος Τηλεμάχῳ. Eustathius Odyss. ι, 152. p. 1627: καὶ κεῖνται φασὶν οἱ παλαιοὶ κάλλιον ἐνταῦθα οἱ στίχοι ἐκεῖνοι· διὸ καὶ ἀστερίσκοι ὧδε πρόκεινται αὐτῶν, δι' ὧν τὰ ἔπη ἐκκρίνονται· δηλοῖ γὰρ τὸ σημεῖον ὁ ἀστερίσκος, ὡς ἄριστα ἐν τῷ τόπῳ κεῖται τὸ ἔπος καὶ οἷον ἐκλάμπει. Personae igitur Nestoris indignos hos versus, quippe aliquam ferociae speciem prae se ferentes, censuit Aristarchus, ab indole vero Cyclopis haud alienos: in qua iudicii ratione, aliis quoque criticis in aliis litterarum generibus approbata [3]), descivit ab Aristophane Byz.,

---

3) V. Marcellinum vel, si malis, Didymum Vita Thucyd. p. 336. Poppon.

quem contrario modo de iisdem versibus statuisse supra vidimus, §. 24, in hoc vero eum imitatus, quod quum versus ipsi poetae non abiudicandi viderentur, utriusque loci discrimen pro cuiusque natura iisdem signis notaret, quibus Aristophanes notarat, ita ut ubi Nestori tribuuntur, obelum cum asterisco, ubi Cyclopi, asteriscum apponeret. Eius signationis disertum quidem desideratur testimonium: eam vero adiecisse Aristarchum, ex eo concluditur, quod apud auctorem apospasmatii, cui illius ἀθετήσεως indicium acceptum referimus, eiusdem notationis mentio continuo praemittitur, in alia argumenti ratione adhibitae: nam quae de ἑτέρῳ τρόπῳ dicuntur, non ad signationis, sed rationis genus spectant. Tum in hoc ἀθετήσεως genere ab Aristarcho adhibitum esse obelum cum asterisco, docemur ex Anecdoto Paris., cuius testimonii iam §. 24 ratio habita est. Patet iam et qua vi ab Aristarcho obelus cum asterisco positus sit, et a quo is hoc notandi genus acceperit. Exemplis, quae ex Iliade congessit Siebenkeesius p. 74. sq., addamus Odyss. ξ, 45, ubi v. Schol. Eundem in modum iam patet signatos fuisse versus alios cum suspicione falsi iteratos, veluti Odyss. ν, 398—401, ubi Harl. Ἀθετοῦνται μετὰ ἀστερίσκων ὡς [ins. ἐκ] τῶν ἑξῆς μετενηνεγμένων [— μένοι?] Scilicet iterantur vs. 430, ubi adnotatur: ὅτι οἱ ἄνω κατενηνεγμένοι [μετ. Buttm.] εἰσίν. Ex Crameri Anecd. Par. T. III. p. 485. nunc docemur verbis ex Harl. excerptis praemitti in codice hacce: ἀθετοῦνται διὰ τὸ ἦθος ὡς ἕκαστον ἐπεξιέναι. — Item Odyss. ξ, 495:

κλῦτε, φίλοι, θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος,

ubi Schol. Harl. plene nunc vulgatum a Cramero Anecd. Par. T. III. p. 490: ἀθετεῖται ὡς ἐκ τῆς Ἰλιάδος [β, 56] μετενηνεγμένος· γελοῖον δὲ εἰπεῖν καὶ τὸν ἐν λόχῳ καθυπνωκέναι· ὁ δὲ νοῦς, θεῖός μοι ὄνειρος ἐφάνη· λοιπὸν τὰ παρὰ τοῦ ὀνείρου ῥηθέντα ἐπάγει, ἐπειδὴ τῶν νηῶν πόῤῥω ἔσμεν, ἀπέλθῃ τις καὶ εἴπῃ τῷ Ἀγαμέμνονι πλείους ἡμῖν ἀπὸ τῶν νεῶν πέμψαι συμμάχους, ἵνα μὴ πόῤῥωθεν ὄντες τῶν ὁμοφύλων ὀλίγοι ὑπάρχοντες, βλαβῶμεν ὑπὸ τῶν πολεμίων. Scilicet versui obelus cum

asterisco appositus erat: quod egregie cognoscitur ex Schol. A. Iliadis versum asterisco notatum referente: ὁ δὲ ἀστερίσκος, ὅτι ἐν τῷ Ξ τῆς Ὀδυσσείας κακῶς φέρεται. — Eximius locus est π, 280. sq. ubi Schol. ἀθετεῖ Ζηνόδοτος τή· πόθεν γὰρ ᾔδει τὰ ὅπλα ἐν τῷ ἀνδρῶνι ἀντικείμενα; οἰκείως δὲ χρήσεται τῷ λόγῳ ὅταν αὐτὰ θεάσηται. Haec si improbasset Aristarchus, diplam punctatam versibus apponere debuisset. Sed assensus est Zenodoto. Scilicet iterantur hi versus inde a 285 infra τ, 5, ubi in Schol. Harl. adnotatur: οἱ ἀστερίσκοι, ὅτι ἐνθάδε καλῶς, ὅτε ἑώρακε τὰ ὅπλα, quae verba opponuntur priori loco, quippe quo ista non bene habere dicantur. Atque versus τ, 4—12 in Vindob. revera asteriscis notati sunt, adiecta hac nota: ἀναγκαίως οἱ ἀστερίσκοι ἐνταῦθα, ὅτε ἑώρακε τὰ ὅπλα. Asterisci igitur quum appositi fuerint, necesse est statuamus ab Aristarcho, quem hac signandi ratione in eiusmodi locorum iteratione usum scimus, eos asteriscos appictos esse: tum vero etiam priore loco asteriscis obelos additos fuisse, id quod egregie confirmat Eustathius ad posteriorem locum p. 1852, ad vs. 4: ἔνθα καὶ στίχους Ὀδυσσεὺς αὐτοὺς ἐκείνους ἀπαραλλάκτως λέγει, οὓς καὶ ἐν τῇ π ῥαψῳδίᾳ περὶ τῶν ὅπλων τῷ Τηλεμάχῳ ἔφη, ἀρξάμενος οὕτω· Τηλέμαχε... καὶ ἑξῆς τοὺς ὀκτὼ στίχους ἐκείνους ἕως τοῦ „αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος“· ἔνθα καὶ κεῖται πρὸ ἑνὸς ἑκάστου στίχου ἀστερίσκος δίχα ὀβελοῦ, ὡς ἐνταῦθα τῶν τοιούτων στίχων ἄριστα κειμένων, καὶ οἷον ἀστέρος δίκην λαμπόντων, οὐ μὴν ἐκεῖ, ὡς ἐπικρίνουσιν οἱ παλαιοί. Certo enim concludas, quum hic obelos non reperiri adnotetur, illic eos appositos fuisse. — Item θ, 567:

φῆ ποτὲ Φαιήκων ἀνδρῶν εὐεργέα νῆα
ἐκ πομπῆς ἀνιοῦκαν ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
ῥαισέμεναι, μέγα δ' ἧμιν ὄρος πόλει ἀμφικαλύψειν,

ubi Eustathius: Σημείωσαι δὲ καὶ ὅτι ἐνταῦθα μὲν τὸ κατὰ τὸν χρησμὸν χωρίον ὀβελίσκους ἔχει μετὰ ἀστέρων· δι' ὧν δηλοῦται, ὡς ἐνταυθοῖ οὐ καλῶς κεῖνται τὰ ἔπη, ἀλλαχοῦ δὲ ἄριστα ἔχει· δοκεῖ γὰρ οὐ πιθανῶς πλασθῆναι τὸ πεμφθῆναι οἴκαδε ξεῖνον ὑπὸ Φαιάκων ἔχθιστον τῷ Ποσειδῶνι, οὗ τὸν φόβον

ἐπέσειεν ὁ χρησμὸς τοῖς Φαίαξιν etc. Ac certe Schol. Ambr. διὸ καὶ ὑποπτεύειν τοὺς στίχους τούτους. Scilicet iterantur versus ν, 175, ubi quum legatur περικαλλέα νῆα, valde notabile videbitur quod eandem lectionem etiam superiore loco praestat codex Vespasiani.

Restat ut aliquot locos ex Iliade sumptos percurramus. O, 265. Schol. A. ἀπὸ τούτου ἕως τοῦ „ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει" (268) ἀθετοῦνται [quod idem ac si dixisset ὀβελίζονται] στίχοι δ', καὶ ἀστερίσκοι παράκεινται, ὅτι οἰκειότερον ἐπ' Ἀλεξάνδρου (ζ, 508)· καὶ τὸ τῆς καλλονῆς καὶ τὸ τῆς ὅλης μορφῆς καὶ τὸ τῆς στάσεως τοῦ ἵππου πρὸς τὸν ἐν θαλάμῳ διατετριφότα ἀντιπαράκειται, ἥ τε κατὰ τὴν αἰφνίδιον ἐξόρμησιν ὁμοιότης· καὶ τὸ „κυδιόων ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει" ἐφ' Ἕκτορος τοῦ ἀρτίως ἑαυτὸν ἀνιστῶντος ἐκ τῆς λιποθυμίας οὐχ ἁρμόζει· τοὺς μέντοι προκειμένους τῶν ἠθετημένων δύο στίχους δεῖ μένειν, πρὸς οὓς καὶ ἡ ἀνταπόδοσις γίνεται. In exemplo Iliadis Veneto versibus 265—268 recte asterisci cum obelis adiiciuntur, item alterius loci versibus 508 et 509 asterisci, sequentibus vero alteris diplae pro asteriscis, nisi forte in horum loco illae rursus alias ob rationes appictae sunt asteriscosque expulerunt. Ex Schol. A. profecit Eustathius, cuius verba postrema adscribam: τοὺς δὲ τέσσαρας ὀβελίζουσι, παρατιθέντες τῷ ὀβελῷ καὶ ἀστερίσκον, ὡς ἀλλαχοῦ κάλλιστα κειμένων τῶν τοιούτων ἐπῶν καὶ μὴ ἐνταῦθα. Praeterea diserte Eustathius ad τῶν παλαιῶν crisin refert. Schol. V. Ζηνόδοτος τοῦτον (265) μόνον γράφει, Ἀρίσταρχος δὲ καὶ τοὺς ἄλλους τρεῖς. — E, 734:

πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει
ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν,

ubi Schol. A. οἱ ἀστερίσκοι, ὅτι ἐνταῦθα μὲν καλῶς κεῖνται, ἐν δὲ τῇ κόλῳ μάχῃ (θ, 385) μηδεμιᾶς φαινομένης ἀριστείας οὐ δεόντως· ὁ δὲ Ζηνόδοτος τούτους μὲν ἀθετεῖ, ἐκείνους δὲ καταλείπει. Eandem notationem testatus est Eustathius p. 599. Ad alterum locum idem Schol. ἀθετοῦνται στίχοι τρεῖς, ὅτι ἐν τῇ τοῦ Διομήδους ἀριστείᾳ καλῶς ἐπεξείργασται· πράττεται γάρ τινα· ἐνταῦθα δὲ πρὸς οὐδὲν ἀναλαμβάνει τὴν πανευχίαν· ἠθέτει δὲ καὶ Ἀριστοφάνης· Ζηνόδοτος δὲ οὐδὲ ἔγραφεν. His igitur

versibus tribus ex Aristarchi, cuius crisis intelligitur, mente obeli cum asteriscis, in exemplo Veneto librarii socordia omissis, illis simplices asterisci adscripti fuerunt. Tertio vero subsequenti versui libri ε:

ἡ δὲ, χιτῶν' ἐνδῦσα, Διὸς νεφεληγερετάο

asterisco insuper dipla addita, ὅτι δασύνειν δεῖ τὸ „ἡ δέ"· ἐπανέλαβε γάρ, ὡς ἔθος αὐτῷ, τὸν περὶ τῆς 'Αθηνῆς λόγον. Atque revera in Iliade Veneta diplae signum asterisco adiectum. — Subiungere iuvat aliud continuo sequens exemplum geminum, θ, 390. 391:

βριθύ, μέγα, στιβαρόν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν
ἡρώων, τοῖσί τε κατέσσεται ὀβριμοπάτρη,

ubi Schol. A. ἀθετοῦνται καὶ οὗτοι, ὅτι ἀκαίρως ἐκεῖθεν (Il. ε, 746) μετηνέχθησαν. In exemplo Iliadis Veneto illis versibus obeli adpicti omissis male asteriscis, alteri loco autem, ut par erat, asterisci. Similis conditionis est iteratio versuum θ, 406. sq. et 420, ubi v. Schol. — B, 27:

ὅς σευ, ἄνευθεν, ἐών, μέγα κήδεται ἠδ' ἐλεαίρει,

ubi Schol. ἀστερίσκος σὺν ὀβελίσκῳ, ὅτι τοῦτο ὀρθῶς πρὸς Πρίαμον Ἶρις λέγει [ω, 174]· ἐπεὶ καὶ τίνος χάριν ἐλεεῖν αὐτὸν μέλλει. Ea ipsa nota versui in contextu appicta deprehenditur; desideratur asteriscus, quem parallelismi gratia alteri loco adscribere fas erat, librarii, ut opinor, socordia in hac eius laboris parte frequenti. — Interponam unum locum similem Odyss. ξ, 188:

ὁπποίης δ' ἐπὶ νηὸς ἀφίκεο; πῶς δέ σε ναῦται
ἤγαγον εἰς 'Ιθάκην; τίνες ἔμμεναι εὐχετόωντο;
οὐ μὲν γάρ τί σε πεζὸν ὀΐομαι ἐνθάδ' ἱκέσθαι,

ubi Schol. Harl. et Q. 'Αστερίσκος πρόσκειται ἄχρι στίχων γ', ὅτι νῦν ὡς πρὸς ῥάκεσιν ἠμφιεσμένον ὀρθῶς λέγονται· ὡς δὲ πρὸς τὴν 'Αθηνᾶν ὁμοιωθεῖσαν Μέντῃ καὶ βασιλικὴν ἔχουσαν στολὴν οὐ πάνυ. Scilicet isti versus iam supra α, 171 leguntur, cum nota in Harl. οἰκειότερον ἀπὸ Εὐμαίου ἂν λέγοιντο· διὸ ἔν τισιν οὐκ ἐφέροντο. — Iliad. ζ, 490:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι· πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει
πᾶσιν, ἐμοὶ δὲ μάλιστα, τοὶ Ἰλίῳ ἐγγεγάασιν.

Schol. A. τέσσαρσι στίχοις ἑξῆς ἀστερίσκοι παράκεινται, ὅτι νῦν μὲν ὀρθῶς κεῖνται καὶ πρὸ τῆς μνηστηροφονίας [Odyss. φ, 350], ἐν δὲ τῇ Α ῥαψωδίᾳ τῆς Ὀδυσσείας [356—9] οὐκέτι. Ad hunc Odysseae locum Schol. Ambr. Ἐπὶ τοῦ Ἕκτορος εὐπρεπῶς εἶχον οἱ στίχοι πρὸς Ἀνδρομάχην [Il. ζ, 490] καὶ ἐν τῇ τοξείᾳ τῶν μνηστήρων [Od. φ, 350]. Tum idem cum Harl. Ἀρίσταρχος δὲ ἀθετεῖ, ἄμεινον λέγων αὐτοὺς ἔχειν ἐν Ἰλιάδι καὶ ἐν τῇ τοξείᾳ τῶν μνηστήρων. Isti igitur Odysseae loco asterisci cum obelis appicti erant. — Sed hic finem faciam, quum addidero novum eius notationis exemplum accessisse ex codice Ven. nunc demum accuratius collato diligentia Pluygersii p. 8. Ceterum in toto huius signi usu exercendo quo iudicii acumine Aristarchus versatus sit, exempla proposita satis ostendunt, innumeris, si opus videretur, augenda, quorum de ratione summatim, sed recte iudicavit Lehrsius p. 358.

§. 39.

De antisigma Aristarchi. [1])

Anecdotum Romanum: τῷ δὲ ἀντίσιγμα καὶ τῇ στιγμῇ [χρῆται Ἀρίσταρχος], ὅταν δύο ὦσι διάνοιαι τὸ αὐτὸ σημαίνουσαι, τοῦ ποιητοῦ γεγραφότος ἀμφοτέρας, ὅπως τὴν ἑτέραν ἕληται· τῷ δὲ χρόνῳ καὶ αἱ δύο εὑρέθησαν οὐκ ὀρθῶς ἔχουσαι. Ex his patet ad Aristarchi consuetudinem referenda esse quae tradunt et Anecdotum Par. et Isidorus, quorum hic I, 20, 12: „Ͽ Antisigma cum puncto ponitur in iis locis, ubi in eodem sensu duplices sunt versus, et dubitatur, qui potius eligendus sit.“ Illud p. 87: „Ͽ Antisigma cum puncto ponebatur, cum eiusdem sensus versus duplices essent, et dubi-

1) V. Gräfenhan l. l. T. II. p. 106, quae diversorum generum et temporum sunt, ut in toto hoc argumento solet, miscentem.

taretur, qui potius legendi. · Sic et apud nostros.« Quantum ad signi figuram, notandum in codice Isidori Paris. exhiberi Ͻ·, quod aeque visiosum esse videtur ac Ͽ, quod etiam codex Anecdoti Rom. tenet, vel Ͻ̇, reiiciendum propter indubiam figuram antisigma περιεστιγμένου Ͽ·, quae punctis utrisque exuta reddit genuinam Ͻ. Nempe variae istae signi figurae librariorum stupori debentur, qui puncti illius iuxta commemorati rationem ignorantes, id putarent ipsi signo antisigma quoquo modo adiciendum esse: quod longe aliter habere statim videbimus. A signi figura, de qua infra, ubi ad usum ceterorum criticorum Homericorum venero, iterum dicendum erit, ad potestatem Aristarchiam transeo, in qua recte constituenda mirifice profuit diligentia, qua nunc codex Venetus a Cobeto denuo excussus est. Nam quum quid rei esset diu haesitarem, tandem ex tenebris evasi duce Pluygersio, qui unius loci (ϑ, 535—541) ratione ex Codice accurate descripta rem dilucidavit simulque vel hoc uno exemplo demonstratum dedit, quae fides Villoisoni contextui tribuenda sit. Proficiscendum in hac quaestione a loci laudati conditione, recte aestimata, de qua audiamus ipsum Pluygersium p. 3: »Ad Θ, 534—541 antisigma et puncta incorrupta servavit Ven. A.

Ͻ αὔριον ἣν ἀρετὴν διαείσεται εἴ κ᾽ ἐμὸν ἔγχος
Ͻ μείνῃ ἐπερχόμενον· ἀλλ᾽ ἐν πρώτοισιν ὀΐω
Ͻ κείσεται οὐτηθεὶς πολέες δ᾽ ἀμφ᾽ αὐτὸν ἑταῖροι
• ἠελίου ἀνίοντος ἐς αὔριον· εἰ γὰρ ἐγὼν ὥς
• εἴην ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ἤματα πάντα
• τιοίμην δ᾽ ὡς τίετ᾽ Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων
ὡς νῦν ἡμέρη ἥδε κακὸν φέρει Ἀργείοισιν.

Pro ϽϽϽ in editione Villoisoniana perperam διπλαῖ, punctaque omissa. Scholium autem ad haec signa pertinens: ὅτι ἢ τούτους δεῖ στίχους μένειν οἷς τὸ ἀντίσιγμα παράκειται ἢ τοὺς ἑξῆς τρεῖς οἷς αἱ στιγμαὶ παράκεινται· εἰς γὰρ τὴν αὐτὴν γεγραμμένοι εἰσὶ διάνοιαν. κτέ. iterum ineptissimo additamento corruperunt editores; ediderunt enim ἡ διπλῆ ὅτι κτέ· absurde

significantes διπλῆν παρακεῖσθαι his versibus, quibus, ut scholium diserte docet, τὸ ἀντίσιγμα παρακεῖται." Vides quam helle tota huius loci notatio cum iis conveniat, quae a ceteris testibus ante exscriptis traduntur, praesertim cum Anecdoto Rom., ut de ratione eius nullum relinquatur dubium. Firmat sua praeterea Pluygersius declarata genuina alterius loci (alia exempla per totum Codicem frustra quaeruntur) conditione hunc in modum: »Ad B, 188, item ad vs. 192 in codice signum appictum est, quod verum antisigma erit, si punctum sustuleris in medio additum; ad quae signa scholia pertinent haec: B, 188: πρὸς τὴν τάξιν τῶν ἑξῆς τὸ ἀντίσιγμα. — B, 192: τὸ ἀντίσιγμα ὅτι ὑπὸ τοῦτον ἔδει τετάχθαι τοὺς ἑξῆς παρεστιγμένους τρεῖς στίχους· εἰσὶ γὰρ πρὸς βασιλεῖς ἁρμόζοντας οὐ πρὸς δημότας „οὐ μέν πως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ' Ἀχαιοί, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη καὶ τὰ ἑξῆς [2]). Versibus autem, qui παρεστιγμένοι esse debebant, ut apparet e scholio, quod modo apposui, et ex eo, quod legitur ad B, 203: τούτῳ καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν δύο ἡ στιγμὴ παρακεῖται, secunda, ut videtur, manus in codice appinxit signa quaedam nullius significationis." Vera si sunt quae de versuum 203—205 ratione Pluygersius adnotavit, neque ego quidem ea in dubium voco, expeditum me sentio angustiis, quibus premebar ob signum ϲ, quod in exemplo Villoisoni cuique trium istorum versuum praepositum est, quodque protinus comdemnare ideo non audebam, quod tribus aliis locis idem redire videbam, nec tamen explicare sciebam. Sunt hi:

B, 138.

ϲ Αὔτως ἀκράαντον, οὗ ἕνεκα δεῦρ' ἱκόμεσθα,

ubi Heynius: »Huic versui in Veneto appictum ϲ debuit

2) Offensiones, quibus ductus nonnemo de transponendis versibus cogitaret, haud ignorasse videtur Dionysius Hal. Art. rhet. 7, 9, siquidem vulgatam loci scripturam, in qua quae ad populum dicenda regibus, quae ad reges populo tributa essent, artificio quodam poetae vindicare studuit.

esse Ͽ περιεστιγμένον, quod declarare debuit, esse tautologum aliquid. An credidit grammaticus, versum esse otiosum? propter 120. sq.?«

H, 104.

Ͼ ἔνθα κέ τοι, Μενέλαε, φάνη βιότοιο τελευτή.

Heynius: »Appositum in cod. Veneto versui antisigma Ͽ [immo Ͼ], quod alias pingitur Ͼ et denotat versum et alibi occurrere. Ita vero sexcenties aliis locis repetitis erat appingendum. Hoc loco respicere debuit versum de Patroclo Π, 787 ἔνθ' ἄρα τοι, Πάτροκλε, φάνη βιότοιο τελευτή.

I, 630.

Ͼ καί ῥ ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, πολλ' ἀποτίσας,

ad quem locum idem: »Appictum est in Veneto signum Ͼ nulla alia notatione apposita; videtur fuisse antisigma περιεστιγμένον, quo significatum esse aiunt, sententiam eandem bis redditam esse a poeta. Atqui sic sexcenties fuisset ponendum, tum nec video quid h. l. praecipue sit iteratum.«

Attuli haec praestantissimi viri notata, non ut errores ab eo commissos castigem, quorum praecipuus in eo versatur, quod Ͼ pro antisigma punctato haberi voluit, neve ut sententiae, quam de potestate eius signi concepit, ostendam inconstantiam, sed ut de locorum η, 104 et π, 787 parallelismo, ut non dicam iteratione, veri nonnihil eum monuisse affirmem. Sed veritatem rursus aperuit Pluygersius, Codice ipso adiutus, his verbis, quae mihi ut cetera omnia exscribenti praeclarae indolis iuvenis et modestissimus, quem Leidae coram Geelio et Cobeto nuper salutare contigit, non invidebit: »Nam quod in Villoisoniana editione signum conspicitur ad B, 138. H, 104. I, 680, non est antisigma, neque adeo signum criticum Aristarcheum, sed notum illud compendium pro σημείωσαι recentissima manu his versibus in codice additum.« Nimirum est idem signum quod saepe littera C inserta minore H

scriptum deprehenditur, de quo v. Bast. ad Greg. Cor. p. 215 et 839. Ex his omnibus iam Pluygersius colligit: »Antisigma igitur et punctum iis locis apponebat Aristarchus, in quibus iustus versuum ordo iam antiquitus esset turbatus, sive aliis aliorum locum obtinentibus, ut in B. l. c.: sive quod, in libris, quos ante oculos haberet, coniunctae exstarent quae eorundem locorum in antiquis libris traditiones essent diversae: quod Θ. l. c. factum est.« Quae sic probo ut quae postremo posita sunt, in praecipua conturbationis caussa censenda contendam, ita ut si stricte agendum est, in ea signi potestate, quam scriptores de signis Aristarchiis tradidere, consistendum sit. Permirum autem debet videri, tam raram huius signi mentionem in codice Ven. fieri: quod satius erit notare quam explicare. Ceterum antisigma Aristarchus ex disciplina Aristophanis mutuatus est, quem eo cum eadem potestate in Odyssea certe usum esse ostendi §. 24. Praeterea adhibuit idem in notando Comico cognomine, fortasse etiam in Platone, quamvis hic punctis utrinque adiectis.

Postremo afferamus Anecdoti Harl. interpretationem, nominibus signorum Ͻ ἀντίσιγμα et ·· δύο στιγμαί, seorsim in Indice positis subiectam: Τὸ δὲ ἀντίσιγμα καὶ αἱ δύο στιγμαί, ὅταν κατὰ τὸ ἑξῆς δὶς ᾖ τὸ αὐτὸ νόημα κείμενον, καὶ ἐπὶ μὲν τοῦ προτέρου τίθεται τὸ ἀντίσιγμα, ἐπὶ δὲ τοῦ δευτέρου αἱ δύο στιγμαί. In his notandum nihili esse quod de duobus punctis traditur; nam eius signi non modo aliud nullum exemplum in quoquam monumento scripto reperitur, sed erroris commissi origo indicari potest. Etenim ut supra iam loco quodam huius Anecdoti sententiam genuinam breviandi studio et simul rei imperitia a librario turbatam et obscuratam deprehendimus, ita simile quiddam etiam hic factum esse admodum probabile est, siquidem fas est suspicari, quae de usu antisigma et punctorum Aristarchio in archetypo perscripta reperisset librarium cum antisigma circumpunctato posteriorum criticorum confudisse.

§. 40.

De signorum usu criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

Exposita iam quantum per hanc testimoniorum certorum penuriam fieri potuit doctrina, qua Aristarchus in notandis carminibus Homericis usus sit, quum similes curas eundem etiam aliis antiquorum poetarum scriptis adhibuisse constet, disputationis ordo postularet, ut de his nunc statim subiicerentur quae ad nostram notitiam pervenerunt. Sed tum propter argumenti cognationem, tum quod ista sine rei detrimento seorsim tractari possunt, malui continuo subiungere ea quae ad usum signorum a criticis Aristarcho posterioribus in notando Homero cooptatum pertineant: quae quidem quamquam ex Aristarchi disciplina profecta, ab Aristarchia regula suspensa sunt omnia, tamen ab ea tum singulorum quorundam signorum potestate, tum etiam numero nonnihil discrepant. In quo loco explicando eundem ordinem, quo Aristarchia signa perlustravimus, sequuti, quae addenda sunt, ea corollarii instar adiicere videbimur, pro fundamento adhibentes, quae Anecdoti Rom. cap. I et Veneto perscripta leguntur. In his quum supra ostenderimus, Aristarchiam notandi rationem puram haudquaquam enarrari, quumque eam in Homero certe notando temporibus ante Aristonicum Didymumque mutatam esse vix credibile sit, consectarium videtur, id quod ipsa res suadet, ut illa notatione contineri eam signorum doctrinam dicamus, quam ab Aristonici inde aetate critici Homerici sectati sint. Ac tametsi Aristonicum ipsum, ut qui in Aristarchia potissimum Homeri diorthosi referenda illustrandaque occupatus esset, in hoc opere signum aliquod novum adhibuisse demonstrari nequeat, tamen is ad propositum pertinere ratus, ut si quid ab Aristarchi doctrina discrepare deprehenderetur, id subinde operi suo adiiceretur, haec additamenta dipla pura adscripta notare sibi sumpsit. Huius exemplar imitatos posteriores

eo minus mirabere propriam Aristarchi notationem amplificasse, vel novas signis Aristarchiis potestates vel adeo nova signa addendo, quo certius constat Aristarchi signationem etiam ad aliorum scriptorum opera notanda translatam, horumque proprietatibus accommodatam esse, quo fieri non potuit quin primitiva notandi ratio vario modo mature mutaretur: quod inprimis usus Romanorum, de quo infra, ostendit, quos iam ante Aristonicum notis criticis ex Alexandrinorum schola transumptis usos esse suamque in rem convertisse constat. Unum dolui, non contigisse mihi, ut unum alterumque grammaticum, qui posteriore aetate notandi Homeri operae vacasset, nomine afferrem: cuius rei caussa inde repetenda videtur, quod in istis grammaticis nullus exstitit, qui in percensendis carminibus Homericis ingenii vel iudicii laude excelluisset.

§. 41.

De dipla pura criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

Cum Aristarchi usu diplae purae prorsus convenit posteriorum consuetudo, cap. I. descripta, nisi quod quae contractius cap. II. indicantur, hic singulis eius rationis partibus accuratius exponuntur, et his etiam prolixius in Anecd. Veneto. Horum criticorum de usu quum iam ex §. 34 constet, restat ut de una diplae ratione, quae ex solo Anecdoto Rom. cognoscitur quaeque illic tractari non potuit, dicatur. De dipla igitur pura c. I. legimus: παρατίθεται πρὸς τοὺς γλωσσογράφους ἢ ἑτεροδόξους ἐκδεξαμένους τὰ τοῦ ποιητοῦ καὶ [ὡς] μὴ κακῶς. In quibus multa sunt, quae lectorem haerere sinant. Perspicuum quidem est, criticos, quorum placitis notandis dipla apposita esset, dici eos, qui singulos locos Homericos non recte intellexissent: sed γλωσσογράφοι isti et ἑτερόδοξοι qui dicantur, obscurum. De heterodoxis ut primum dicamus, quum istorum nomen nos quaerere de iis iubeat, a quibus dissenserint, vix alii intelligi poterunt quam qui praecipua auctoritatis laude in hoc

genere litterarum floruerint, et tamquam regulam artis in Homero recensendo explicandoque constituerint: quod nemo nescit Aristarchum fecisse, ita ut dissensus iste non possit non ad hunc vel ad scholam ab eo conditam referri. His iam heterodoxis una cum glossographis quum tribuitur iudicii diversitas, utrique quantum ad hanc ipsam diversitatem non videntur alio modo, inter se distingui posse nisi quod hi commenta sua eo litterarum genere, quod Γλωσσῶν nomine innotuit, protulisse putandi sint, re ipsa ab heterodoxis, qui aliam quamcunque adnotandi rationem adoptarint, haudquaquam diversi: quo fit ut, quum de heterodoxorum ratione commentandi ex Anecdoto non doceamur, eo magis nobis in solis glossographis subsistendum sit, quod unice hic de dissensu placitorum agitur, cui significando nota diplae inservisse traditur. Ac de his, quum qui intelligantur singuli certo hodie extricari nullo modo possit, omnis quaestio melius differri videretur, nisi incideret quod in Scholiis Venetis passim γλωσσογράφων mentio iniecta est, qui an iidem dicantur scire sane nostra refert, quamquam perdifficile est rem in luce clara ponere.

Lehrsium, quo nemo Scholia Veneta accuratius excussit, non poterat praeterire, ad recte aestimandum criticorum munus in Homero administratum de glossographis in codice Veneto memoratis quaerendum esse: cuius laboris suscepti hunc fructum sibi percipere visus est ut quae nomine isto in Scholiis excitarentur, ea ex scriptis aliquibus, quorum auctores longe ante Alexandrina tempora, vel aetate adeo Aristophanis comici singulos Homericos locos vel phrases explicare studuissent, adscita esse censeret, Diss. II. c. 1. p. 43. Scilicet ab ea Scholiorum illorum conditione profectus, qua iis tantum non Aristonici, Didymique in illustranda Aristarchi doctrina lucubrationes, tum nonnulla Herodiani et Nicanoris contineantur, quum sibi persuasisset, si quae ante Aristarchum glossae ab Alexandrinis scriptae fuissent, earum hic rationem haberi non potuisse: eo lubentius in sententiam illam abripi sese passus

est, quo gratius ipsi videri debebat, vetustae illius disciplinae quamvis stolidae reliquias aliquot in lucem reducere. Vellem ita esset: sed veri videtur haud simile. Nam primum Alexandrinis grammaticis si revera glossarum illarum libri aliquot praesto fuerunt, mirum debet videri, quod ne unus quidem auctoris nomine laudatus est: tum si mature auctorum nomina de memoria hominum excidisse ponamus, ut solo Γλωσσῶν nomine grammaticis noti fuissent, exspectari debuerat, eorum scriptores alio nomine, quo a glossographis posteriorum aetatum discernerentur, citatos esse. Addo, si tanti visum est, istorum glossographorum errores (nam aliter quam cum reprehensione non afferuntur) etiamtum castigare signoque critico notare, ut v. c. factum σ, 540: ἡ διπλῆ ὅτι ἐπὶ τοιούτων τόπων οἱ γλωσσογράφοι τοὺς νέους ὑπέλαβον λέγεσθαι, necesse est statuamus, ea aetate, qua talia adnotarentur, scripta illa adhuc manibus omnium versata esse, ut in repellendis refutandisque eorum commentis operam insumere operae pretium videretur: quod si ita habuit, aegre credas memoriam eorum tanta oblivione opprimi potuisse, ut praeter istas in Scholiis Venetis subinde unoque, si recte memini, loco in Scholiis Harl. ad Odysseam (v. Crameri Anecd. Par. T. III. p. 440) servatas reliquias nihil ad nos perlatum sit: quod etiam magis mirabere, si reputaveris illum diplae usum, quem locus modo laudatus exhibet, non Aristarchi, sed posteriorum criticorum fuisse, Aristonici, ut opinor. Haec si ita sunt, quid est quod aspernemur censere id quod ante pedes est, scriptores potius intelligendos esse eos, qui statim ab initio grammaticae et criticae artis apud Alexandrinos factitatae obscuriorum vocum Homericarum explicatione occupati, quorum nonnullos percensuit Wolfius Proleg. p. 187, hunc studiorum fructum nomine Γλωσσῶν subinde recepto vulgarent. De qua scriptorum classe enucleate disputavit Meierus Commentat. Andocid. VI, 3. p. XVI. sq., unde transcribam haec: »Eorum autem, qui post Aristarchum in eodem studiorum genere versabantur, imprimis nominandi sunt

Heliodorus et Apion; hi, ubi Homerica agitur explicatio, plerumque significantur, quotiens grammatici, praesertim Apollonius et scholiastae Homerici atque Eustathius, communi indice τῶν γλοσσογράφων utantur.« Verissimum, quod de scriptoribus, qui antiquis illis magistris posteriores essent, cogitandum esse Meierus censuit: quantum vero ad Heliodorum et Apionem, non accedo, siquidem hunc Tiberii et Claudii aetate floruisse constat.[1]) Nam in Schol. Ven. certe uno alteroque loco, qui manifeste sunt Aristonici, deprehenditur is diplae usus, de quo agimus, notatus. Exscribam unum, ι, 404: ἡ διπλῆ πρὸς τοὺς γλωσσογράφους, „ἀφήτορος" τοῦ στροφέως ἀποδιδόντας. Alios suppeditare potest index exemplorum a Lehrsio exhibitus p. 44, quibus addendum esse ξ, 117 ex iis docemur quae de hoc loco congessit idem Lehrsius p. 112. Ceterum hoc dictum esto de solis illis Scholiis: nam de Heliodoro et Apione, ubi ab Eustathio vel alio quopiam recentiore grammatico γλωσσογράφοι Homerici laudantur, lubenter concedo. Ex illo vero Aristonici more adnotandi ab Aristarcho alieno, quem praesertim loco exscripto cum Anecdoto Romano plane convenire vides, iam patet, Aristonicum in apponenda illustrandaque Aristarchi notatione se non continuisse, sed ipsum signorum quiddam nonnumquam adiecisse, id quod factum esse posse iam suspicati sumus, ubi locum quendam Suidae ad Aristonicum pertinentem tractavi §. 3; sive quod aliquid a semetipso excogitatum, sive extrinsecus petitum, addendum videbatur: cuius conditionis potest putari locus θ, 209: ἡ διπλῆ ὅτι δασύνουσιν ἄπτοεπές, καθαπτομένη τοῖς ἔπεσιν· Ἀρίσταρχος δὲ ψιλοῖ, ubi vides diplam non ab Aristarcho adiectam esse, sed ab Aristonico, suam ipsius sententiam continuo subiiciente: ἐμφατικώτερον δὲ τὸ

1) Quod Bergkius De tabula Iliadis Parisina p. 5. se aliquando probaturum promittit, Grammaticorum quatuor Excerpta, quae Scholiis Venetis exhibeantur, ab Apione et Herodoro (sive Heliodoro) confecta esse, id sibi habeto. Cf. Düntzer De Zenodoto p. 2.

ψιλοῦν, καὶ ἴσως ἦν παρὰ τὸ πτοεῖσθαι, ἡ ἄγαν πτοοῦσα· ἢ παρὰ τὸ ἀπτὸς τὸ ἰσχυρόν, ὥστε εἶναι δεινοεπές. Certior, immo certissimus est locus κ, 398: ὅτι ὄντως γραπτέον „βουλεύουσι" καὶ „θέλουσι"· τὸ γὰρ „σφίσιν" ἐν τῷ περί τινών ἐστι λόγῳ, ἀντὶ τοῦ αὐτοῖς, ᾧ ἀκόλουθα δεῖ εἶναι τὰ ῥήματα· ταῦτα ὁ Ἀριστόνικος περὶ τῆς γραφῆς φησί, διπλῆν βάλλων τῷ στίχῳ· ἐν μέντοι τῇ τετραλογίᾳ Νεμεσίωνος οὕτως εὗρον περὶ τῶν στίχων τούτων· τῶν παρακειμένων ὀβελῶν οὐκ ἔστιν αἰτίαν εὑρεῖν διὰ τῶν Ἀρισαρχείων ὑπομνημάτων· Ἀμμώνιος δέ ὁ Ἀριστάρχειος πρῶτον μὲν στιγμαῖς φησὶ τὸν Ἀρίσταρχον παρασημειώσασθαι αὐτούς, εἶτα δὲ καὶ τέλειον ἐξελεῖν, τάχα διὰ τὸ ἐπὶ δευτέρου προσώπου τὸ „σφίσιν" τετάχθαι καὶ ἄνωθεν μετενηνέχθαι. Qui locus etiam eo valde memorabilis est quod obeli notatio affertur, quae quum diserte Aristarcho non deberi tradatur, posterioris accessionis indicem suppeditat. Atque in exemplo Iliadis Veneto versui praeter diplam obelus appictus est, quod rarissimum est et ab Aristarcho plane alienum.

Haec si ita, ut dixi, habent, non potest amplius ambigi, qui dicantur uno glossographorum nomine comprehensi et in Scholiis Venetis et in Anecdoto Romano: intelliguntur quicunque Homerum aliquibus scriptis indice Γλωσσῶν vel simili vulgatis commentati sunt a primis inde Alexandrinae eruditionis initiis quique vel non tantam laboris laudem consequuti sunt, ut eorum quisque nomine suo laudari mereretur, vel quum priorum interpretum glossas sibi probatas transcriberent, uno nomine comprehensi sunt. Tum quum eorum commenta nonnisi in locis controversis nec umquam sine refutatione afferri soleant, non mirari debemus puerilem sane quam prae se ferunt eruditionem a Lehrsio castigatam, quum praesertim si unus alterve sani quidpiam attulisset, id credi potest ipsius nomine et auctoritate laudatum fuisse, id quod ubi Aristophanis explicatio afferenda erat, revera factum esse ostendit α, 567, ubi huius explicatio v. ἀάπτους ex ipsius Γλωσσαῖς citatur; de qua interpretatione exposuit Lehrsius p. 317, de libro

ipso commemorato Nauckius Aristoph. Byz. p. 21. Similis rationis est locus Schol. A. ψ, 81, ubi ad explicandam lectionem Aristophani Rhianoque probatam affertur interpretatio loci ex Clearcho [2]) ἐν ταῖς γλώτταις. Ab hoc autem

---

2) Scriptoris aetas Meiero Comm. Andoc. VI, 2. p XVIII. aeque ac mihi incomperta. Si tamen, quod valde probabile est, idem est cum Clearcho eo, cuius frequens apud Athenaeum mentio fit, ex I. p. 4. E certe hoc constat, eum Archestrato dipnologo, quem ex eodem loco patet ante Callimachum vixisse, posteriorem fuisse. Ortu is Solensis (v. Athen. XII. p. 548. B. XIII. p. 611. C), secta peripateticus (v. II. p. 49. F), exquisitae et variae doctrinae scriptorum exstitit auctor permultorum, ab Athenaeo crebro laudatorum, ex quibus sola quae scholam grammaticam inprimis sapiant nomino tres περὶ παροιμιῶν libros, unos περὶ παιδείας, περὶ γρίφων: ex hoc griphos duos servavit Schol. Plat. Rep. V. p. 497. Bekk. Athenaei indicem scriptorum augeamus libro de somno, quem ex Proclo memorat Maius ad Cic. Remp. VI, 5. Tum affertur in illustrando paroemio Κλέαρχος ἐν Ἀρκεσίλᾳ Schol. Plat. de legg. V. p. 451. Bekk., quod opus idem cum Paroemiis esse, credibile videbitur recordanti, in alio paroemio interpretando rursus ab eodem Scholiasta in Phaedr. p. 319. Clearchum laudari: quamquam hic locus sumptus esse putari possit ex opere περὶ φιλίας, cuius tres libri ab Athenaeo citantur. Hunc vero Clearchum ut pro auctore τῶν Γλωσσῶν memorato habeam, adducor ratione reliquiarum nonnullarum, quae prorsus ad id genus litterarum accedunt. Schol. Plat. in Hipp. min. p. 334: λέγουσι δὲ καὶ τὴν λάγυνον λήκυθον, καὶ τὸ μεταξὺ τοῦ λευκανίου καὶ τοῦ αὐχένος ἠχῶδες, ὥς φησι Κλέαρχος. Athen. II. p. 49. F: Νίκανδρος „Μῆλον ὃ κόκκυγος καλέουσι.“ Κλέαρχος δ' ὁ περιπατητικός φησι Ῥοδίους καὶ Σικελιώτας βράβυλα καλεῖν τὰ κοκκύμηλα . . . Σέλευκος δ' ἐν γλώσσαις. Vides laudari eum inter glossographos, ut et XI. p, 486. B: λοιβήσιον· κύλιξ, ὥς φησι Κλέαρχος καὶ Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνός, ᾧ τὸ ἔλαιον ἐπισπένδουσι τοῖς ἱεροῖς. Videlicet Nicander laudatus is est, cuius ferebantur libri Ἀττικῶν ὀνομάτων, Athenaeo citati XV. p. 678. F. Cf. Meier Comm. Andoc. VI, 3. p. VIII et VI, 13. p. 63. Ceterum vix est quod moneam, ab hoc Clearcho distinguendos esse cognomines et comicum et tacticum, cuius memoriam resuscitavit Muellerus in Iahnii Jahrb. Suppl. IV. p. 557.

γλωσσογράφων nomine exemptum fuisse Cratetem, ostendit diplae punctatae usus in Anecdoto Rom. c. l. commemoratus: qua praeter Zenodotia et Aristarchia etiam Cratetia commenta notari solita esse traduntur.

Ceterum diplae purae usus, ex quo Aristarchi potissimum auctoritate et exemplo compendio inservire coepit, ad varios modos a posterioribus translatus esse videtur, et ita quidem ut ad omnem modum notandi aliquamcunque rem adhiberetur, et nulla quidem rerum generis ratione habita. Itaque si quis scripti cuiuscumque locus prae aliis designandus videbatur, is adiecta in margine dipla distinguebatur, veluti in epistolis: Cicero ad Att. VIII, 2: *Id ex Pompeii litteris cognosces: in quibus animadvertito illum locum, ubi erit* διπλῆ. *Videbis de Cnaeo nostro ipse Vibullius quid existimet.*

§. 42.

De dipla punctata criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

Quibus in rebus posteriorum criticorum usus a norma Aristarchi discesserit, §. 35 expositum est. Quum res ferebat, scripturae Aristarchiae proprietates notare, non poterant, si iuste agere vellent, illius aemulum, Cratetem, silentio praeterire, quod tamen raro factum videtur, quandoquidem in Schol. Ven. A. certe admodum pauca eius notationis exempla deprehendere contigit, neque ea certa, quum pro punctata dipla puram ostendant, neque tamen in hoc solemni librariorum errore supra notato, quo pro punctata pura scripta est, temere omittenda. Ψ, 679: ἡ διπλῆ, ὅτι ἐπὶ τοῦ Μηκιστέως ἀκουστέος „ὅς ποτε Θήβας ἦλθεν“, οὐκ ἐπὶ τοῦ Εὐρυάλου, ὡς ὁ Κράτης. Item ω, 282. Tum vs. 253, ubi contextus habet diplam appictam: „κατηφόνες, ὡς Μακεδόνες· οὕτως Ἀρίσταρχος, καὶ ἄμεινον... Κράτης μέντοι „κατηφέες“ γράφει. Item ο, 393.

§. 43.

De obelo criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

De posteriorum usu ab Aristarcho aliquantillum discrepante dictum §. 36.

§. 44.

De asterisco criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

Prorsus convenit posterioribus cum Aristarcho, ut ostendimus §. 37.

§. 45.

De obeli cum asterisco iuncti usu criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

Idem quod de asterisco puro etiam hac de nota valet. V. §. 38.

§. 46.

De antisigma criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum.

Prorsus et ad verbum ferme inter se conveniunt Anecdotum Rom. c. I et Parisinum, ex quibus quo modo posteriores critici antisigma usi sint, planissime perspicitur. Atqui a magistro suo discesserunt isti eo quod, ubi ille antisigma purum apposuerat, circumpunctatum adhiberent, puro alii notandi caussae, de qua mox dicendum, relicto. Anecd. Rom. c. I. et Venetum: Ͽ· τὸ δὲ ἀντίσιγμα παρεστιγμένον παρατίθεται, ὅταν ταυτολογῇ καὶ τὴν αὐτὴν διάνοιαν δεύτερον λέγῃ. Huius quidem signi in codice Iliadis Veneto, neque in contextu neque in Scholiis, nulla usquam mentio facta est. Nihilo tamen secius in vetustissimis eius generis notis hoc antisigma referendum, quandoquidem in Platonicis scriptis notandis adhibitum eademque potestate praeditum supra vidimus: quod si non ab Aristophane, quem

Platonicorum signorum auctorem fuisse suspicati sumus, inventum est, Aristarcho certe, ut suo loco ostendimus, prius fuit. De antisigma puro, quod pariter ignorant Scholia Veneta, Anecdotum Rom.: ɔ τὸ δὲ ἀντίσιγμα καθ' ἑαυτό πρὸς τοὺς ἐνηλλαγμένους τόπους καὶ ἀπᾴδοντας. Venetum: ɔ τὸ δὲ καθ' ἑαυτὸ ἀντίσιγμα πρὸς τοὺς ἐνηλλαγμένους τόπους καὶ μὴ συνᾴδοντας. Parisiense p. 86: »ɔ antisigma ponebatur ad eos versus, quorum ordo permutandus erat« similiterque Isidorus I, 20, 12.

De antisigma figura, quam iam supra tetigi §. 39, controversia nulla esse potest, quandoquidem ipsum nomen ostendit fuisse formatum ɔ, quale et ipsi codices, qui non imperitia librariorum corrupti sunt, exhibent, transumptum inde illud, quamvis diversa potestate, a Claudio Caesare, qui eo signo litteras PS Romanis scribendas commendaret, vel potius, ut cum Tacito Ann. XI, 14 loquar, imperitaret, teste Prisciano I. p. 558 (T. I. p. 40 Krehl): »Huic *s* praeponitur *p*, et loco ψ graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma, ƆC, hac figura scribi voluit. Sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.« Quo loco Krehlius quum a vulgata nihilo discessisset, anno post re in Analectis Tomo Prisciani sui altero subiectis p. 510 retractata, eodemque anno iterum scilicet propter rei, ut opinor, novitatem in Ephem. litt. Lips. No. 62. p. 496 pensitata, Prisciano praesertim propter codicum aut *antisima* aut *antissima* praebentium consensum, pro *antisigma* vindicandum esse ἀντίσιμα ostendere conatus est, cuius vocis conditio ipsa figurae vulgo in contextum susceptae optime conveniret. His Krehlii commentis ita olim respondi in Seebodii Misc. crit. V. I. p. 83. sq., ut nulla iam refutatione opus videatur, quum praesertim eodem anno, quo mea confutatio in lucem emissa est, Krehlii sententiam partim iisdem partim aliis argumentis impugnare viderim Prisciani recens editi censorem Ephem. litt. Ienens. 1822. No. 236. p. 430: qui si glossa aliqua nescio unde arrepta, qua antisigma figura explicatur *duo contraria sibi sima*,

firmari posse ait figuram vulgo (v. intpp. ad Tac. Ann. l. l.) et Krehlio comprobatam ƆC, non reputavit, eam explicationem procul dubio iam mature corrupta Prisciani scriptura niti. Ceterum earum quisquiliarum curioso suppeditabo similem glossam ad Prisciani l. l. spectantem, descriptam olim a me ex codice Regio Paris. 7773, satis antiquo, ex quo alias plura proferam, fol. 96. b: »ANTISIMMA. Simma apud Graecos est. Haec autem antissimma [sic cod.] idcirco nominatur, quod simma habeat duo contraria«. Ex qua glossa certe hoc lucramur, de sigma litterae figura magistrum cogitasse, unde apparet certo certius codicum Prisciani corruptorum lectio, quae Krehlio imposuit, quo modo accipienda sit.

Obiter advertamus signum ⊙, hic illic Evangeliorum codici Sangallensi appictum, Rettigium, Proleg. p. XLI id ipsum antisigma περιεστιγμένον appellare, repugnante ipsa signi figura, de qua nunc quidem nullum amplius dubium est: neque in notatione Veteris Testamenti ab Origene instituta, ut infra patebit, illud signum receptum fuit. Addam, ἀντίσιγμα προεστιγμένον, quod commemoratur a Presselio Beitr. zu Schneider's Griech. Wörterb. p. 10, quo testimonio nitatur, me ignorare.

§. 47.
De sigma.

Sigma simplicis usus silentio esset praetereundus, quum scriptorum veterum qui de notis criticis egerunt ne unus quidem eius mentionem fecerit, nisi eam Venetus Iliadis librarius aliquot locis apposuisset: sed ubi ratio huius notae a nobis habita est §. 39, simul apparuit, ab hoc notationis genere critico eam prorsus excludendam esse.

§. 48.
De signis quibusdam criticis ab Aristarchi disciplina alienis.

Hactenus dictum de signis iis quae duce Aristarcho a criticis Homericis, licet potestate quorundam nonnihil

inversa vel mutata, usurpata traduntur. In signis vero Homeridis alia quaedam nominantur, quae cum Aristarchi usu nihil habuisse videntur commune: de quibus singulatim agendum est.

§. 49.

De ceraunio.

Quamquam in antiquissimis signis criticis ceraunium ideo referendum est, quod eo praeter Aristophanem Byz. (v. §. 24) iam is, qui Platonem distinxit, ad notandam ἀγωγὴν τῆς φιλοσοφίας usus est (v. §. 21): tamen sero usu vulgari receptum videtur, quandoquidem ab iis demum criticis, qui multo post Aristarchum vixerunt, studiisque Homericis vacarunt, adhibitum novimus. Atque unum solum testem eius usus habemus auctorem Anecdoti Rom. c. I: T τὸ δὲ κεραύνιον· ἔστι μὲν τῶν σπανίως παρατιθεμένων, δηλοῖ δὲ καὶ αὐτὸ πολλὰς ζητήσεις πρὸς ταῖς προειρημέναις. Omittitur in indice signorum Aristarchiorum cap. II, item in Excerptis Villois. neque eius vestigium ullum in Scholiis Venetis Hom. Neque denique opus eo signo fuit Aristarcho, si quidem ad notandos versus spurios non carebat signo. Quae eius potestas fuerit, quam auctor Anecdoti ipse accurate nosse non videtur, egregie exponitur in Glossario vetere apud Maium Class. auct. T. VI. p. 577: »Ceraunium *(in cod. figura fulminis)* nota est quae in libris apponitur, quotiens multi versus improbantur, nec per singulos obelos; κεραυνὸς enim fulmen dicitur.« Hic si usus fuit posteriorum criticorum Homericorum, non admodum mirandum est, quod eius notae nullum in Iliade Veneta exemplum reperitur, quandoquidem librarius morem antiquorum secutus, ubi plures deinceps versus condemnandi erant, singulis quibusque obelum praefixit, veluti Iliad. α, 366. sq. 380. sq. β, 76. sq. et passim. Figura ceraunii, quam vellem ex codice suo Maius descriptam dedisset, dubia aut pro ratione temporum, vel etiam ex arbitrio notantis varia fuit. Isidorus I, 20, 21: »Ceraunium ponitur quoties multi versus impro-

bantur, nec per singulos obelantur: κεραυνὸς enim fulmen dicitur," ubi figura praeposita pingitur vel ←, vel ↓, vel ⋇. Primam sistit Tabula notarum pro mensuris et ponderibus ex cod. Regio vulgata a Montefalc. Palaeogr. Gr. p. 370; alteram Presselius l. l. p. 53. Isidoro similia referens Anecdotum Parisiense p. 87, prorsus diversam figuram praestat ·⋇·. His denique accedit ea forma, quam ex cod. Romano descripsimus, litteram graecam **T** fere reddentem.

§. 50.

De ceraea.

In Anecdoto Veneto, quod, ut dixi, ceraunium ignorat, in Homericis notis refertur κεραία, subiectis nonnullis siglorum elementis, quorum scriptura, ut adnotavi, incerta est, ut et ipsa figura κεραίας, eiusque munus, quum ne uno quidem verbo explicetur, perincertum est. Nam κεραία, ut in ipso vocis nomine consistamus, si ducta putari posset a cognomine nautico instrumento, de quo v. Boeckhii Attische Urk. des Seewesens p. 129, sive a similitudine antennae, cuius non una exstat imago in artis monumentis naviculas exhibentibus, lineae horizontalis, vel huius perpendiculari impositae speciem ostenderet, qualem v. c. his consignavit Ausonius Idyll. de litteris vs. 18:

Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum **T**.

At ex ipso vocis etymo necessario concludas forma fuisse paulo curvata, quod et usus loquendi ceteris omnibus locis, quibus variis de rebus usurpatur, comprobat, v. c. quum Plutarchus formam anciliorum his describit, Vit. Numae 13: κύκλος γὰρ οὐκ ἐστίν, οὐδ' ἀποδίδωσιν, ὡς πέλτη, τὴν περιφέρειαν, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι καὶ συνεπιστέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. Sunt igitur recurvae partes extremae: cui significationi convenit, quod vox ad scripturam translata apices litterarum designat. Unde fere patet esse lineam curvatam, hunc fere in modum ∼, quod ita habere

cognoscitur ex iis quae infra de lemnisco §. 71 dicentur ac praesertim ex Hesychii loco ibi commemorando, quo κεραίας uno duobusve punctis auctae nomine lemniscus significatur. Sed sunt haec notationis ab Origene sacris libris adhibitae, neque qui ante hunc eius signi mentionem fecerit in comperto habeo, ut malim id signum ex classe Homericorum exterminare, quippe male huc ab ecclesiastico aliquo translatum.

§. 51.

De omega obliquo.

Hoc signum -), sub calcem Anecdoti Veneti repertum, quo explicem nihil est in promptu: neque qui usus sit monstrare possum ullum. An forte errori eorum tribuendum, qui antisigma punctatum, quod prope ad istius formam accedit, quodque in Iliade Veneta appictum deprehendimus, confuderint?

§. 52.

De reliquis signis criticis Homericis.

Hactenus de signis iis posteriorum criticorum dictum est, quorum notitiam aut ex notarum libellis aut ex Scholiis Homericis accepimus: superest ut eorum quoque ratio habeatur, quae in Iliadis contextu Veneto singulis versibus appicta reperiuntur; quorum ubi res ferebat, quum iam suis locis mentio facta fuerit, hic appendicis loco ea sola afferenda sunt, quae ordine disputationis institutae tractari non poterant. Ceterum in manca hac verae contextus notationis cognitione non satis deploranda, de qua supra dictum, standum est in singulis atque in fama incerta. Sunt vero istae notae ex genere compositarum, quarum unam formam obeli cum asterisco iuncti Aristarchus, quantum scimus, suam fecit: eiusdem generis sunt species diplae cum obelo et asterisci cum dipla punctata, quas suo loco, ubi de Aristarchi signatione Zenodotia sermo fuit §. 35, tractavimus. Quae ibi disputata sunt, plane ea ostendunt,

has notarum duarum iuncturas non vices simplicis gerere, sed propriam cuique potestatem esse et eam quidem quae vulgari usu recepta fuerit: quod et ipsorum locorum plurimorum ratio a Scholiastis exposita affatim docet. Ex eodem iam genere duo signa sunt quae deprehendi in Iliade Veneta, obelus cum dipla pura et asteriscus cum dipla pura.

§. 53.

De obelo cum dipla pura iuncto.

Exemplorum non una ratio, neque propter variam diplae potestatem esse potuit: quocirca singulatim ea examinanda et ad sua genera describenda sunt. Ac primo nominandi ii loci sunt, quibus obelo adiecto Zenodoti ἀθέτησις significatur, ξ, 114:

Τυδέος, ὃν Θήβῃσι χυτὴ κατὰ γαῖα κάλυψε,

ubi Schol. ὅτι χυτὴ γῆ ἡ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς ἐπιχεομένη, οὐ καθολικῶς, ὡς μέλαινα καὶ φερέσβιος. Ζηνόδοτος δὲ ἠθέτει· παρὰ Ἀριστοφάνει δὲ οὐκ ἦν· τὸ δὲ κάλυψεν Ἰωνικῶς. Igitur praeter ἀθέτησιν Zenodoti a discipulo comprobatam dipla adiicienda visa est, vel propter χυτή, vel propter Ἰωνικῶς, etsi in hoc quid Ionici insit me fugit: immo diplam spectare ad χυτή, propterea quod iam supra ζ, 446 idem vocabulum eodem signo in Scholiis notatum sit, bene adnotavit Heynius Obs. T. VI. p. 542. Ceterum obelus praefixus est diplae, quod ἀθέτησις in notando loco potior habita est: quem notarum ordinem alibi non deprehendi. — O, 64:

Πηλείδεω Ἀχιλῆος· ὁ δ᾽ ἀνστήσει ὃν ἑταῖρον,

ubi Schol. A. οὕτως „ἀνστήσει ὃν“ οἱ Ἀριστάρχου· τινὲς δὲ „ἀνστήσειεν“ διὰ τοῦ ε. Ζηνόδοτος δὲ ἀπὸ τοῦ „Πηλείδεω Ἀχιλῆος“ ἕως τοῦ „τισσομένη τιμῆσαι“ (vs. 77) οὐδ᾽ ὅλως ἔγραφεν, quibuscum conferas quae in alio Cod. leguntur: ἐοίκασι γὰρ Εὐριπιδείῳ προλόγῳ ταῦτα. Obelus igitur ad ἀθέτησιν, dipla ad lectionis varietatem spectat. Ad eundemque modum exigenda est eadem signatio versuum 69, ubi in Scholiis A. διπλῇ σὺν ἀστερίσκῳ, hic an illic vitiose haud decerno, adnotatur, et 71, facile explicanda.

Tum una fortasse Aristarchia ἀθέτησις significatur obelo, τ, 367:

(ἐν δέ οἱ ἦτορ)

δῦν' ἄχος ἄτλητον· ὁ δ' ἄρα Τρωσὶ μενεαίνων.

Schol. A. ἀθετοῦνται στίχοι τέσσαρες [365—368]· γελοῖον γὰρ τὸ βρυχᾶσθαι Ἀχιλλέα, ἥ τε συνέπεια οὐδὲν ζητεῖ διαγραφέντων αὐτῶν· ὁ δὲ Σιδώνιος ἠθετηκέναι μὲν τὸ πρῶτόν φησιν αὐτῶν τοὺς ἀριθμούς, ὕστερον δὲ περιελεῖν τοὺς ὀβέλους, ποιητικὸν νομίσαντας τὸ τοιοῦτο· ὁ μέντοι Ἀμμώνιος ἐν τῷ περὶ τῆς ἐπεκδοθείσης διορθώσεως οὐδὲν τοιοῦτο λέγει, διπλῆν δὲ προσθετέον τῷ „δῦν' ἄχος ἄτλητον, ὁ δ' ἄρα Τρωσὶ μενεαίνων," ὅτι τὸ μενεαίνων νῦν θυμούμενος σημαίνει. Patet cur obelus appositus sit, item cur dipla: minus vero, quantum certe ad obelum, agi hic de crisi Aristarchia. Hanc tamen significari, perspexit Heynius Obs. T. VII. p. 686 ex memorato Ammonii libro, quippe quo altera Homeri recensio memoretur aperte. Unde profectus, quum de controversia Scholiastam agere intelligeret, quatuor illi versus num ab Aristarcho condemnati essent, nec ne, Heynius pro verbis vitiosis αὐτῶν τοὺς ἀριθμοὺς legendum suspicatus est αὐτοὺς τοὺς Ἀρισταρχείους, quod probarem, nisi quod Dionysius Sidonius (hic enim intelligitur) tradit, obelos ab Aristarcho primum adiectos, posthac vero ab eodem sublatos esse, personae ipsius magis quam iis, qui a nomine eius appellati sunt, convenire viderentur. Quocirca Aristarchi nomen saepius similibus vocibus oblitteratum recordatus, praestare censeo Ἀρίσταρχον τοὺς δ' (τέσσαρας) ῥυθμούς, si modo concedas ῥυθμοὺς recte pro στίχους poni, scribaturque νομίσαντα.

De criseos, quae in ceteris quatuor locis agitatur, auctore certo non liquet. Ω, 304:

χέρνιβον ἀμφίπολος, πρόχοόν θ' ἅμα, χερσὶν ἔχουσα.

Schol. A. ἀθετεῖται, ὅτι παρὰ τὸ σύνηθες αὐτῷ χέρνιβον τὸ ἀγγεῖον τὸ ὑποδεχόμενον τὸ ὕδωρ, ὡς ἡμεῖς· τοῦτο δὲ αὐτὸς εἴωθε καλεῖν λέβητα, τὸ δὲ κατὰ τῶν χειρῶν διδόμενον ὕδωρ χέρνιβα· ἔνιοι δὲ διπλῇ σημειοῦνται ὡς ἅπαξ ἐνταῦθα εἰρημένον. Ad veterem hanc crisin, quam Aristarcho ideo tribuendam

censeo, quod in ceteris Scholiorum codd. aliorum criticorum ratio non habetur, respicit Philemo Lex. techn. 286. p. 199: Χέρνιβα· τὰ εἰς χειρὸς νίμματα χεόμενα... Ὅμηρος μὲν χέρνιβον ἀσυνήθως, ἅπαξ εἶπεν, ἡμῖν δὲ συνήθως, τὸ χέρνιπτρον, ὡς παρασημειοῦνται καὶ οἱ παλαιοί, τουτέστι, τὸ τοῦ ὑγροῦ ὑποδεκτικὸν ἀγγεῖον, ὃν λέβητα καλεῖν αὐτὸς εἴωθεν· ἄλλως μέντοι χέρνιβα λέγειν ἔθος αὐτῷ τὸ κατὰ χειρῶν διδόμενον ὕδωρ. [1]) πρόχοος δὲ ὁ τὸ τοιοῦτον ὕδωρ χέων λέβης. Diversa igitur etiam hic signorum ratio, neque ambo ab eodem critico adiecta sunt, quandoquidem obelus, quem ab Aristarcho appositum arbitror, ad totius versus ἀθέτησιν spectavit, dipla ad notandum ἅπαξ εἰρημένον. — K, 378:

ἤ τινα συλήσων νεκύων κατατεθνειώτων,

ubi Schol. A. ἡ διπλῆ, ὅτι ἐκ τῶν ἐπάνω (343) ὧδε μετάκειται ἤδη παρεληλυθότων αὐτῶν τοὺς νεκρούς· καὶ ὁ Ὀδυσσεὺς ἀσύνετος ἔσται πρόφασιν αὐτῷ πορίζων· ἠθέτει καὶ Ἀριστοφάνης. Caussa utriusque signi patet: non item quis praeter Aristophanem obelum adiecerit, nisi intelligitur Aristarchus, ut opinor. — X, 489. 492. 494. 496.

ἔσσοντ᾽· ἄλλοι γάρ οἱ ἀπουρίσσουσιν ἀρούρας
δευόμενος δέ τ᾽ ἄνεισι παῖς ἐς πατρὸς ἑταίρους
τῶν δ᾽ ἐλεησάντων κοτύλην τις τυτθὸν ἐπέσχε
τὴν δὲ καὶ ἀμφιθαλὴς ἐκ δαίτυος ἐστυφέλιξε.

Totus locus inde a vs. 487 usque ad 499 criticorum iudicio plures ob caussas, quas enarrare longum est, in spuriis relatus ideoque obelo unusquisque versus notatus est. Cum qua ἀθετήσει nihil commune habet dipla versibus illis quatuor apposita, cuius ne eadem quidem ubique ratio est. Ac versibus 489 et 492 dipla cur adiecta sit, diserte in Scholiis non adnotatur: quamquam quum illic vocem ἀπουρίσσουσιν haud vulgari usu positam, hic ἐς insolentius pro πρὸς dictum Scholiastis designare visum sit, diplam apponendi caussam divinare licet, id quod et Heynium video statuisse, qui

1) V. Brunck. ad Soph Oed. T. 240 ibique Schol. De vasculi significatione vide notata ad Phil. p. 201 et Heynium.

similiter duce Scholiasta A. etiam de tertio loco iudicavit, quippe quo κοτύλη de genere poculi praeter consuetudinem, qua posteriore aetate de mensura quadam diceretur, usurpatum esset. Quarto vero loco aperta res est, in Scholiis declarata: ἅπαξ δὲ εἴρηται ὁ ἀμφιθαλὴς παρ' Ὁμήρῳ. — Ω, 778.

Ἄξετε νῦν, Τρῶες, ξύλα ἄστυδε, μηδέ τι θυμῷ,

ubi Heynius de signationis ratione: »nullum scholion respondet, neque assequor, quomodo hic versus abesse possit, aut suspectus esse. At per στιγμὴν [diplam] notatum esse potuit ἄξετε, futurum pro imperativo, v. ad γ, 105. non enim verbum ἄξω statuendum est.« Verissima haec, quandoquidem l. l. Scholia: ἄξετε: ἡ διπλῆ, ὅτι τὸ ἄξετε οὐ τὸν μέλλοντα σημαίνει, ἀλλ' ἴσον τῷ ἄγετε.

Diversae rationis est dipla, quae dicitur, obelata, de qua v. §. 72.

§. 54.

De asterisco cum dipla pura iuncto.

Similis signorum horum, ratione proprietatis cuiusque habita, vis et usus, quandoquidem potestas cuiusque per se spectatur, ut in obelo cum dipla iuncto: neque discriminis quicquam esse videtur, utrum signum praeponatur. Atque conferenti ea, quae de usu Aristarchio obeli cum asterisco §. 38 exposita sunt, patebit, inter huius et eius, de qua agimus, signationis ratione, si potestas spectatur, nihil interesse, nisi forte notati isto modo ab Aristarcho versus revera in spuriis habiti sunt, dum posteriores critici rei satisfecisse sibi visi sunt, si versuum inconvenientiam notassent. Exemplorum cunctorum, quae inveniantur, primum affero, quo optime huius signationis ratio explanatur, ε, 734—36:

πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει,
ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν·
ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο.

Cuique versui asteriscus appositus, postremo insuper dipla. Schol. A: οἱ ἀστερίσκοι, ὅτι ἐνταῦθα μὴ καλῶς κεῖνται, ἐν δὲ

τῇ κόλῳ μάχῃ (Iliad. θ, 385) μηδεμιᾶς φαινομένης ἀριστείας οὐ δεόντως· ὁ δὲ Ζηνόδοτος τούτους μὲν ἀθετεῖ, ἐκείνους δὲ καταλείπει· τῷ δὲ τρίτῳ παράκειται καὶ διπλῆ, ὅτι δασύνειν δεῖ τὸ ἧ δέ· ἐπανέλαβε γὰρ, ὡς ἔθος αὐτῷ, τὸν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς λόγον. Eadem diplae appositae caussa cernitur δ, 243:

τίφθ' οὕτως ἔστητε τεθηπότες, ἠΰτε νεβροί;

ubi utrum ἔστητε, an ἕστητε scribendum esset, criticos inter se disceptasse ex Scholiis edocemur, ceterum dipla ipsa haud magis adnotata quam asterisco, qui in contextu diplae adiicitur. Asteriscum cum Heynio arbitror appositum, quod versus certe pars, h. e. phrasis ἕστητε τεθηπότες, iterum vs. 246 legeretur. [2]) — Z, 506—511. Hic si quis alius locus planum facit notam quamque per se accipiendam esse. His enim versibus, in contextu asterisco distinctis, subiicitur adnotatio: τούτοις ὁμοίως ἀστερίσκοι παράκεινται, ὅτι τὴν παραβολὴν ὅλην ἐπὶ Ἕκτορος βληθέντος λίθῳ ὑπ' Αἴαντος μετήνεγκεν ἐντεῦθεν (Iliad. o, 263—268). Nihil igitur de dipla, qua priores duo versus in contextu insuper notantur:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων.

Sed in iisdem Scholiis A. adnotatur, diplam priori versui appositam esse propter ἀκοστήσας, posteriori tum propter omissum διὰ ad vocem πεδίοιο, tum propter singularem verbi κροαίνων usum. De quo loco supra dictum §. 3. — Ξ, 205—207:

τοὺς εἶμ' ὀψομένη, καί σφ' ἄκριτα νείκεα λύσω·
ἤδη γὰρ δηρὸν χρόνον ἀλλήλων ἀπέχονται
εὐνῆς καὶ φιλότητος, ἐπεὶ χόλος ἔμπεσε θυμῷ.

Praeter asteriscum, quo quisque versus in contextu distinctus

---

2) Alium eiusdem libri E locum vs. 906, quem in primariis exemplis notaram, praetermittendum esse nunc a Pluygersio De ed. carm. Hom. et Schol. p. 7 edoctus sum, qui tum in signis contextui appingendis tum in confingendo Scholio a librariis et editoribus locum deformatum esse ostendit, recte insuper addens, notam, quae ibi falso appelletur, διπλῆν σὺν ἀστερίσκῳ περιεστιγμένῳ, inauditam in scholiis Aristarchiis esse.

est, medio superaddita dipla est, cum qua signatione non consentit Scholiasta A. ἡ διπλῆ, ὅτι νῦν καλῶς λέγονται, ἐν δὲ τοῖς κάτω πρὸς τὸν Δία (305—307) οὐκέτι. In quibus cum asterisco dipla confusa videtur, quandoquidem iam ex superioribus locis patet, illam vim inprimis asterisco tributam esse. Confusionis vero origo inde repetenda, quod versui 206 dipla olim revera addita videtur, quod colligitur ex A. ὅτι παραλλήλως δηρὸν καὶ χρόνον, quibuscum iungendus V. ἐκ παραλλήλου· φησὶ γὰρ „αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν (Iliad. β, 298). — O, 182:

καὶ γενεῇ πρότερος, σὸν δ' οὐκ ὄθεται φίλον ἦτορ
ἶσόν οἱ φάσθαι, τόν τε στυγέουσι καὶ ἄλλοι.

Schol. A. ad vs. 183: ἡ διπλῆ ὅτι τὸ στυγέουσιν ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἐν διαφορᾷ μετάγεται, νῦν μὲν δεδίασιν, ὅταν δὲ εἴπῃ „σμερδαλέ' εὐρωέντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ" (Il. υ, 65), ἀντὶ τοῦ μισοῦσιν· „κατὰ δ' ἔστυγε μῦθον ἀκούσας" (Il. ρ, 694), κατεστύγνασεν, ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ πρόσωπον στυγνότητος. His continuo subiunguntur ad utrumque versum referenda: οἱ δὲ ἀστερίσκοι, ὅτι ἐντεῦθεν μετάκεινται ἄνω, οὐχ ὑγιῶς, scilicet vss. 166 et 167, quibus in contextu asterisci cum obelis recte appinguntur, ratione huius notationis accurate in Schol. exposita, dum his solis asteriscis locus dandus erat, quibus superadditur dipla aliorsum spectans, in contextu quidem socordia librarii omissa.

Reliqua exempla, quoniam non adiuvamur eadem industria Scholiastarum, minus certae sunt conditionis. B, 480:

Ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων,

ad quem locum Heynius: „diple, etsi Scholion exeidit, spectavit forte ad comparationem Agamemonis cum tauro: in qua tantum corporis vasti species insignis et eminens respicitur." V. Schol. Asteriscus fortasse ob similitudinem verborum π, 487:

ἠΰτε ταῦρον ἔπεφνε λέων ἀγέληφι μετελθών.

Γ, 3:

ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,

ubi Heynius: „Huic versui appicta dipla, quod ad οὐρανόθι

πρὸ spectat, ὅτι ἀντὶ τοῦ ὑπὸ τὰ νέφη τόπου [ut aiunt Schol.]. Appictus et asteriscus: sed Scholion excidit.« Ut priore loco, ita etiam hoc qui asteriscum adiecit, iteratas similis imaginis formulas respicit, quae leguntur β, 459. sq. vel etiam ο, 690. sq. — Γ, 36:

ὣς αὖτις καθ' ὅμιλον ἔδυ Τρώων ἀγερώχων.

Heynius: »Stigme [diple] respicit voc. ἀγερώχων [in qua explicanda Scholiastae discedunt], et asteriscus idem voc. h. l. de Troianis, nec tantum de Rhodiis (B, 654, ut nonnulli statuisse videntur) dictum.« Habemus igitur rursus similis phraseos asterisco notatae exemplum. Diplae rationem ipsi Scholiastae explicuerunt. — Δ, 141:

ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ,

Schol. A. ἡ δὲ διπλῆ, ὅτι τινὲς ἐλέφαντα ὡς βλαβερὰ διενεγκάμενοι τῷ τόνῳ ἀπέδωκαν ἔρια λευκά· νῦν δὲ κυρίως ἀκούειν τὸν ἐλέφαντα. Heynius alterum signum, quippe quo declaretur, versum et alibi legi, ab hoc loco alienum censet: neque mihi quid in mente adnotator habuerit in promptu est.

§. 55.

De coronide.

Postremo coronis afferenda est, non quod in criticis notis est, sed quod qui his quondam usi sunt, simul etiam illam usurparunt. Cuius signi, si consuetudo antiquorum spectatur, una eademque potestas fuit, varius tamen pro scriptorum genere usus eius: quod Isidorus I, 20, 26, consentientibus reliquis qui rem attigerunt grammaticis recte dixit *in fine librorum apponi*, si modo librorum notio paulo liberiore sensu accipitur; unde proverbium illud Romanis aeque atque Graecis proprium, κορωνίδα ἐπιτιθέναι, vel etiam ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος, natum constat, quod de quovis opere ad umbilicum perducto dicitur. V. Schwarz Diss. II de ornamentis librorum apud veteres usitatis, Lipsiae 1706, §. XVI. Rhodigini Antiq. lect. XV, 20. Dausqueii Orthogr. Lat. Tractat. V. T. I. p. 171. Etenim solita est non solum librorum sub calcem, sed horum quoque

partibus singulis, si quem finem attigissent, clausulae loco, vel etiam ad transitum ab uno colo ad alterum significandum apponi. Quam posteriorem usus rationem variis modis in scriptis lyricorum et dramaticorum poetarum adhibitum supra notavimus passim: ex quo simul perantiquus eius usus cognoscitur, quandoquidem illas notas Aristophanes Byz. si non ipse invenit, certe iam usurpasse dicitur. Eodem signo in Homero suo adornando neque Aristophanem neque Aristarchum usos esse, cur credibile sit, ostendam §. 87, quamvis in exemplis Homeri anterioribus adhibitum sit. At posthac non potest dubitari quin recentiores Homeri editores suum fecerint, etsi nullum eius vestigium in Iliadis Venetae contextu neque in Scholiis Ven. deprehendi videatur. Nam delitescere unum alterumve, adhuc non animadversum, credibile videbitur collaturo §. sequenti nobis notata. Omnium quotquot per genuina sive Graecorum sive Romanorum scripta investigare potui exemplorum vestigia antiquissima legi in Epicuri de natura codice Herculanensi, ubi coronidem binis locis Lib. II. Col. XI et Lib. XI. Col. XIII (Volum. Herculanens. T. II) quamvis utroque loco formis diversis exaratam, sub finem periodorum in ora reperisse mihi videor. Quibus tertium, rursus forma diversum, addi fortasse potest in Philodemi de musica Herculanensi papyro Col. VII margini adscriptum, de quo iterum dicendum, ubi de dipla obelata §. 72 sermo erit. Ex alio genere scriptorum coronidis exemplum antiquum, quod ad formam Graecae -⌒- vel ω prope accedit, suppeditat codex Bembinus Terentii, ubi sub finem Andriae verbo *plaudite* praepositum legitur: quo quum Bentleius arbitrabatur cantoris, qui *plaudite* pronuntiasset, nomen compendiose scriptum exhiberi, nunc ad significandum fabulae finem appositum esse non dubitatur. Ut hic in forma eodem in libro variatum, ita varia omnino huius signi figura fuit, diversa specie hic illic ab editoribus exhibita: quibus tamen omnibus diversitatibus commune hoc est, quod lineae una vel pluribus curvaturis conscriptae

speciem ostendit, veluti ʒ, ut pingitur in editione Isidori ab Ottone curata, aliam suppeditantibus codice Parisino, rursus aliam Anecdoto Paris. Lineae vero curvatae speciem etiam Papyrus Herculanensis exhibet, ita ut quaecunque eius forma fuerit, quum ubique curvati aliquid ostendat, haud male Meleager cum inflexo serpentis tergo comparavit epigrammate festivo, quo ipsa coronis operi finem impositura introducitur, epigrammatum omnium ultimo:

Ἁ πύματον καμπτῆρα καταγγέλλουσα κορωνίς,
 ὀρκοῦρος γραπταῖς πιστοτάτα σέλισιν,
φαμὶ τὸν ἐκ πάντων ἠθροισμένον εἰς ἕνα μοργὸν
 ὑμνοθετᾶν βύβλῳ τᾷδ' ἐνελιξάμενον
ἐκτελέσαι Μελέαγρον, ἀείμνηστον δὲ Διοκλεῖ
 ἄνθεσι συμπλέξαι μουσοπόλῳ στέφανον.
οὖλα δ' ἐγὼ καμφθεῖσα δρακοντείοις ἴσα νώτοις,
 σύνθρονος ἵδρυμαι τέρμασιν εὐμαθίας. [1]).

Cum hac signi potestate bene convenit vocis origo, quippe ducendae a κορώνη, de qua Schol. Pal. Odyss. η, 90: Κορώνη καὶ ἐπὶ τοῦ τόξου καὶ ἐπὶ τῆς θύρας καὶ ἐπὶ τῆς πρύμνης τοῦ πλοίου, διὰ τὸ ἐπικαμπὲς σχῆμα· εἴρηται δὲ ταῦτα ἀπὸ τοῦ ζώου, τῆς κορώνης· εὐλύγιστον γὰρ ἔχει ὅσον εὐκαμπῆ τὸν τράχηλον· καὶ περὶ μέρους σώματος ἐπὶ τοῦ ἀγκῶνος. [2]) Φιλόξε-

1) Iacobs Anthol. Pal. T. II. p. 529. Quae mutavi ipse, horum hic est index et ratio: Vs. 3 Iacobsius Palat. lectionem revocavit, μόχθον, quam alienam olim ipse pronuntiaverat. Quod restitui firmabit satis, ut opinor, Aristides Quintil. I. p. 4. Meib. Τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς, καὶ ταῦτα μηδὲν μουσικῆς πέρι διατονουμένοις, μικρῷ δέ τινι ταύτης μοργῷ πράξεων παλαιῶν ἀφήγησιν ποιουμένοις Μοῦσαί τε καλοῦνται καὶ Ἀπόλλων Μουσῶν ἐπιστάτης, quibuscum conferendus Hesychius: Μόργος, φραγμός. Intelligitur igitur septum, in quo aliquid coerceatur, cum qua imagine bene convenit quod versu praecedenti legitur ὀρκοῦρος etc. — Vs. 6. Vulgatur μουσοπόλον. Melius, opinor, habet epitheton nomini Dioclis adiectum: cui ubi oppellam poeta suam primo carmine dedicari scribit, voce ἀρίζαλος adiecta debitum honorem tribuit, idem probabiliter, ubi postremum appellat, facturus.

2) Psellus in Boissonadii Anecd. Gr. T. III. p. 228: Κορώνην δὲ τὸ

νος etc., ubi quod pro περιμερου (sic) scripsi, suppeditavit Etym. M. p. 530, 53, eundem ex Philoxeno articulum praestans. Schol. apud Prellerum Notatione cod. Hamburg. Odysseae Part. I. p. 33 item ex Philoxeno similia referens, παρὰ μέρος σώματος περὶ τοῦ ἀγκῶνος. Ad vocis significationem praeterea cf. Schol. Odyss. α, 441. φ, 46. Eustath. ad Iliad. α, 170 et Rhodigini Antiq. lect. XV, 20. Quibus omnibus collatis non potest dubitari, quin a κορώνης nomine et κορωνὶς et a cornicis habitu illius vocis significatus ducti sint. Quo etiam pertinet qui ab habitu colli Simonidi dicitur ἵππος κορωνίδης, ut egregie a Welckero pro κορωνίτης scriptum est, probatum et Schneidewino Zeitschr. f. d. Alterth. 1836 p. 372 et Bergkio Commentat. crit. spec. p. 19, qui tamen mavult κορωνίης.

Est praeterea etiam alia eius signi vis cum ea, quam adhuc tractavi, non confundenda: quam, quum potius in notis grammaticis quam criticis referenda sit, verbo tantum tangam. Rem illustrat Lexicon de spiritibus, sub finem p. 242: Ἰστέον ὅτι ἡ κορωνὶς οὐκ ἐν πάσαις τίθεται ταῖς κράσεσιν, ἀλλ' ὅταν ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων γένηται ἡ κρᾶσις, οἷον τὸ ἔργον τοὔργον· τὸ ἔλαιον τοὔλαιον· τὸ ἔπος, τοὔπος [v. Schol. Sophocl. Oed. T. 89]· καὶ ἔγω, κἀγώ· τὰ ἄλλα, τἄλλα, καὶ τὰ ὅμοια· ὅταν δὲ μὴ ἐν ἁρμογῇ λέξεων δύο γίνηται [aut γένηται legendum, aut utroque loco γίνηται] ἡ κρᾶσις, οὐ τίθεται ἡ κωρωνίς, οἷον νόος, νοῦς· πλόος, πλοῦς. Ita locum restituit Boissonadius Anecd. Gr. T. II. p. 37, similem alium ex Cod. Reg. Paris. 1270 locum grammatici cuiusdam conferens. Adde Etym. M. p. 763, 10. Quibus testimoniis collatis aperte sequitur, grammaticorum ex doctrina coronidi nonnisi in eo genere crasium, quae in concursu duarum vocum constarent, locum datum esse. Quocirca errarunt qui Sophoclis Aiace init. Λαρτίου etiam post Schaeferum, qui spiritu, vel potius coronide, ut dicendum erat, vocem carere

κόρωνον λέγουσι τοῦ ἀγκῶνος. Quem versum cum aliis Pselli ibidem editis editorem fugit iam ante vulgatum esse a Titzio ad Manuelis Moschopuli Opusc. gramm. p. 57.

posse adnotaverat, retinuerunt, quandoquidem eius signi, quod antiquorum usus ignoravit, inventio ex scholis grammaticorum unice repetenda est, nobisque si omnino huius signi usus tenendus est, alia non potest lex observari quam quae a grammaticis ipsis constituta est. Atque ea scribendi ratio non solum in hoc genere crasium, sed in omni utique a consuetudine antiquitatis abhorruit, siquidem ex titulis inscriptis constat olim scriptum esse v. c. ΚΑΓΩ (Ephem. litt. Hal. 1823. No. 273. p. 444), ΤΟΛΑLΜΑ (τοὔγαλμα, Müller De Minerva Poliade p. 51), ΟΠΙΠΛΑΝΑΤΑΣ (ὁ ἐπιπλ., Welcker Spicil. epigr. II. p. 15), ΗΣΧΕ (ἢ 'σχε, ibid. p. 31), ΚΑΠΙΔΑΚΡΥΣΑΙ (ibid. p. 29), ΚΑΜΕ (καὶ ἐμέ, Grut. p. 1113, 6), ΤΑΘΕΝΑΙΑΙ (τῇ 'Αθηναίᾳ, Raoul-Rochette Questions de l'hist. de l'art p. 174); alia permulta eiusdem generis exempla, quorum nonnulla suppeditabit Sylloge inscr. p. 127 et 574: quae me minime fugit diversae quidem esse rationis, sed consulto ea hic composita sunt, quo melius ostendatur, nullo in genere crasium illud signum ab antiquo quoquam homine scriptum esse. Immo ubi vocalium esset concursus, qui alioquin mutationem ipsarum per crasin effecisset, constat saepe ab antiquis litteras singulas integras scriptas esse, quemadmodum ΚΑΙΕΓΩ bisyllabum exstat in titulo in Revue de philologie T. I. p. 301, vel non elisa ultima syllaba ΕΡΡΕ (ἔῤῥε), ΗΡΠΑΣΕ in Lud. Stephani Tit. Graec. Part. III. p. 4, ΔΕ ibid. IV. p. 18, καὶ δέκα ἔχοντι Inscr. ap. Boissonadium ad Holstenii Epist. p. 451 et 454: quae exempla iis accedant, quae alio loco olim congessi. Propius ad rem est notare, eam scribendi rationem etiamtum Zenodoto locis nonnullis Homericis probatam fuisse, id quod ostendit Pluygersius De Zenodoti editione carm. Hom. p. 8, etiam Aristarcho nonnumquam, monente Friedlaendero De Nicanore p. 127. Cf. Lehrs Quaest. ep. p. 49. Quinimmo in eiusmodi dictionibus, quibus vel crasi vel elisione adhibita syllabarum vis facile obscurari poterat, quales sunt v. c. μὴ ἀδικῶν, vel ἡ ἀγαθή, quas confert Brunckius ad Sophocl. Phil. 772. Erf. multo pro-

babilius videtur, eas perscriptas esse uti et Brunckius censet, pronuntiatas autem ad sonum vocalium concurrentium mixtum. Neque in iis coronis fuit signis, quae Alexandrinorum grammaticorum, reperiendis cuiusvis generis notis tam feracium, industria invenerit, quandoquidem eius rei nullum certe testimonium ad nos perlatum est: atque ita esse, docet vulgaris scribendi usus, a quo ea signandi ratio utique aliena fuit, vel ex Papyris, ut titulos omittam, cognoscendus, quibus crases omnes sine notis purae exhibentur. Ne longius abeam, ex una Philodemi pagina (Volum. Herculanens. T. I. Col. XVII) produco KAKEINO et KAN, uti distincte hodieque cernitur. Adde quod in fragmento Papyri Parisiensi, quo Iliadis frustum exhibetur, nullum coronidis vestigium deprehenditur, quum tamen pleraeque voces accentuum signis distinctae sint: de qua Papyro alias dicam. Neque praestant aliae eiusdem argumenti et conditionis papyri superstites. Unum quod novi coronidis genuinae exemplum suppeditat lapis a Welckero Syllog. epigr. p. 119 primum vulgatus, ubi ὤνδρες ita scriptum ut supra litt. ν craseos signum figuram spiritus lenis imitans exhibitum sit. Si igitur in comperto habemus, coronidis ad crasin notandam usum a consuetudinè veterum omnino abhorruisse, non tanti videtur serio rimari, in scriptis veterum excudendis eam utrum praestet retinere, id quod post Seidlerum Excursu ad Eurip. Troades Wolfius Anal. litt. II. p. 439 suadere videtur, an omittere, quum praesertim ipsa non ante medium fere aevum, quod et ipse Wolfius significare videtur p. 442, inventa esse possit. Ut nihil igitur id signum commune cum coronide antiqua habuit, ita etiam forma ab ea diversum fuit, siquidem ab inflexa figura in formam semicirculi ductum est, quo factum ut passim pro spiritu leni, ut monet Seidlerus, et habitum et eo nomine appellatum sit. Cognatum, sive figuram sive potestatem spectes, quamvis non idem signum est, quod ὑφέν, συναφὴν vel etiam συνάφειαν grammatici dixere, ad copulanda bina vocabula unam notionem efficientia inven-

tum, Nicanore, qui Hadriano floruit, cuius de usu v. Friedlaenderum p. 99. sq., vix antiquius: cuius signi si qua vestigia in codicibus Homeri Marciano et Ambr. Q. deprehenduntur, a Friedlaendero p. 101 notata, ea scholae criticorum Alexandrinorum deberi non solum nulla caussa est ut statuamus, sed novitia ea esse eo cognoscitur, quod eius signi in Scholiis Iliadis ab alio nullo nisi a Nicanore mentio iniicitur.

§. 56.

De signis nonnullis potestatis obscurae, exemplo Iliadis Veneto appictis.

Ut nihil denique omisisse arguar, quod ad rem illustrandam pertinere videri possit, verbo dicendum de signis nonnullis, quae uno teste Siebenkeesio (nam apud Villoisonum nihil eius rei notatum reperio) in codice Veneto hic illic adscripta sunt. Etenim ille, posteaquam de notis illis criticis, quae hactenus perlustravimus, verba fecit, ita pergit p. 18: »Die übrigen Zeichen

\\ / :: / \\   \\ · / · · · · · ·   Λ o   +   ⊣|⊢   ∾

bezeichnen blosse erklärende Scholien, und haben keinen kritischen Werth.« Haec paulo obscurius pronuntiata, si eam vim habent, ut singulis Scholiis, quae in mera explicatione versentur, ista signa apposita dicantur, ab eo genere, quod tractamus, tum re, tum etiam ipsa origine, quae longe recentioris temporis putari debet, aliena sunt. Suspicari tamen licet, uno horum aliquo, ut opinor, extremo coronidem designatam esse. Atque unum alterumve eorum signorum respexisse videtur Villoisonus, quum coronidem in iis notis ennumeraret, quae Iliadi Venetae appictae deprehenderentur, Anecd. Gr. T. II. p. 183. Qua de re certo ante iudicari non poterit, quam accuratius quam adhuc factum est, codex Venetus excussus fuerit, quod quum a Cobeto factum scimus, iterum iterumque optandum ut quantocius horum eximii viri studiorum fructus ad communem usum perferantur. Interim advertamus, ad illa signa,

quae ex Siebenkeesio attulimus, prope accedere figuram notae ·:· , qua teste Altero in cod. Vindob. ad Odyss. ψ, 296 (294) finis Odysseae designatur: hoc enim versu de sententia Aristophanis Aristarchique Odysseam desiise tradunt Scholia. Atque in eodem Vindob. insuper adscriptum τέλος Ὀδυσσείας.

§. 57.

De alogo.

Verbo haec nota Aristarchiis in Schol. V. Iliad. π, 613 vindicata hic certe commemoranda est: alienam fuisse ab usu Aristarchi, ostendimus infra, ubi de notatione Romanorum sermo est.

§. 58.

De Zenodoti, Aristophanis, inprimis Aristarchi studiis Hesiodiis.

Expositis iam iis quae de usu criticorum Homericorum Aristarcho posteriorum dicenda visa sunt, ad hunc ipsum, qui ceteris in tota hac disciplina facem praetulit, eo consilio revertendum, ut postquam quo modo in notando Homero versatus sit, supra explanatum est, etiam ea antiquorum scripta designentur, quibus eandem vel similem atque in Homero curam impenderit. Ac sane quem in hoc scriptore commentariis notisque criticis omni modo adornando tanto ardore et studio versatum scimus, mirum ni idem Hesiodo, aetate illi et genere carminis proximo parem aut similem curam praestitisset, quum praesertim si non ipsa utriusque poetae necessitudine mutua admonitus, magistri sui exemplo ad hunc laborem suscipiendum compelli debuisset. Hesiodo Ephesium Zenodotum operam suam contulisse, certo contendere non ausim cum Muetzellio Em. Hes. Theog. p. 283, unam scripturam Theog. 5 ex Ephesii grammatici recensione vindicante. [1]) Perincerta enim huius

1) Nicandro teste Ther. 8 Hesiodus hunc fluvium Περμησσὸς alibi appellavit: de quo loco v. Muetzell p. 496. sq. Atque quan-

testimonii auctoritas. Schol. Περμησὸς, ὃν καλοῦσιν οἱ ἐγχώριοι διὰ τὸ πρῶτον φανῆναι Πάρμησον, ὥς φησι Κράτης ἐν τοῖς Βοιωτικοῖς. Ἐμβάλλει δὲ εἰς τὴν Κωπαΐδα λίμνην. Ἐν δὲ τοῖς Ζηνοδοτείοις γράφει Τερμησσοῖο. Τὰς δὲ πηγὰς ἔχει etc. Vides, nisi cum Gaisfordio γράφεται scribamus, quis ille sit, qui scripsisse vel tradidisse dicatur, dubium esse; si vero in voce γράφει persistamus, non posse non hoc ad Cratetem eundem, qui antea memoratus est, referri. Tum illud ipsum ἐν τοῖς Ζηνοδοτείοις ambigui sensus est, quandoquidem utrum exemplaria Theogoniae vel lectiones vel glossae (probum auctorem Muetzellius asserit scripturum fuisse ταῖς) intelligantur, an liber quidam Cratetis nomine Ζηνοδότεια inscriptus significetur, minime constat. Quo obscurior vero hac in re Zenodoti studiorum fama est, tanto minus dubitari potest de Aristophane Byzantio, quandoquidem Hesiodi scripta, num hoc vel illud recte eius nomini adscriberetur, severiori iudicio eum subiecisse ex eo probabile est, quod Ὑποθήκας certe Hesiodo abiudicasse a Quintiliano I, 1, 15 traditur. Cf. Muetzell. p. 283. Atque singulari cura eum Theogoniae certe locos aliquot critice tractasse, testatur adnotatio in Scholiis ad vs. 68 servata: ἐπεσημήνατο ὁ Ἀριστοφάνης, ubi si morem huius grammatici criticum recordatus fueris, non poteris dubitare, quin verbum ἐπισημαίνεσθαι de eadem signo notandi consuetudine accipiendum sit, qua alibi ἐπισημειοῦσθαι dicitur, veluti in Schol. Aristoph. Vesp. 1480: ἐπισημειοῦται τὴν λέξιν κἀνταῦθα τὸ χ̄, vel παρασημειοῦσθαι, ut Schol. A. Iliad. κ, 398. Ac firmat hanc verbi significationem Aeneas Tacticus 31, ubi ἐπισεσημασμένα γράμματα dicuntur litterae singulae punctis distinctae, eodemque sensu etiam ἐπισημασία. Omnem dubitanti scrupulum adi-

---

tum ad lectionem Τερμησσοῖο cum Muetzellio facit Schoemannus Comm. de Schol. Theog. Hesiodeae 1848, p. 21, qui phrasi illa ἐν τοῖς Ζηνοδοτείοις fretus non dubitat editionem Zenodoti agnoscere. Ceterum hunc Schoemanni libellum tenendum est ad me demum perlatum esse, quum quae hac §. continentur conscripta essent omnia: quare eius, ubi res postulabat, rationem in notis saltim habui.

met Lucianus pro imaginibus c. 24. T. II. p. 504. Reitz.: ὁ τὰ νόθα ἐπισημηνάμενος τῶν ἐπῶν ἐν τῇ παραγραφῇ τῶν ὀβελῶν. Addo Schol. Harl. Odyss, ι, 48 apud Cramerum Anecd. Paris. T. III. p. 458: ἐπισημαίνονται δὲ ἐν Ἰλιάδι γείτονα μὴ ὠνομάσθη· ἐν δὲ Ὀδυσσείᾳ etc. Aliud exemplum ex Schol. in Plat. Timaeum dabo §. 68. Iam ego quidem non quaero, qua mente locum Hesiodi Aristophanes notarit, si modo concedatur, nota eum in designando loco usum esse: neque quaero quae Hesiodi scripta Aristophanes critice tractarit. [2]) Alter locus exstat Schol. ad Th. 126 tam corruptus ut vel dubium sit, an criticus Aristophanes significetur: cui loco restituendo non par fuit ingenium Nauckii Aristoph. p. 60, cuius commento adeo factum, ut Aristophanis nomen loco discesserit. [3])

Aristarchum iam, cuius ostendit Muetzellius l. l. p. 189 [4]) exstitisse olim integram Theogoniae recensionem, eamque adstructam rerum criticarum grammaticarumque commentariis, non mirabimur id opus si pari modo atque in Homeri carminibus illustrandis notandisque profligavit. Quid? quod ad vocem λακίδες afferuntur a grammaticis Aristarchi Σημεῖα Ἡσιόδου, sensu vocis quidem non satis plano, sed ex cuius ratione in commentarios, in quibus simul notarum usus locum habuerit, coniecturam facere liceat. Ac de signis criticis vocem intellexit Goettlingius Praef. Hes. p. XXXI. ed. pr. Utrum iam Operum et Dierum locum quendam an Theogoniae, quod mavult Muetzellius, illa notatio spectarit, in medio relinquo, satis habens commemorare, etiam in Opera exstitisse Aristarchi ὑπομνήματα, de quibus idem disputavit Muetzellius. Atque haud scio an ubi Aristarchus prooemium Operum in spuriis retulisse a

---

2) Idem senserunt Schoemannus p. 21 et Nauckius p. 59.

3) Schoemannus p. 22 aliam viam corrigendi ingressus, Aristophanis vel similis nominis vestigia quidem servavit, grammaticus tamen Aristophanes an significetur, in medio relinquit.

4) V. Schoemann. p. 8.

Proclo Praef. p. 3 Gaisf. traditur, temere factum sit, quod scribitur 'Αρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους. Tum obelorum Aristarchiorum vel ἀθετήσεως in Scholiis mentio fit Op. 200 et 738. Theog. 114, ubi v. Goettl. Est etiam Th. 138, ubi prorsus ad consuetudinem Aristarchiam aliquid οὐ καλῶς positum arguitur. Praeterea insunt in Scholiis aliae commentariorum reliquiae, a Goettlingio p. XXXII enotatae. Ac fidem rei facit, quod apprime huc pertinet, Aristonicum eundem, quem Homericam Aristarchi doctrinam commentariis illustrasse scimus, cuique quae ea de re ad aetatem nostram perlata sunt cummaxime deberi constat, eandem operam Aristarchio Hesiodo insumpsisse, quod certo colligitur ex eius libri, quem Suidas refert, memoria, περὶ τῶν σημείων τῶν ἐν τῇ Θεογονίᾳ 'Ησιόδου. „Eius de operis reliquiis Muetzellius p. 289: „Ex quo genere una eius notatio superest, Schol. Cantabr. ad v. 178 conservata. Vix dubito tamen, quin plures in Scholiis nostris adhuc lateant eorundem commentariorum reliquiae, magna ex parte nullo negotio detegendae. Ita Aristonico tribuenda duco, quae Scholiasta Cantabr. de signis criticis notavit ad v. 927 et 943.“ Priore loco leguntur: Πρῶτος οὗτος τὸν Ἥφαιστον ἐκ μόνης Ἥρας εἶπε· διὸ καὶ τοῦτο σημείωσαι [vel potius cum Muetzellio p. 337 διὸ καὶ τὸ σημεῖον]· ὁ δὲ Ὅμηρος, ἐκ Διὸς καὶ Ἥρας. Altero: Σημειωτέον, ὅτι δύο συλλαβῶν ἀποκοπαί εἰσιν. 'Αθετοῦνται ἐφεξῆς στίχοι ἐννέα· τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ πρόκειται. Haec omnia ad Theogoniam unice spectant. Ut autem postremi hi loci, quos attulit Muetzellius, dubitare licet an recte ad crisin Aristonici referantur, ita nolo abuti similis generis aliis in Scholiis Operum commemoratis et a Muetzellio indicatis (v. c. vs. 274), quippe qui eodem iure possint excerpti esse ex commentariis Didymi in Opera, quibus etiam verba poetae critice tractata esse testatur Schol. 300: unde pari iure atque ex Aristonico adscita possunt putari quae adnotantur, ex satis antiquae eruditionis copiis manifeste sublecta, ad vs. 236 de iusta versuum ordinatione et auctoritate, et

ad vs. 547 de Seleuci scriptura.[5]) Sive vero Aristonicus, sive Didymus, cuius de commentariis in Theogoniam disputavit Muetzellius p. 289. sq., pro primario fonte Scholiorum habendus est, sententiae mirifice favet id quod in Scholiis certe Theogoniae non memini, si unum aut alterum excipias, cuius auctoritatem sero additam esse ipsum nomen prodit, veluti Synesii, scriptorem quemquam citatum me reperire, qui Augusti aetatem, qua Aristonicus et Didymus vixerunt, excessisset.[6]).

§. 59.

De lyricorum poetarum scriptis ab Aristarcho notatis.

Ab epicis poetis ad lyricos transituro brevi mihi esse licet, quum quae ea de re sciri possunt, ea maximam partem §. 20 praecepta sunt. Ex quibus, ut summam recolam, apparet, si non aliorum plurium lyricorum, Alcaei certe carmina Aristarchum tractasse, vulgasse atque signis distinxisse, hoc tamen ita ut signa usurpata pro diversa poetae indole ab iis, quae epicis scriptoribus adhibuisset, diversa essent, non ad contextus proprietates, sed ad horum carminum metricam et musicam rationem designandam apposita. Sed in Alcaeo non substitit Aristarchus, quem constat etiam Pindari epiniciis curam suam applicuisse, idque ita ut in constituendis metris non acquiesceret, sed simul etiam critici munere eodem modo, quo in Homero versatus est, fungeretur. Qua de re continuo dicendum.

§. 60.

De Aristarchi studiis Pindaricis.

De opera quam Aristarchus Aristophanis exemplum sequutus in Pindaro tractando collocarit, haud magnifice

5) Plura σημειώσεως vestigia indagavit Schoemannus p. 17. sq.

6) Idem video Schoemannum p. 24 observare, locos simul duos, qui sententiae adversari videantur, expedientem. Grammatici vero, quos ab hac computatione temporis excipit, qui sint ignoro.

iudicans Boeckhius in enarratione eorum quae veteres in hoc genere litterarum praestitissent, T. II, 1. p. XIII, hoc quod ad rem nostram spectat ostendit, adornatam esse ab Aristarcho iustam Pindari editionem, eamque siglis textui appositis instructam esse, quod pateat maxime ex Schol. Isthm. V, 47. Haec quidem recte, sed pro consilio nostro iusto brevius Boeckhius: igitur enucleatius ea de re dicendum, sed ita tamen ut argumenta summatim tangam.

Ac primum editionem contextus praeter evidentem locum Schol. I., de quo infra, testantur tales Scholiorum loci, quibus Aristarchi lectio aliqua ita designatur, ut in exemplis variantis scripturae afferatur, quippe simpliciter verbo γράφει notata, ut Pyth. III, 75: βάματι δ' ἐν πρώτῳ] ἐὰν μὲν γράφεται „ἐν πρώτῳ", ὡς νῦν γέγραπται, ἔσται ἑνὶ βάματι ὁ Ἀπόλλων ἀπὸ τῆς, Πυθῶνος ἐληλυθὼς εἰς τὴν Θεσσαλίαν· ἐὰν δὲ, ὡς ἔν τισι, „βάματι δ' ἐν τριτάτῳ," ἔσται παραφράζων τὸ „τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰών" .... ὁ μέντοι Ἀρίσταρχος γράφει τριτάτῳ. Etiam planius Isthm. I, 58: ἀρετᾷ] Ἀρίσταρχος σὺν τῷ ι γράφει καὶ περισπᾷ, καὶ Ἀττικὴν δέχεται τὴν συνταξιν, ἵν' ᾖ ὁ λόγος· εἰ τῇ ἀρετῇ κατάκειται etc. Vel vs. 11: ἐξ ὤπασε]... δι' ἣν αἰτίαν οἱ Ἀριστάρχειοι ψιλοῦντες καὶ συντιθέντες ἐξώπασεν, ἐπὶ τοῦ νικηφόρου ἐκλαμβάνονται τὸν λόγον, περισσὴν εἶναι λέγοντες etc. Adde Nem. IV, 151. X, 114. Quas lectiones admodum probalis est coniectura ex aliquo contextus exemplo sumptas esse, ita tamen ut earum ratio et interpretatio in commentariis, opinor, simul exposita esset, quod et ceteris locis, quibus lectionum Aristarchiarum mentio fit, factum, minus autem plana fontis origine: Olymp. I, 140. 177. V, 54. Nem. I, 34. VII, 47 (scilicet Aristarchus ἔμολον legerat). Praeterea scripturae Aristarchiae mentio fit nuda Nem. IV, 151. X, 114. Quum insuper multo pluribus locis in sententia controversa iudicium Aristarchi ipsius passim verbis et ita quidem laudetur, ut in quaestione ad solvendum proposita respondentis personam induat, veluti Olymp. III, inscr. Ζητεῖται δὲ διατί μὴ Διὶ μᾶλλον οὗτος ηὔξατο, ᾧ οὗτος ἀγὼν ἀνάκειται...

ὁ δὲ Ἀρίσταρχός φησι... ὁ δὲ Δίδυμος etc. ibidemque mox: Ζητεῖται τί δήποτε ὁ Πίνδαρος Ὀλυμπιακὸν ὕμνον γράφων εὔχεται τοῖς Διοσκόροις προσηνεῖς τῇ ᾠδῇ γενέσθαι... Ἀρίσταρχος μὲν οὖν τὴν ἀπορίαν διαλύων etc. vel Nem II, 19: Ζητεῖται διατί τὰ περὶ Σαλαμῖνα εἰς τοὺς περὶ Τιμόδημον λόγους παρῆκται... Ἀρίσταρχος μὲν οὖν τῆς Αἰαντίδος φυλῆς εἶναι, οὐκ ὀρθῶς δέ φησιν: non potest non sumi, ista ab auctore in commentariorum in Pindarum conscriptorum opere, quod ipsum contextus exemplum comitaretur tractata esse. Nam glossarum modo ista contextui adiecta fuisse, non sinit cogitare prolixior argumentorum expositio, tum ex locis laudatis tum ex ceteris, quibus breviores longiores explicationes exhibentur, cognoscenda: Olymp. II, 16. 29. 58. 82. 113. III, 41. 46. 66. V, 1. 20. 29. VI, 23. 152. 158. VII, 19. 66. 95. 117. VIII, 4. XI, 15. XIV, 26. Pyth. II, 101. IV, 14. VII, 17. Nem. I, 3. 38. 49. II, 9. III, 1. 16. 129. IV, 3. 53. VI, 21. VII, 47. 56. 70. 127. Isthm. II, inscr. VI, 23. 55. Designandus inprimis est Olymp. II, 102: Ἀρίσταρχος ἐξηγεῖται οὕτως· εἴ τις οἶδε τὸ μέλλον etc. Habemus igitur commentarios in Pindarum scriptos, quibus si quis credat lectiones illas Aristarchum suas exprompsisse omnes et explicuisse, is Schol. Isthm. V, 47 (30), collato edocebitur Aristarchum editionem concinnasse eamque notis criticis distinxisse: καὶ τὸν βουβόταν οὔρει ἴσον Φλέγραισιν εὑρὼν Ἀλκυονῆ] ταῦτα ἀπήρτισται τὸ κατάλληλον οὐκ ἔχοντα, ἃ δὴ ὁ Ἀρίσταρχος σημειοῦται· καὶ εἰσὶν οἳ κεχιάσθαι φασίν, ὅτι ἰδίως ἐπιβέβληκεν ὡς ἐν διαστολῇ τοῦ οὐκ ἐφείσατο· Ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων· ἀνατρέχων ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τῆς ἱστορίας. οὐκ ἔστι δὲ ἴδιον, ἐὰν ὁ ἀλλὰ ἀντὶ τοῦ δὴ τάσσηται· Αἰακίδαν δὴ καλῶν· νῦν ἄρχεται τῶν ἐπὶ μέρους, ἀκριβῶς τὸ ὅλον προεκθείς. Igitur si non aliis signis, certe chiasmo (X) Aristarchus in exemplo Pindari suo usus est et ea quidem potestate, ut orationis quaedam anomalia notaretur. Sed omnia suadent ut Aristarchum, quem Homeri aliorumque poetatarum exemplis notandis multo plura signa adhibuisse scimus, in sola nota X non constitisse neque consistere

potuisse putemus: immo quum iam pateat, singulis scriptorum notandorum generibus criticos atque in his Aristarchum peculiaria notarum genera adhibuisse, signum vero ×, quod a notatione Homericorum carminum alienum fuit, in notandis lyricorum et dramaticornm scriptis iam constet adhibitum esse (v. §. 21): proclivis est coniectura, Aristarchum propemodum iisdem signis, quos in lyricis et dramaticis usurpasset, etiam in notando Pindaro usum esse. Quae coniectura eo firmatur, quod Aristarchus etiam alio genere signorum, quod in lyricis et dramaticis usu venit, probabiliter usus est. Scilicet praeter criticam Aristarchus in Pindaro etiam metricam, licet haud admodum accurata, iudice Boeckhio T. II, 1. p. XXXI, doctrina instructus, tractavit, nonnumquam cum ipsa critica coniunctam. V. Schol. Olymp. II, 177. IX, 3. Nem. I, 34. Iam quum in lyricis tractandis principalem criticorum veterum operam in ordinandis et distribuendis singulorum carminum partibus versatam esse in comperto habeamus, in qua persequenda supra ostendimus Aristarchum, si non in aliis lyricis, certe in Alcaeo signis criticis et nominatim asterisco usum esse, admodum veri est simile, eandem rationem eum etiam Pindaro inhibuisse. Ac revera in Scholiis metricis Pindari, quamvis semel, Aristarchi auctoritas laudatur, Olymp. I. p. 20 Bckh., ut non dubitem asserere, quae supra de vestigiis antiquae notationis metricae dramaticorum in Scholiis vel novitiis Triclinii superstitibus demonstrare nisus sum, idem etiam de Pindaricarum odarum metrica expositione praesertim ea, quae ex Vratisl. A. vulgata est, valere. Utriusque notationis prorsus eadem ratio est. Adnotant metrici Pindarici cuique strophae et antistrophae paragraphum additam, cuique epodo coronidem cum paragrapho, postremae denique epodo asteriscum subscriptum esse. Quae enucleatius ad instituendum lectorem statim ad primum carmen Olymp. declarantur p. 16: Ἐπὶ τῷ τέλει ἑκάστης στροφῆς τε καὶ ἀντιστροφῆς μόνη παράγραφος ¬· αὕτη γάρ ἐστι σημεῖον τοῦ τέλους τῶν τε στροφῶν καὶ ἀντιστροφῶν, et p. 17: Ἐπὶ τῷ τέλει ἑκάστης ἐπῳδοῦ

κορωνὶς -ϛ· [hic excidit εἶτα vel καὶ παράγραφος, v. p. 21] ἐπὶ δὲ τῆς τελευταίας ἐπῳδοῦ ἤτοι ἐπὶ τῷ τέλει παντὸς τοῦ ᾄσματος μόνος ἀστερίσκος ⋇, ὃς δηλοῖ, ὡς τὸ ᾆσμα τετέλεσται. Cf. ad Olymp. III. p. 90. VI. p. 129. Itaque passim brevitati studens metricus tantummodo nominat τὰ ῥηθέντα vel τὰ συνήθη σημεῖα, veluti ad Olymp. VI. p. 128. VIII. p. 187. IX. p. 206. XI. p. 238. XIII. p. 267, qualia accipi debeant, exponens ad Olymp. VII. p. 157: Ἐπὶ τῷ τέλει τὰ συνήθη σημεῖα, ἤτοι ἐφ' ἑκάστῃ ἐπωδῷ κορωνὶς καὶ παράγραφος· ἐπὶ δὲ τῷ τέλει τοῦ ᾄσματος ἀστερίσκος. Tum ad eandem normam ratio notationis in monostrophicis vel iis carminibus, quae epodis carent, composita est. Itaque ad Olymp. XIV. p. 291 de prima stropha adnotatum: ἐπὶ τῷ τέλει παράγραφος, ad alteram: ἐπὶ τῷ τέλει τῆς δευτέρας ταύτης στροφῆς κορωνὶς μόνη. Ad Pyth. VI. p. 387: Ἔστι δὲ ἡ ᾠδὴ μονόστοφος, αἱ δὲ μονόστροφοι ἀντιστρόφους ἔχουσι τὰς στροφὰς ἀλλήλαις [l. ταῖς στροφαῖς ἀλλήλας], ὥστε ἴσα εἶναι τά τε τῆς στροφῆς καὶ ἀντιστρόφου· διὸ οὐδὲ κορωνίσι χρῶνται ἐπ' αὐτῶν διὰ μέσου, in quibus addi debebat, singulas strophas inter se paragraphis distinctas esse.

Hanc ordinandi carminum singula cola distinguendique rationem admodum probabile est varios per rivos ex fontibus antiquis ad novitios istos magistellos usque, qualis est v. c. Moschopulus, Olymp. V. p. 117 memoratus, manasse. Cui sententiae non obest quod tota haec doctrina ex Hephaestionis passim tacite vel nominatim exscripti disciplina magnam partem ducta est, siquidem magistros illos etiam aliis subsidiis instructos fuisse vel ex eo colligitur, quod ad ipsorum placita confirmanda auctoritas illius advocatur, ut Olymp. IV. p. 108. 109, vel quod Hephaestionis ratio brevius exposita supplenda et amplificanda ipsis visa est, ut Olymp. XIII. p. 267: εἰ δὲ μὴ παραδίδωσι τοῦτο ὁ μετρικός, οὐδὲν θαυμαστόν· τὰ καιριώτερα [Boeckh. mavult κορ] γὰρ παραδίδωσιν, ὡς ἐγχειρίδιον γράφων. Denique hos magistellos, sive Triclinium sive alios quoscunque, vetustis fontibus usos esse, ipsi codices testantur, quibus παλαιῶν nomine scholia metrica singula passim exhibentur,

scilicet ab ipsis interpolata et in novam formam redacta, veluti Olymp. I. p. 18, in quo scholio ipso paragraphi mentio fit una cum explicatione, quam lubenter reddamus interpolatori.

Iam vero si de coniectura nostra notationis huius metricae auctoritatem ab Aristarcho repetendam affirmo, hoc non ita velim accipiatur, ut ipse inventor eius habeatur: unum hoc teneo, exemplum Pindari ab Aristarcho notatum una signis metricis istis distinctum fuisse. Occuparat enim etiam hanc muneris partem Aristophanes, quem in adornando Pindaro suo stropharum et antistropharum rationem eatenus curasse, ut respondentes sibi articulos certe indagaret, recte adnotavit Boeckhius l. l. p. XXXI. (coll. p. X. sq.). Adde quod is revera signis criticis pariter atque Aristarchus usus videtur. Etenim in fragmentis commentariorum Pindaricorum, quos Chrysippus Solensis philosophus, Aristarchi magister, scripsit, de quibus disputavit Boeckhius l. l. p. XII, etiam hoc servatum ab Schol. Isthm. III, 4, 47: Χρύσιππος δὲ, σεσημείωται, φησιν, ὁ τόπος διὰ τὴν φράσιν etc. ubi Boeckhius recte, opinor, intelligit σημεῖον X. Haec vero notatio ipsa quum a Chrysippo, cuius nulla umquam Pindari exstitit editio, profecta esse nequeat, vix aliud relinquitur quam ut eam Chrysippum ex recensione Aristophanis aequalis adscivisse dicamus. Igitur omnibus consideratis veritati proxime accedemus statuendo, opus ab Aristophane inchoatum retractasse Aristarchum et absolvisse, ita ut utrique multa communia fuerint, a recentioris temporis doctoribus, qui in celebrioris nominis Aristarchii auctoritate se reponere mallent, non accurate distincta.

§. 61.

De tragicis ab Aristarcho notatis.

A lyricis poetis, quos utroque modo et critico et metrico Aristarchum notasse ostendimus, defertur oratio ad dramaticos, ex quibus in Aristophane comico signando Aristarchus quid praestiterit, illustrare studuimus §. 26. Restat ut de

tragicis dicatur, quorum si meminerimus Sophoclem certe et Euripidem ab Aristophane Byzantio tractatos esse (v. §. 29), potest exspectari hos poetas etiam Aristarchum, Aristophanis strenuum quum in aliis tum etiam in hac muneris parte aemulum, attigisse. De Aeschylo autem et Euripide testimonia desunt certa, ut an etiam huic labori olim vacarit Aristarchus, in medio relinquendum sit. At melius cessit in Sophocle, de quo seorsim dicendum.

§. 62.

De Aristarchi studiis Sophocliis. [1])

Peculiarine libro Sophoclem Aristarchus tractarit, an huius scriptoris locos singulos arrepta occasione in scriptis suis Aristarchus tentarit, quod olim in medio me relinquere malle professus sum Comm. de Aiace p. 122, id age nunc, quantum fieri potest, accuratius examinemus. Illam sententiam quidem ut amplectamur, haud me fugit minime nos cogi loco olim allato Harpocrationis v. δερμιστής, quo leguntur: Ἀρίσταρχος τὸ Σοφόκλειον ἐξηγούμενος, τὸν ὄφιν ἀπέδωκε. Sed concedes de commentariis in Sophoclem scriptis ista accipi posse, si ita ut statuamus aliunde confirmamur. Atque ita est, ni fallor. Hoc vero ut patefiat, necesse est fontium, ex quibus Scholia Sophoclis, quae aetatem tulerunt, ducta sint, pervestigare origines. Ac primum

---

1) Explicato hoc loco, admonitus sum de Gustavi Wolffii libro inscripto De Sophoclis Scholiorum Laurentianorum variis lectionibus. Lipsiae 1843: quem quum ipsum inspicere non licuerit, usus tamen sum censuris eius, quas debemus Graefenhano Zeitschr. f. d. Alterth. 1843. No. 142. sq. et Rittero Ephem. litt. Ienens. 1844. No. 284. sq. ex quibus Wolffii de libro quae inserui sumpta sunt. Item carui Stoeckeri qui fertur libello de Sophoclis et Aristophanis interpretibus a. 1826 edito, nec desideravi posteaquam quae de eo iudicavit Nauckius Aristoph. Byz. p. 31, cognovi. Postremo incidi in Ritteri Didymum, eundem locum simili successu tractantis p. 34. sq.: nolui tamen quae conscripseram supprimere, quum ab eo dissidentem me vel in principali re animadverterem.

afferendus vetus commentarius, ὑπομνήματος nomine simpliciter appellatus, quo tamquam fonte ad explicandas poetae fabulas Scholiastae usi sunt. Electr. 445: ἀλιπαρῆ τρίχα] περιπαθῶς μὲν τὸ τῆς πενίας· τὸ δὲ ἀλιπαρῆ ἀντὶ τοῦ αὐχμηρά· ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι, λιπαρῆ, ὅ ἐστιν ἐξ ἧς αὐτὸν λιπαρήσομεν, ὡς εἰ ἔλεγεν ἱκέτιν τρίχα. Idem vs. 482: πολύπους] ἡ Ἐριννύς, ἡ ἐκείνῳ τῷ φόνῳ ἀκολουθήσασα· οὕτως ἐν τῷ ὑπομνήματι. Aliud ad eundem locum Scholion: πολύπους] ἐν ὑπερβολῇ τοῦτο ἔθηκεν· ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι κεῖται πολύπαις· ἐπεὶ γάρ, φησίν, ἐν τῷ Ὀρέστῃ τὴν πᾶσαν ἐλπίδα ἔχουσι, τὸ πολύπαις ἐν ὑπερβολῇ ἔθηκεν, ἡ πολλὰ κακὰ τίκτουσα. Antig. 521: οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν] τὰς φιλίας, φησίν, κοινὰς ποιοῦμαι, ἀλλ᾽ οὐ τὰς ἔχθρας· ἐν δέ τισιν οὕτως· εἰ καὶ ἐχθαίρουσιν ἀλλήλους οἱ ἀδελφοί, ἐγὼ οὐ τοιαύτη εἰμὶ τὴν φύσιν, ὥστε σὺν τῷ ἑτέρῳ αὐτῶν ἐχθαίρειν τὸν ἕτερον, ἀλλὰ συμφιλεῖν τοῖς φιλοῦσι, ubi pro ἐν δέ τισιν Flor. planius ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι. Idem non potest non significari commentarius, ubi τῶν ὑπομνηματισαμένων mentio fit. Oed. Col. 381: ποίοισι τούτοις] οἱ ὑπομνηματισάμενοι γράφουσιν οὕτως· χρησμὸς τοιοῦτος γέγονεν, ὁποτέρῳ ἂν ὁ Οἰδίπους προσθήσηται, τοῦτον κρατεῖν καὶ χωρὶς [καὶ] κατὰ κοινὸν τοῖς Θηβαίοις, ὅτι ἔσται αὐτοῖς μεγάλων κακῶν αἴτιος, ἐὰν μὴ θάψωσιν αὐτὸν ἐπὶ τῆς χώρας. Ἐβουλόμην δὲ αὐτοὺς μαρτυρίῳ χρήσασθαι ἢ συγγαφέως ἢ ποιητοῦ. Ita Flor. Vulgo μαρτυρίᾳ, tum τινὸς addito post συγγραφέως. Tum idem vs. 383: εὐνοίας χάριν] ἐν τοῖς ἀναγκαιοτέροις τῶν ἀντιγράφων γρ. εὐσοίας χάριν, ὃ καὶ οἱ ὑπομνηματισάμενοι ἀξιοῦσιν· εὔσοιαν δέ φασι τὴν εὐθένειαν etc. ubi vulg. εὐσθένειαν. Addo eosdem videri significari, qui sententiarum discrepantium auctores absque nomine illo passim laudantur, veluti Electr. 533: πότερον ἐκείνῳ παῖδες] λαμβάνονταί τινες τοῦ ποιητοῦ ἐκ τῶν Ὁμηρικῶν· ἐπεὶ ἐκεῖνος μίαν γεγονέναι τῷ Μενελάῳ τὴν Ἑρμιόνην φησίν, οὗτος δὲ διπλοῦς ὁμομητρίους φησὶν αὐτῷ γεγονέναι· ὅμως οὐ συμφωνεῖ αὐτῷ Ἡσίοδος· ... οὐ περὶ μεγάλων δὲ αἱ τοιαῦται διαφωνίαι τοῖς ποιήμασιν, ὥστε οὐ πάνυ δεῖ αὐτοῖς ἐπὶ τούτων ἐνοχλεῖν, ἀφεμένους τῶν ἀναγκαιοτέρων, ἅπερ παρατηρεῖν ἐχρῆν etc. Iidem, opinor, significantur in his Schol. verbis, quae ex

Flor. demum accesserunt, ad Aiac. 1285 οὐ δραπέτην τὸν κλῆρον] Ἀνῆκται τοῖς $\mathring{\chi}$ ἡ ἱστορία ἡ περί Κρεσφόντου, quibus nota $\mathring{\chi}$ mendose scripta est [pro $\mathring{\gamma}$ h. e. ὑπομνηματισταῖς. Hos iam criticos sive interpretes si recte cum commentario isto composuimus, consectarium est quod et res ipsa suadere videtur, ut id opus fuisse statuamus ex complurium auctorum commentariis in Sophoclem conscriptum collectumque ad eam paene formam, quam qui in Iliadem conscriptus commentarius in codice Veneto servatus est ostendit: ex quo ut aliorum codicum Scholia Homerica nonnulla manifeste transumpta sunt, ita idem in Sophocliis, quae nunc aetatem tulerunt, accidit, hoc tamen discrimine, quod Sophoclius antiquus ille commentarius ex quibus auctoribus concinnatus sit non item ac in cod. Veneto ad nostram notitiam perlatum est. Si iam ad coniecturam res devenit, recordanti simile opus collectitium de Homero a Didymo profectum esse, huic eo propensius censebis etiam illud deberi, quo eum de Sophocle commentarios reliquisse constat: quod quum iam olim breviter significassem l. l., idem argumentum disertius explanare studuit W. T. M. in Ephem. litt. Hal. 1837. p. 539. Qui si statuit Scholia Sophoclia, quae adsunt, maximam partem ex Didymi Commentariis compilata esse, id quod vel unus locus Antig. 722 ostendere potest, Ritterusque sustinere studuit, recte id statuisse videbitur, si simul concessum fuerit, praeter Didymum etiam antiquioris eruditionis vestigia in iis agnoscere; vel si ita statuamus, quod ad veritatem propius accedere videtur, sumpta quidem illa tantum non omnia ex Didymo esse, quippe cuius Commentariorum ea forma fuisset, ut superiorum criticorum commenta iis inseruerit atque etiam ubi facto opus ipsi visum esset, iudicarit, ita ut Scholiastae unde antiquorum sententias excerpere possent habuissent. Quod egregie confirmatur ex loco Scholiorum insigni de fide Antig. 46, de quo versu ad praecedentem adnotatur: Δίδυμος δέ φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι; unde lucramur ὑπο-

μνηματιστὰς antiquos, quos eosdem esse, qui supra τῶν ὑπομνηματισαμένων, vel etiam simplici τοῦ ὑπομνήματος nomine ad nostram notitiam pervenerunt, nullum est dubium. Ut hi iam iidem sint, quos Didymus τῶν ὑπομνηματιστῶν nomine laudat, tamen inde non consequitur, ut commentatorum in Scholiis commemoratorum notitiae ex horum ipsorum commentariis a Scholiasta laudari censeamus: immo probabilius ex re ipsa videtur ita statuere, sumptas eas adnotationes esse ex Didymi opere, una cum ipsa, qua apud hunc citatae sunt, appellatione, ita ut etiam simplici τοῦ ὑπομνήματος nomine non tam ipse Didymi commentarius quam quae eo contenta essent significata videantur. Haec si ita sunt, ea tamen non prohibent quominus nonnulla Scholiastas aliunde quoque arripuisse existimemus: quod revera factum esse coarguitur ex adnotatione Oed. Col. 237: ὦ ξένοι αἰδόφρονες, ubi postquam dictum est: τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόσωπον ὅλον καὶ τοῦ χοροῦ τὸ τετράστιχον ἀθετοῦνται· κρεῖττον γάρ φασι [ὑπομνηματισταί, ut videtur]... sub calcem Scholii adduntur: οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν. De quo loco in utramque partem potest disputari, quum illius ἀθετήσεως auctores quaeratur num Didymo intelligendi sint aetate priores an posteriores, ita ut hoc si probemus, illorum, qui locum spurium censuerint, auctoritatem silentio superiorum criticorum elevare Scholiasta putandus sit. At unice vera, Rittero licet aliter sentiente, prior ratio, quandoquidem nullos novimus criticos Didymo posteriores, quos illam ἀθέτησιν exercuisse credibile sit. Grammaticorum enim qui post Didymum Sophocli tractando vacarint, praeter Herodianum uno loco Oed. Col. 195 laudatum, quem a re alienum cum Graefenhano p. 1140 mitto, solus Pius in Scholiis memoratur, neque aliunde de aliis eius aevi interpretibus Sophoclis quicquam compertum est, quum tamen plures uno Scholiastam in mente habuisse, illud ipsum φασι ostendat. Adde quod si ἀθέτησις illa a Pio [2]) profecta esset,

---

2) De hoc grammatico nihil liquet nisi quod et in Iliadem et in Odysseam commentarios scripsisse traditur, id quod iam lae-

valde mirandum esset, talis criseos in Sophocle factitatae copias tantopere a Scholiasta neglectas esse, ut uno tantum loco, Aiac. 408, is grammaticus in auxilium vocatus sit. Si vero in aliorum interpretum sententiis afferendis iudicandisque sibi placuit, id quod eum in Homero fecisse ostendit eius adnotatio ad Iliad. μ, 157, ii qui ad locum Oedipi Col. significantur, quum notati non sint a Didymo, non possunt non fuisse aetate priores, quandoquidem criticorum, qui Didymi intra et Pii tempora Sophoclem adnotassent, nulla omnino memoria exstat, Rittero contrariam sententiam sustinenti, ut fidem habeamus, ante corroboranda, quod fieri nequit. Nonne vero multo probabilius videbitur, quem in Homericis commentariis in afferendis refutandisque

---

gerus adnotarat Annot. in Soph. Aiac. p. 61. Passim mentio eius fit in Scholiis Homericis atque etiam in Venetis, quae si in comperto habemus Herodiani Nicanorisque tempora non excedere, in aetatem, qua vixerit Pius, coniecturam facere sinunt: quod non reputavit, quum Pium non ante finem saeculi Christiani secundi floruisse contenderet Ritterus Cens. et Did. p. 37. Certiorem computandi viam monstrat Etymologus M. p. 664, 39, ubi quae de voce περιῤῥηδής simul laudatis Alexandro Cotiaeensi et Pio leguntur, ex Oro referuntur: hic si Milesius est, ut par est credere, qui saeculo post Chr. secundo, ut visum Ritschelio, vixit, Didymi, quo Pius minor fuit, aetatem quum adsumpseris, sat arctis finibus Pii aetas circumscripta videbitur. Nulla nititur ratione id quod statuit Graefenhanus l. l. p. 1140, Pium aequalem fuisse Didymi. Ceterum spectat, ut hoc obiter adnotem, Etymologi locus ad Odyss. φ. 84, cuius ex Scholiis antiquis Orus hauserit: unde iam constat Alexandrum illum, quem Iliadis interpretem ex Scholiis Venetis adhuc noveramus, Odysseam quoque adnotasse: quamquam in medio relinquendum est, hanc operam suam auctor an perpetuis commentariis expedierit, quum praesertim quod adnotavit ad v. ἐπισχοῖες Iliad. ξ, 241, id traditur exposuisse ἐν τῷ ι τῶν παντοδαπῶν; qui eiusdem operis liber citatur ab Etym. M. p. 276, 26, dum pleniore titulo idem opus memoratur περὶ παντοδαπῆς ὕλης et quadraginta duobus libris constitisse dicitur a Stephano Byz. v. Κοτυάειον. Cf. Meineke Anal. Alex. p. 16. Lehrs Quaest. ep. p. 12.

Aristarchi commentis occupatum certo testimonio modo laudato novimus, eum etiam idem in Sophocle notando praestitisse? Aliter locum expedivit Wolffius, qui verbis illis οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν Scholiastam ait significare, ἀθετήσεως notam in Didymi commentariis se allatam, ab ipso autem Didymo non comprobatam reperisse: quam explicandi rationem miror omnium maxime probabilem Graefenhano p. 1140 videri potuisse; quae refutatur ipso contextu, quandoquidem verbis τῶν Διδύμου non Didymus ipse, sed commentarii eius indicantur, in quibus si Scholiasta οὐδὲν τούτων ὀβελισθὲν reperisse se fatetur, necesse est statuamus eum aliis iisque antiquioribus fontibus usum fuisse, ex quibus illam ἀθετήσεως notam hausisset. Neque multum in rem confert diiudicare, an praestet cum Wolffio facere, commentarium illum nudo ὑπομνήματος nomine laudatum id ipsum Didymi opus, ex quo Scholia promanassent, significari censente. Utramvis sententiam probaveris, utrinque vides certo prodire, iam ante Didymum Sophoclem interpretes suos nactum esse, quorum notitia, Wolffium si sequare, solis Didymi copiis ad nos perlata est, sin me, tam per Didymum quam per ipsa commentariorum antiquorum exempla. Quorum auctores haud alios nos novimus quam quos Wolffius cap. III. enumeravit, Praxiphanem, Aristophanem et, cuius gratia haec omnia disputantur, Aristarchum. Praxiphanem vero, de quo alibi dicetur, uno Scholiorum loco memoratum, Oed. Col. 896: σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος] ἀντὶ τῆς βλαύτης. τῶν δὲ ἐξηγησαμένων ἁπάντων Πραξιφάνης δοκεῖ ἄμεινον ἀποδιδόναι, ἀκούων τὸ ὑπόδημα, οἷον [lege ἤγουν] τῶν ποδῶν τὸ κάλυμμα, verisimile non est perpetuo commentario Sophoclem illustrasse, non quod talis operis nulla ad nos pervenit mentio, sed quod hoc scribendi genus a studiis hominis, quantum ea novimus, utique abhorrere videtur. Praxiphane igitur omisso Aristophanis Aristarchusque supersunt, quos quum iam supra §. 27. ostenderimus Sophoclis fabulis notandis illustrandisque curam impendisse, horum potissimum necesse est intelligantur

commentarii, ex quibus quae in Scholiis Sophocliis ex Didymo non hausta antiquae criseos indicia traduntur, sumpta sint.

§. 63.

De reliqua Aristarchi notatione.

Vidimus Aristarchum ex epicis poetis Homerum, Hesiodum, ex lyricis Alcaeum, Pindarum, ex dramaticis Aristophanem, Sophoclem, fortasse etiam Aeschylum et Euripidem tractasse et signis vario modo distinxisse, hoc tamen discrimine in variis his litterarum generibus usum, ut epico aliud idque pluribus modis expolitum systema adhibuerit, aliud ceteris scriptoribus, multo simplicius illo compositum, quandoquidem, ut mittam metricas illas notas, unius tantum signi X in critica ab ipso factitata memoria ad nos perlata est. Atque pluribus aliis usum eum esse ideo non probabile videtur, quod quum signo X tam multiplicem potestatem tribuisset, ut non solum omnibus diplae Homericae officiis inserviret, sed adeo vice obeli fungeretur, aliis signandi modis supersedere posset. Quaeritur denique an Aristarchus praeter laudatos scriptores etiam aliis curam suam pari modo impenderit. Mihi vero neque de alio ullo poeta in comperto quicquam est, nedum de prosae orationis scriptore ullo, a quo genere litterarum Aritarchus utique manus abstinuisse videtur.

§. 64.

De scriptoribus Aristarchio more notatis.

Diximus hactenus de Aristarchi arte notandi, quae quum tantam apud aequales posterosque laudem consequuta esse videatur, ut licet ab ipso non inventa, eius tamen nomine vulgo appellata sit, nihil mirum debet videri, quod tanto magistro duce ea ac praesertim quae Homero adhibita fuerat, ab aliis etiam aliis antiquorum scriptis recensendis admota fuerit: in quo labore qui vires suas exercuerunt, quum plerumque easdem fere quas ille constituerat, leges

observarint, ipsius argumenti ratio postulare videtur, ut etiam horum curas advertamus et, quantum ad nostram notitiam pervenerunt, enarremus diligenter. Sunt vero ea, quae ea de re sciri hodie possunt, perpauca eaque non ab omni parte tuta et plana. Iniqua enim fortuna accidit, ut eiusmodi copiis subsidiorum, quibus in Homero vel etiam in Hesiodo instructi ad rem illustrandam accessimus, destituamur omnino, ita ut in sola fama eaque incerta nonnumquam nobis consistendum sit: ac tam parum de criticis ipsis, qui illam notandi artem factitarint, liquet, ut si ecclesiasticos scriptores excipias, in Graecis Dioscoridis (v. §. 65), in Latinis Probi (v. §. 75.) nomina sola inclarescant, qui ei notandi generi vacarint. Etenim Probum in his appellanti mihi statim praemonendum, studiorum criticorum id genus a Graecis Latinos mutuatos esse, quorum de consuetudine res postulat, ut quum Graeci sermonis auctoribus satis factum fuerit, explicatius dicatur. A Graecis igitur initium facturo statim succurrit qui passim eius notandi moris curam habuit, Reinesius Var. lect. III, 7, qui praeter Homerum, Hesiodum, Aeschylum, etiam Xenophontem, Thucydidem, Diodorum Siculum, Epigrammata olim notatos refert p. 472: de quibus nunc singulatim dicendum, ac primum, ordine aetatis servato, de Thucydide, quum ante posuero Hippocratem a Reinesio neglectum. De Hesiodo supra dictum est.

§. 65.

De Hippocrate notato.

A notatione ea, qua Hippocratis Epidemiorum liber tertius primis iam Alexandrinae eruditionis temporibus distinctus fuit, de qua diximus §. 19, utique diversa est quam instituit Dioscorides Hadriano imperante is, qui scriptorum Hippocraticorum editionem criticam curasse dicitur [1]). Qui quum Galeno

1) Non est Anazarbeus, sed alius glossographus, quod quum rem in medio sibi relinquendam esse professus sit Meierus Comm. Andoc. VI, 3. p. VII, alibi comprobatum dabo.

teste in scriptura Hippocratis constituenda multa novasse suoque arbitrio mutasse dicitur, hac tamen modestia usus est, ut quae spurii loci ipsi viderentur, non opprimeret, sed more antiquorum obelo apposito notaret, id quod Sprengelius Gesch. d. Medicin T. I. p. 368, ubi de his studiis Dioscoridis agit, adnotare neglexit. Qua ratione critica an per totum Hippocraticorum scriptorum corpus usus sit, quamquam id maxime probabile videtur, traditum non reperio: id vero factum esse certe in libro de natura hominis testatur Galenus Comm. ad hunc ipsum T. XV. p. 110. Kühn. Ταύτης ὅλης τῆς ῥήσεως ἑκάστου στίχου Διοσκουρίδης προέγραψε σημεῖον ὃ καλοῦσιν ὀβελόν, οἵῳ σημείῳ καὶ Ἀρίσταρχος ἐχρήσατο παρὰ τῷ ποιητῇ πρὸς τοὺς ὑποπτευομένους ὑπ' αὐτοῦ στίχους· ταῦτα μὲν ὁ Διοσκουρίδης ἔγραψεν, εἰκάζων εἶναι τὴν προκειμένην ῥῆσιν Ἱπποκράτους τοῦ Θεσσαλοῦ υἱέος· δύο γὰρ υἱοὶ οὗτοι γεγόνασι τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους, Θεσσαλὸς καὶ Δράκων, ὧν ἑκάτεροι πάλιν Ἱπποκράτεις ἐγέννησαν. Tum etiam in Praediction. I. teste eodem Galeno Comm. III. T. XVI. p. 800, cuius verba haec sunt: Διοσκουρίδης δὲ προκειμένην ῥῆσιν ταύτην διχῇ ἑλὼν, ἰδίᾳ μὲν ἔγραψε τὸ οἷσι κοιλίης ἐπίτασις αἱμοῤῥαγέει καὶ ἐπιῤῥιγώσασι, ἆρά γε καὶ πρὸς τὸ αἱμοῤῥαγέει τοιοῦτον· μετὰ ταῦτα δὲ ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς κοιλίη λειεντεριώδης ἢ ἐπίσκληρος, ἀσκαρίδες ἢ ἀμφότερον· γράφει δὲ οὐκ ἐπίσκληρος, ἀλλ' ἐπίσκληρον διά τοῦ ν, καὶ κατ' αὐτοῦ τὸ λ ἄνωθεν ἐπιθείς, ἑκατέρωθεν ἐπιστίζει βούλεται [l. βουλόμενος] σημαίνειν τὴν ἐπίσκληρον ταύτην φωνήν, τὸ κατεσκληρυκὸς σῶμα. Exhibui Kühnii scripturam non uno loco de vitio suspectam, quam cum superiorum editorum exemplis conferre nunc haud licet: hoc vero certum, pro nota λ, hactenus incomperta neque facile expedienda, reponendum esse X, quod vidit Reinesius Epist. XXV ad Hofmannum p. 92, laudatus Villoisono Proleg. p. XX. Scilicet apparet voci correctae adscripsisse Dioscoridem, quod ex ipsius verbis colligitur, asteriscum, utrinque punctatum, ad formam illius antiqui circumpunctati fictum, ⁙X⁙, quo designaret vocem a se correctam esse.

Duo haec, quantum in comperto habeo, notationis a Dioscoride adhibitae vestigia, ac si recorderis quot suspicionis ansas Hippocratis scripta dare debuerint, tenuis auctoritatis, si quidem ex his solis testimoniis concludere audeas, eandem signandi rationem Dioscoridem etiam in ceteris qui spurii esse viderentur locis adhibuisse: gravis autem, quod credibile minime videtur, in constituendo contextu duobus solum locis illud artis criticae adminiculum usurpatum esse. Quid igitur? An forte Dioscorides unum solum Hippocratis opus, quod agit de natura hominis, critice tractavit? Dissuadet alius Galeni locus prooem p. 21, ubi iuxta Artemidorum Capitonem Hippocratis editorem Dioscorides item τὰ Ἱπποκράτους βιβλία recognosse simpliciter narratur. Dissuadet alius, rem, qua laboramus, egregie collustrans, Comm. in Hippocrat. Epidem, T. XVII, 1. p. 795: Πάντων δὲ τῶν ὑπαλλαξάντων τὰς παλαιὰς γραφὰς τολμηροτάτους τοὺς περὶ Καπίτωνα καὶ Διοσκουρίδην εὑρίσκω πράξαντας τοῦτο· πότερον μὲν οὖν ἄμεινόν ἐστιν ἁπάντων αὐτῶν ἢ μόνων τῶν εὐλόγως μεταγραψάντων ἢ μηδενὸς ὅλως μεμνῆσθαι, σκοπούμενος εὗρον, εἰ μὲν τῷ μήκει τῶν ὑπομνημάτων οὐδεὶς ἔμελλεν ἀναγνωσομένων αὐτὰ δυσχεραίνειν, ἁπάντων μεμνῆσθαι κάλλιον εἶναι· μεμφομένων δὲ πολλῶν οὐ τούτοις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς συμμέτρως ἔχουσι, καὶ μόνα σπουδαζόντων τὰ χρήσιμα, μέσην τινα τούτων ἀμφοτέρων ποιήσασθαι τὴν ἐξήγησιν καὶ τοῦτο εὐθέως ἐν τῇ ἀρχῇ προεῖπον, ὅπως ἀπαλλάττωνται τῶνδε τῶν ὑπομνημάτων οἱ μὴ χαίροντες τούτοις. Haec quidem de ratione praemoneri auctor voluit, quam in explanandis his Hippocratis Epidemiis tamquam regulam sequuturus esset: sed eandem eum etiam in ceteris Hippocratis commentariis sequutum esse, conferenti patebit, ac praesertim quantum ad criticam in contextu Hippocratio exercendam. Hanc laboris quidem suscepti partem Galenus sprevit minime, sed quum meminerimus incertae conditionis, qua Galeno teste huius ipsius aetate scriptura Hippocratis esse debuerit, de temperantia, qua Galenus in diiudicandis superiorum editorum placitis variis usus est, potius quam de

abundantia nobis cum ipso expostulandum videtur. Atque quum ipse Dioscoridem iis adnumerarit, qui quam audacissime in verba scriptoris grassati essent, profecto non mirandum est, si illo loco uno excepto, cui fortasse Comm. in Hipp. Epid. IV. T. XVII, 2. p. 194 addendus est, eius placitorum criticorum aliam non habuit rationem, de singulis quibusdam locis quid monendum haberet, in alio opere, quod eiusmodi quaestionibus destinarat, loquuturus. Nempe id factum in Explanatione vocum Hippocratis passim, interposita ipsius censura, veluti p. 438, quem locum lubens exscribo, tum propter iudicium de Dioscoridis labore critico adiectum, tum quod simul Artemidori, cuius editionem haud maioris aestimavit neque saepius commemoravit, mentionem fecit: Ἀπεβράσσετο· ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν Ἐπιδημιῶν οὕτως Διοσκουρίδης γράφει, καί φησιν αὐτὸς δηλοῦσθαι τῷ ἀποβράσσετο τὸ ἀπεβήσσετο, τῶν ἄλλων σχεδὸν ἁπάντων ἀπεβήσσετο γραφόντων· ὁ γάρ τοι Διοσκουρίδης οὗτος καὶ ὁ Ἀρτεμίδωρος καὶ [2]) ὁ ἐπικληθεὶς Καπίτων ἐκ τοῦ συνήθους τοῖς ἄλλοις ὀνόματα πολλά μετεκόμισαν, οὐδὲν ἀλλοιότερον δηλοῦντα τῆς ἀρχαίας γραφῆς, ὧν ἀνάγκην ἔχομεν καὶ ἡμεῖς μνημονεύειν. Tametsi igitur Galenus Dioscoridis operae in redigendo Hippocratis contextu collocatae haud magnam fidem habuerit, tamen quantum ad rerum ab Hippocrate traditarum illustrationem non potest dubitari, quin Galenus Dioscoride passim usus sit: ac saepe eum hac operis sui parte nominavit, tum corrigens et reprehendens, tum vero etiam comprobans eiusque ex eruditione proficiens.

§. 66.

De Thucydide notato.

De codicibus superstitibus, qui signis criticis distincti essent, mihi quidem nihil adhuc innotuit, neque quicquam

2) Inducenda copula est, quippe ex praecedentibus male repetita. Capito enim Artemidori cognomen. Galenus Comm. in Hipp. de natura hominis T. XV. p. 21: Ἀρτεμίδωρος ὁ ἐπικληθεὶς Καπίτων.

eius rei exhibet qui omnium et optimus et antiquissimus putatur Cassellanus, hac de caussa ante hos paucos menses a me examinatus. Nam quae crebro margini appicta sunt signa, ex quibus quae cum criticis notis aliquam formae similitudinem habeant enotavi haece ·C ÷ ⋊ [1]) ·/· ∴ : ∵ ·|· [2]) +, ea tametsi ex antiqua notandi ratione manifeste adscita sunt, veluti asteriscus et sigma περιεστιγμένον, nihil tamen commune cum critica habent, sed ad indicandos scholiorum orae appositorum locos spectant: quod vel exemplum unius paginae, in qua etiam sigma purum, C, exstat, σημείωσαι significans, testatur, arte quam accuratissime expressum in „Proben von Manuscript-Abdruck aus der lithographischen Anstalt von Theodor Fischer in Cassel 1843.“ Tum qui in cod. Pal. libri octavi praescriptioni (Θουκ. συγγραφῆς η΄) adiicitur asteriscus, eum ornamenti caussa adscriptum esse, docet eiusdem codicis praescriptio libri septimi, quae initio et fine eodem signo inclusa est. At relicta quaedam notationis vestigia in Scholiis, quae Reinesius in mente hubuisse videtur (nam ipse ne verbum quidem addidit neque qui Reinesiana secure repetiit, Villoisonus Proleg. p. XVIII), rara ea et singularia. Nam quum ea sit contextus Thucydidii ratio et conditio, ut nulla eius maior pars in dubitationem incidere existimetur vel, si Popponem audimus Vol. I, 2. p. 11, ne caput quidem ullum neve periodus aut integra enuntiatio pro suppositis haberi possit praeter ultima totius operis verba ὅταν ὁ μετὰ τοῦτο τὸ θέρος etc., eo minus locus ullus debuit criticis antiquis relictus putari, cui obelus apponi potuisset. Atque revera unus solus adhuc locus repertus est III, 84, ubi eiusmodi notatio ex Schol. Cassell. et Aug. affertur: Τὰ ὠβελισμένα οὐδενὶ τῶν ἐξηγητῶν ἔδοξε Θουκυδίδου εἶναι· ἀσαφῆ γὰρ καὶ τῷ τύπῳ τῆς

1) V. c. fol. 16. b. Eandem figuram ex codice Anthologiae Palatino infra notabimus, notavimusque §. 65 in Hippocrate.

2) Hoc signum titulo ad clausulam indicandam subiectum animadverti in lapide nunc Monacensi ap, Hefner Kleine inschriftl. Denkm. d. K. Bayer. Antiquariums p. 7.

τῆς ἑρμηνείας καὶ τοῖς διανοήμασι πολὺν ἐμφαίνοντα τὸν νεωτερισμόν, ita ut Poppo l. l. p. 12 iudicare ausus sit, nullam integram enuntiationem a male sedulis manibus additam esse: quod iudicium non improbo, si nonnullos locos, quorum duos dubitationem moventes ipse indicat, eximendos concesseris. Non tamen Thucydidi negarim prorsus defuisse criticorum antiquorum curam, quum insuper servatum sit etiam aliud notationis similis indicium, quo simul intelligitur Scholiastam in afferendo cuiusque suspicionis signo non admodum diligentem fuisse, quippe satis fecisse se legentibus ratum, si notatum antiquitus esse aliquem locum adnotaret, quo autem signo notatus fuisset, in dubio relinquens, usus ipse ambigua voce παραγραφή, qua loco alicui signum aliquodcumque adscriptum fuisse significaret [3]). Cuius rationis est I, 10: Ἀθηναίων δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο παθόντων] ἐξ ὑποθέσεώς φησι περὶ Λακεδαιμονίων τό „εἰ πόλις αὐτῶν ἐρημωθείη καὶ τὰ ἱερὰ λειφθείη", ἐπεὶ πῶς ἂν περὶ Ἀθηνῶν, Ἀθηναῖος ὤν, καταρώμενος τὸ αὐτὸ εἰρήκει; ὥστε μάτην ἡ παραγραφὴ τέθειται, ὅτι λεληθότως ἐπαρᾶται τοῖς Λακεδαιμονίοις· ἀλλότριον γὰρ τοῦτο τῆς συγγραφέως ἴσμεν προθέσεως. Scilicet qui locum illum notarant perstringuntur a Scholiasta ideo, quod verbis illis imprecationem Lacedaemoniorum factam esse sibi persuasissent, quae auctore indigna fuisset. Hi an eo progressi sint, ut obelo adiecto locum in spuriis retulerint, ignoramus. Unicus tamen, fatendum est, eius generis hic locus est, ita ut si Thucydides antiquo more notatus fuit, huius curae ad nos certi nihil translatum esse confitendum sit. Unum tamen locum adnotabo, qui si quis alius nota aliqua dignus videri debuerat quique, quantum quidem ex animad-

3) Significatur nomine paragraphae etiam scholion ipsum margini appositum, I, 90, ubi v. Dukerum, recte intelligentem, scholiastae censuram pertinere ad id scholion, quo de differentia verborum synonymorum ἐπέρχεται et παρέρχεται minus accurate expositum esset. Qua significatione vocem in adnotandis iuris Romani libris usurpatam esse, docet Weberus Diss. de latine scriptis, quae Graeci veteres in linguam suam transtulerunt, Part. III, p. 3—5.

versione criticorum Homericorum, in quam incidit, intelligitur, impune tramissus esse non potuit, I, 5, quo quae de honore latrocinii persuasio veterum Graecorum fuerit exponitur. Schol. Ambros. Odyss. γ, 71: Καθάπτεται δὲ καὶ Θουκυδίδου Ἀρίσταρχος λέγοντος, ὡς οὐκ αἰσχρὸν ἡγοῦντο τὸ ληΐζεσθαι οἱ παλαιοί, ἐν οἷς φησι, „ἅς μοι ληΐσσατο δῖος Ὀδυσσεύς" (α, 398). ὁμωνυμίᾳ γὰρ ἠπάτηται, πολλάκις τῆς ληΐδος ἐπὶ τῆς λαφυραγωγίας τασσομένης· παρὸ καὶ τὴν Ἀθηνᾶν ληΐτιδα προσαγορεύει (Il. κ, 460). ὅτι γὰρ αἰσχρὸν ἡγοῦντο τὸ λῃστεύειν, δῆλον ἐξ ὧν οὐδέποτε ἐπὶ Ἀχιλλέως ἢ ἐπὶ Αἴαντος καιτοίγε ἰσχυρῶν ὄντων ἐχρήσατο τῷ ονόματι ὁ ποιητής· ἄλλως τε καὐτῶν συμφραζομένων δηλοῖ τὴν τοῦ πράγματος μοχθηρίαν. ἀντιτάσσεται γὰρ τῷ „ἤ τι κατὰ πρῆξιν" τὸ „ἦ μαψιδίως". Eandem Aristarchi sententiam apponit Eustathius ad Odyss. γ, 73. p. 1458, sed ita ut Thucydidem simul defendat, aliorum, opinor, grammaticorum doctrinam sequens.

Alia notationis antiquae indicia a Scholiastis sive incuria sive consilio omissa vel obscurata fortasse prodit singularis multorum scholiorum conditio ita compositorum, ut ex signis contextui quondam appictis ea profecta suspicere. Ex hoc genere sunt quae innumeris locis adnotantur de proprietate sermonis, vel Thucydidii singularis, v. c. in ἅπαξ λεγομένῳ, vel Attici; vel ubi quiddam insuetum vel inprimis memorabile, praemissa formula usitata σημείωσαι, designatur, ad nauseam usque inculcatum, v. c, II, 21: ἀνεχώρησε] σημείωσαι τὴν σύνταξιν, ὅτι Θουκυδιδεία ἐστί. Adde quod qui Scholia conflarunt, eos antiquorum criticorum commentariis vel diversis exemplaribus usos esse, scripturae varietates saepenumero notatae satis ostendunt. Nihilo tamen secius totum Scholiorum corpus attente perlustranti praeter locum supra ex III, 84 exscriptum unum solum sese obtulit exemplum notae indubie olim appositae, et ratione diversum, I, 22 μετὰ τὰ Τρωϊκὰ] Τριχῶς διεῖλε τὴν ἀρχαιολογίαν, εἰς τὰ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, εἰς αὐτὰ τὰ Τρωϊκά, εἰς τὰ ἐχόμενα αὐτνῶ· καθ' ἕκαστον δὲ μέρος διπλῆ παράγραφος κεῖται. Habemus igitur diplam, sed non ea potestate praeditam, qua ab antiquis

criticis praesertim Aristarchiis usurpata fuit. Eius enim vis, ubi discriminandis alicuius corporis universi partibus singulis adhibita est, minus ad criticam, quam potius ad rhetoricam quandam notandi rationem spectat. Unicum illum locum esse dixi, quandoquidem alter, quem indagare potui, incertae conditionis est, II, 64, quo ad verba καίτοι ἐμοὶ adnotatum: παραγραφικὸν ἐν δεινότητι, scilicet ad extollendam dignitatem personae loquentis gravissimae: quae observatio, si sensum recte assequutus sum, haud magis ad criticam pertinet. Ad illum vero modum, quo integrae maioris ambitus partes in singula membra secundum argumentorum rationes dividerentur, Thucydidem eosque inprimis locos, qui orationibus constarent, antiquitus distinctos atque notis, ut illo loco duce suspicari licet, signatos fuisse, multa suadent ut credamus. Ac non solum aliunde constat, multum operae imsumpsisse rhetores in dilucidandis et examinandis Thucydidiarum orationum argumentis, quorum studiorum passim reliquiae in ipsiis Scholiis servatae sunt, veluti Theonis, nomine τεχνογράφου, I, 126, ubi v. Duk., Phoebammonis I, 53, vel etiam saepius non laudatis auctorum nominibus, veluti III, 42 et 53. IV, 6, sed etiam ipsae locorum divisiones notantur, velut III, 8: Διαιρεῖται ἡ δημηγορία αὕτη κεφαλαίοις τοῖσδε· τῷ δικαίῳ, οἷον ὅτι δικαίως ἀπέστημεν· τῷ δυνατῷ, ὅτι δυνατὰ παρακαλοῦμεν . . .· τῷ συμφέροντι, ὅτι λυσιτελεῖ δύναμιν καταδέξασθαι πόῤῥωθεν ἰσχύουσαν . . . ἐπὶ δὲ τελευτῆς ἀπὸ τοῦ ἐναντίου παροξυσμός, καὶ παράκλησις ποικίλως δυσωποῦσα. Quae orationis partitiones quo quaeque loco notatae fuere, facile dignoscuntur, prima exordio cap. 10, secunda initio cap. seq., tertia initio cap. 13, quarta denique et quinta iuncta cap. 14. Addam alterum exemplum IV, 58: Δημηγορία Ἑρμοκράτους Συρακουσίου· τὸ προοίμιον ἐκ συστάσεως τοῦ ἰδίου προσώπου· σημείωσαι δὲ τὸ παθητικόν. Τέμνεται ἡ δημηγορία αὕτη τῷ δικαίῳ καὶ τῷ συμφέροντι καὶ τῷ δυνατῷ, quae membra facile in contextu pervestigare licet, pariter atque III, 36 et IV, 92. Haec omnia patet ex rhetorum scholis profecta esse, ex quibus qui vario

modo Thucydidi, quippe et ipsi rhetoricarum formularum studioso Prodicique sophistae inprimis imitatori (v. Spengel Art. script. p. 53. sq.), operam dederint, praeter laudatos novimus Sabinum, Euagoram, qui teste Suida περὶ τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ ζητουμένων κατὰ λέξιν et Θουκυδίδου τέχνην ῥητορικὴν ἐν βιβλίοις έ scripsit, [4]) Nunenium, Iulium Vestinum. V. Poppo P. II. Vol. I. p. 67.

§. 67.

De Xenophonte notato.

Xenophontem Reinesius in numero scriptorum notatorum recensens, quid in mente habuerit, quos codices vel veterum testimonia spectarit, me fugit. Vel sine testimoniis credibile est, Xenophontis scriptis haud plane curam veterum aliquam criticam defuisse, siquidem memoria proditum est, commentarios nonnullorum, quos enarrat Fabricius Bibl. Gr. T. III. p. 19. Harl. olim. exstitisse. Sed horum de argumento ne verbum quidem constat, et si tamen aliquid coniectandum est, apparet eos alia omnia quam recensionis subsidia continuisse: qualis est qui laudatur Longini περὶ Ξενοφῶντος liber, vel ut ceteros taceam, Zenonis Citiei ὑπόμνημα εἰς Ξενοφῶντα. Attamen indubium videtur, diversa contextus exemplaria olim circumlata esse: nihil vero neque de auctoribus eorum neque qua ratione critici in constituenda oratione versati sint, ad nostram memoriam pervenit.

§. 68.

De Demosthene et Platone notatis.

Demosthenis orationes inter veterum scripta, quae olim notata fuissent, Reinesius non commemoravit: et ipse dubius

4) Ex posteriore hoc Euagorae opere sumpta esse mecum censebis, quae de rhetorica in quinque partes secundum Euagoram divisa enarrantur in Proleg. rhet. apud Spengelium Art. scriptor. p. 216, quum praesertim adverteris, etiam Thucydidis in iis rationem habitam esse, quod persequi nunc non vacat. Idem nunc video ad Suidam etiam Bernhardyum statuere, Prolegomenorum locum ex Walzii Rhet. Gr. T. VII, 1. p. 13. afferentem.

sum rectene fecerim, quod hunc scriptorem in medium producam. Submitto igitur cum Villoisono Proleg. Hom. p. XIX rem iudicio aliorum. Etenim, si stricte loquendum est, unus tantum locus in promptu est, qui Demosthenis orationes antiquis iam temporibus Aristarchio modo notatas esse testatur, apud Ulpianum ad Midian. p. 543 Reisk. verba: συνέβη δὲ ὑπερημέρῳ γενομένῳ] Ἀσαφὲς εἶναι δοκεῖ τοῦτο, ἔστι δὲ τοιοῦτον· ἵνα ἀδικήσῃ, ἀπέκρυψε τὴν κυρίαν καὶ διὰ τοῦτο παρέλαθεν ὑπερήμερος γενόμενος· τοῦτο δὲ τὸ νόημα οὐκ ἀληθὲς εἶπε, διὸ καὶ τοῦτο τὸ μέρος ὠβέλισται παρὰ τῶν κριτικῶν καὶ ὡς ἀδιόρθωτον παραλέλειπται, ut locum vulgavit Meierus ed. Midianae p. 116. Non dubitarem in his antiquae notationis indicium reperire, praesertim ob adiecta verba παρὰ τῶν κριτικῶν, quum ubi priorum interpretum sententias Ulpianus affert, non *criticorum*, sed aliis nominibus, veluti τῶν ὑπομνηματιστῶν, τῶν ἐξηγησαμένων, τῶν τεχνικῶν, τῶν γραμματικῶν etc. earum auctores laudare soleat (v. Meieri Prooem. p. XIX), si modo alia eiusdem notandi rationis exempla adessent, in Ulpiani certe scholiis frustra a me quaesita. Si tamen illi testimonio nonnihil tribuendum est, ex antiquorum Demosthenis interpretum, de quibus Meier p. XIV. sq. disputavit, unus omnium isti notandi operae vacasse videri posset Didymus, cuius in Demosthenem et Isaeum aliosque oratores ὑπομνήματα commemoravit Meierus l. l. p. XV. [1])

Adest praeterea alius locus Demosthenis, obelo anti-

---

1) Addamus locos quosdam Harpocrationis a Meiero neglectos: v. δεκατεύειν, ubi commentarius Demosthenis Or. in Medontem memoratur, ni malis putare librum Didymi inscriptum fuisse περὶ τοῦ δεκατεύειν; tum Demosthenis in Timocratem, v. ὅσιον. Iam si respicio, Didymi laudari curas Demostheni, Aeschini, Lycurgo, Hyperidi, Isaeo, Dinarcho, praestitas, proclive est coniicere, easdem et ceteris quatuor oratoribus Atticis non defuisse, unde colligere liceat, commentariis eum decem oratorum reliquias instruxisse: quod eo aliquatenus sustentatur, quod certe nullus apud Harpocrationem locus exstat, quo deprehendatur Didymus alios quospiam oratores tractasse,

quitus conpunctus, Or. in Neaeram p. 1351, ubi nunc quidem vulgatur: ώς δὲ Νέαιρα ... εἰργάζετο τῷ σώματι μισθαρνοῦσα τοῖς βουλομένοις αὐτῇ πλησιάζειν. Quem locum olim ὠβελισμένον ὑπό τινων atque pro τῷ σώματι primitus ἀπὸ τριῶν τρυπημάτων scriptum idque posthac cum illa lectione commutatum esse, narrat Hermogenes de formis oratoriis II. p. 391 ed. Genev. 1614. Haec vero censura minus critici quam rhetoris iudicium sapit, de pudicitia legentium solliciti: tum est hic locus in hoc genere criseos, quantum sciamus, unus et singularis, ex quo nihil in crisin concludas, more Aristarchio exercitatam. Item alienum a re censeo quod saepius apud Ulpianum inculcari memini σημείωσαι, veluti Midian. p. 90 Meier., tum quod rhetoricam spectat, tum quod nos non cogit cogitare de signis revera scriptis. Item quae Reiskius hic illic signa ex codice Bavar. passim adscripta enotavit, veluti ad or. de cor. p. 250, ubi post v. ψήφισμα scriptum ferre dicitur ö̲ > vel ‾ο̲‾ alibi, quod ne accurate quidem transcriptum suspicor: quae tantum abest ut ad signationem antiquorum referantur, ut nisi in lusibus scribarum, ut vult Bastius Comm. palaeogr. p. 728, habenda sunt, aliquam interpungendi rationem exprimant. Exempla dabit Schaefer ad or. de cor. p. 234, 28. Reisk.

Placet his subiungere coniecturam per ambages quidem corroborandam, neque tamen inutiles, quippe quibus ansa detur locum, in historia Demosthenis critica haud ignobilem, a Meiero nescio qua de caussa spretum, perstringere. Etenim quum apud Harpocrationem non solum passim commemorentur vocabulorum apud Demosthenem obviorum explicationes (vv. αὐτολήκυθοι, διεκωδώνισε, ἐκδεξάμενος, ἐκ περιουσίας, ἐπὶ κόῤῥης, ξενίζειν), sed etiam lectiones variae (vv. ἀπρότων, Ἐλάτεια, Μάστειρα, σείρινα), quibus adeo accentuum discrepantiae et orthographiae ratio habetur (v. ἀγυιᾶς, Ἄνθεια), ut diversorum exemplarium et commentariorum copia necessario ille instructus putari debeat, tum una adiicitur nonnumquam certorum quorundam exemplarium

notitia, digna de qua explicatius dicatur. Loquor de libris Atticianis, ex quibus Harpocratio binis locis diserte variantes lectiones affert. Ναυκραρικά· Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους. μήποτε βέλτιον φέρεται ἐπὶ τοῖς Ἀττικιανοῖς ναυκρατικά, ἵν' ᾖ ἀπὸ Ναυκρατικοῦ πλοίου, ἢ Ναυκρατιτῶν ἐμπλεόντων etc., de cuius loci scriptura restituenda consulendi Taylorus et Reiskius ad Dem. adv. Timocr. p. 703 et, qui exscripsit, Photius Lexico. Alter locus Demosthenem quidem non respicit, sed Aeschinem, unde iam docemur, exemplaria haec Atticiana praeter illius etiam Aeschinis orationes complexa esse. Scilicet laudatur ἀργᾶς, quo cognomine Demosthenem Aeschines Or. de fals. legatione p. 274 [apud Harpocrat. nominatur oratio περὶ τῆς ἀποδόσεως] appellare dignatus sit, his adiectis: ἐν μέντοι τοῖς Ἀττικιανοῖς ἐγέγραπτο ἅρπαξ. Aeschinis de Demosthene verba sunt: καὶ δεκαταλάντους δίκας ἑκάστῳ τῶν ἐπιτρόπων λαγχάνων, Ἀργᾶς ἐκλήθη, quo Harpocratio respicit: λέγεσθαι οὖν εἰκὸς τὸν Δημοσθένην, ἐπιτροπῆς τοῖς ἐπιτρόποις δίκας λαγχάνοντα ὄφιν, διὰ τὸ θηριῶδες. Sed ad Demosthenis exemplaria reducimur aliis binis Harpocrationis locis, quibus genuina scriptura leniter obscurata est, quorum prior: „Ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον, τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτῇ", Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνός φησιν, ἀσαφῶς δ' αὐτοῦ ἔχοντος καὶ ἐλλειπῶς, ἄλλοι ἄλλως ἐξηγοῦνται. ἐν δὲ τοῖς Ἀττικοῖς διττὴ ἦν γραφή. ἡ μὲν οὕτως· ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον· ἐχειροτόνησεν αὐτήν, ἀντὶ τοῦ, παραβᾶσα γὰρ τοῦτον τὸν νόμον, διαχειροτονίαν περὶ αὐτῆς ἔδωκεν, εἰ χρὴ στεφανοῦν αὐτήν. ἡ δὲ ἄλλη· ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον, ἐχειροτόνησε λαβοῦσα ἐκεῖνον αὐτῇ. Alter locus: Ἐκπολεμῶσαι, Δημοσθένης Φιλιππικοῖς ἀντὶ τοῦ εἰς πόλεμον καταστῆσαι, ὡς καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ πολλάκις· ἐν μέντοι τοῖς Ἀττικοῖς διὰ τοῦ η γράφεται, ὡς καὶ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν ἕκτῃ Ἑλληνικῶν. [2]) Quo utroque loco nemo iam negabit

---

2) Habemus hic exemplum satis antiquum variantis scripturae, cuius quum neutra improbabilis sit, fons in diversis duabus Demosthenis recensionibus quaerendus est. Harum lectionum

'Αττικιανοῖς reponendum esse, quippe quo nomine iam certa quaedam exemplaria, vel potius recensiones Demosthenis et Aeschinis orationum intelligantur, quas rursus ex duplicis scripturae mentione colligimus ita instructas fuisse, ut praeter scriptoris verba etiam notas quasdam orae paginarum, opinor, adiectas una comprehendissent: quod quam memoratu dignum sit statim videbimus. Neque de horum exemplarium nomine ambigi potest, quandoquidem quemadmodum ex nomine *Atticus* adiectivum *Atticianus* evasit, quod in nomen proprium abiit, [8]) ita ad auctorem quendam Attici nomine sponte ducimur, quem Hemsterhusius notis Ms. ad Harpocrationem a Dobraeo ad Photii Lex. indice p. 740 (649. Lips.) vulgatis, postquam Atticianorum codicum mentionem supra laudatis Harpocrationis locis; tum etiam v. Θύσπιον, ubi in verbis ἡμεῖς μέντοι ἐν τοῖς 'Αττικισμοῖς διὰ τοῦ τ̄ Θύτιον εὕρομεν γεγραμμένον legendum esset ἐν τοῖς 'Αττικιανοῖς, id quod revera in cod. Cant. et Gal. exstare subnotavit editor, se reperisse professus

eam, qua ex codicum consensu nunc vulgatur ἐκπολεμῶσαι, oportet profectam esse ab iis, qui quum elocutionem Thucydidis Demosthenem haud semel imitatum esse scirent, eo lubentius eiusmodi phrases tolerarent, vel etiam ad eam normam contextum refingerent. Luculentum alterum paene geminae discrepantiae exemplum, quo rursus duplicis recensionis vestigia leguntur, suppeditat Or. de corona p. 227, ubi ad διαγνῶσιν, quod codices retinent omnes, Ulpianus adnotavit γρ. διαγνώμην 'Αττικῶς, quae est, ut recte Schaeferus admonet, vox Thucydidia, ab eo quidem, licet Thucydidiis passim colorari orationem Demosthenis, haudignaro improbata. V. Suidam v. διαγνώμη et quos ibi excitat grammaticos Bernhardy. Ego nihil decerno. Ineptum vero illud quod adiicitur, 'Αττικῶς: nolo tamen, quamquam proclive esset, putare in eo obscuratam esse Atticianae scripturae mentionem. Atque huius certe de corona orationis exstitisse olim diversas recensiones, luculenter docemur ab Aristide T. I. p. 530 ed. Dind. ἐδόκουν τὸν 'Αλκιμον . . . ἐπανήκειν, κομίζοντά μοι λόγον Δημοσθένους τὸν ὑπὲρ τοῦ στεφάνου, ἔχοντα οὐχ ὡς νῦν, ἀλλ' ἑτέρως γε καὶ καθ' ἑτέραν σύνθεσιν.

8) V. Forcell. Lex. et nobis notata Ephem. litt. Hal. 1846. p. 331.

est, feliciter indicavit, laudato Luciano adv. indoctum, cuius libelli initio mentio Attici cuiusdam fit, cuius eximia in describendis veterum operibus diligentia celebratur: ἵνα δέ σοι δῶ αὐτὰ ἐκεῖνα κεκρικέναι, ὅσα ὁ Καλλῖνος ἐς κάλλος, ἢ ὁ ἀοίδιμος Ἀττικὸς σὺν ἐπιμελείᾳ τῇ πάσῃ γράψαιεν, σοὶ τί ὄφελος; Ad hanc hominis, aetate ipsius haud ignobilis atque etiam posthac exemplarium ab se exhibitorum fide et auctoritate famam quandam consequuti, memoriam augendam novae nuper accesserunt copiae, quas debemus industriae Darembergii, qui quum in Fragmento Galeni commentarii in Platonis Timaeum ab se edito [5]) eodem vitio maculata Ἀττικὰ ἀντίγραφα memorari animadverteret, non solum veram lectionem assequutus est, sed simul horum antigraphorum auctorem indicavit. Sed curatius totus locus multis nominibus gravissimus describendus est. Ad haec Platonis Tim. 3 verba: μόνιμον δὲ καὶ κατεῤῥιζωμένον πέπηγε διὰ τὸ τῆς ἔξω αὐτοῦ κινήσεως ἐστερῆσθαι a Galeno praeter alia, quibus vera loci sententia declaratur, adnotantur p. 12: Αὕτη μὲν ἡ ἠξήγησίς μοι γέγονε κατὰ τὴν τῶν ἀττικῶν ἀντιγράφων ἔκδοσιν, ἐν ἑτέροις δ' εὑρὼν γεγραμμένον „διὰ τὸ τῆς ἐξ αὐτοῦ κινήσεως", ἐνενόησα λείπειν τὸ ω̄ στοιχεῖον, γραψαντος τοῦ Πλάτωνος „διὰ τὸ τῆς ἔξω ἑαυτοῦ", ἵνα τὴν μεταβατικὴν κίνησιν ἀποφήσῃ τῶν φυτῶν μόνην. Ad Platonem igitur, cuius locus nunc demum Galeni ope in suam pristinam formam restitutus est, ut bene admonuit Darembergius, ab oratoribus Atticis traducti sumus, atque quum iam pateat de Platonicorum scriptorum editione ab Attico curata, inopinato haec notitia corrobaratur alio testimonio huic quaestioni adhuc non admoto apud Schol. Plat. Timaeo, ubi initio de quarta illa persona, quae a colloquio instituendo abfuisse dicitur, haec leguntur: Ὁ Ἀττικός, φησὶν ὁ Πρόκλος, ὀρθῶς περὶ τοῦ τετάρτου τοῦδε ἐπισημαίνεται. ἔοικε γὰρ ὁ ἀπολειπόμενος οὗτος εἶναι τῶν μετὰ Τιμαίου ξένων. διὸ καὶ ὁ Σω-

5) Fragments du commentaire de Galien sur le Timée de Platon publiés . . . par le dr. Ch. Daremberg. Paris 1848.

κράτης αὐτὸν ἐρωτᾷ τὸν Τίμαιον ὅπου ποτὲ εἴη ὁ τέταρτος, καὶ ἐκεῖνος ὡς περὶ ἐπιτηδείου τινὸς ἀπολογεῖται, τὴν ἀπουσίαν ἀναγκαίαν καὶ ἀβούλητον δεικνύς.

Incidimus iam eum in locum, ex quo omnis nostra coniectura de notatis Demosthenis exemplaribus pendet. Sed antea de Platone dicendum, cuius quum Atticiana antigrapha exstitisse sciamus, quae non possunt non critica manu confecta esse, repertum est apud Scholiastam eius operae criticae exemplum luculentum, quo aliquid *adnotasse* Atticus dicitur, quem nemo erit qui ab auctore Atticianorum antigraphorum alienum censeat. Iam quum verba ἔοικε γὰρ etc. usque ad finem manifeste Procli sint, superest illud ἐπισημαίνεται, quod recordanti quae eius verbi de potestate supra §. 58. exposita sunt, videbitur non aliter quam de signo quodam, quod ad designandum aliquid notabile Atticus apposuerit, accipi posse. Nihil hoc mirum, etsi num de dipla, an de alio quoquam signo cogitandum sit, incompertum maneat. Satis est constare de Platonis scriptis notatis: nam semel hac adnotandi ratione Atticum usum fuisse, nemo sanus crediderit. Haec vero si recte, ut opinor, habent, simul probabiliter idem factum statuimus in Demosthenis et Aeschinis reliquiis et si qua alia insuper ferebantur Atticiana antigrapha. Atque non sola scriptorum verba, sed praeter notationem ea subinde aliquot scholiis aucta illos Attici codices praestitisse, docemur ex laudato Harpocrationis loco v. ἀνελοῦσα etc. ex quo patet contextui alteram lectionem variantem in ora appositam fuisse.

Quae de Scholiastae Platonici loco statuimus minime convelluntur ea ratione, qua idem Atticus etiam alio eorundem Scholiorum loco et rursus ad Timaeum producitur: immo ita habent, ut sententiae propositae aliquantulum praesidii adiiciant et simul nos de Attici aetate edoceant. Videlicet Platonis sententiam de universo, quod quatuor elementis constitisset, explanaturus Scholiasta p. 436: ἐφεξῆς δὲ καί, inquit, τῶν αὐτὸν ὑπομνηματισαμένων φιλοσόφων ὀλίγας

παραθέσθαι ῥήσεις ἄξιον. Ἀττικὸς μὲν οὖν καὶ Πλούταρχος ἐάσθων, καὶ εἴ τις ἄλλος γενητὸν εἶναι κατὰ χρόνον τὸν κόσμον ὑπὸ Πλάτωνος λέγεσθαι ἀπεφήνατο etc. Scripsisse ex his coniicias Atticum in Timaeum (de alio dialogo Platonis mox videbimus) commentarios, quos ab Atticianis illis antigraphis dicernendos esse, testatur quod Galenus variantem illam lectionem non ex commentariis, sed ex exemplaribus illis afferre se profitetur. Recte. Diversae utique conditionis utrumque opus fuit, quum quae commentariis comprehenderentur, ea ad philosophica Platonis placita illustranda praecipue inserviisse ex eo colligitur, quod, ut nunc res habet, nullum relinquitur dubium, quin eidem Attico tribuenda sint ea fragmenta philosophica, quae servavit Eusebius Praeparationis evang. libro XV. Ac percommode accidit, ut inter has Platonici philosophi, quem Georgius Syncellus Chron. p. 353 (p. 666 ed. Bonn.) M. Aurelii aetate vixisse tradit [5]), ad verbum servatas reliquias is ipse locus reperiatur, quem Scholiasta Platonis exscribere vel expilare repudiavit, quod docere possunt vel quae leguntur in principio diatribae verba p. 801 (p. 29. ed. Gaisford): Παραιτούμεθα δὲ νῦν μὴ ἐμποδὼν ἡμῖν τοὺς ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἑστίας εἶναι, οἷς ἀρέσκει καὶ κατὰ Πλάτωνα τὸν κόσμον ἀγέννητον εἶναι. Δίκαιοι γάρ εἰσιν ἡμῖν συγγνώμην νέμειν, εἰ περὶ τῶν δοκούντων Πλάτωνι πιστεύομεν οἷς αὐτὸς Ἕλλην ἂν πρὸς Ἕλληνας ἡμᾶς σαφεῖ τε καὶ τρανῷ τῷ στόματι διείλεχται. Comparatis iam Scholiastae et Eusebii locis nihil certius videri posset

5) Nihil igitur vidit Darembergius, quum Atticum Luciano laudatum eundem esse coniiceret cum rhetore Pergameno, Apollodori discipulo, quem Strabo citaret. Immo quum et Galeni et Luciani aetates in M. Aurelii imperium incidant, consectarium esse videtur, Atticum utroque paulo maiorem fuisse natu. Error est Fabricii Bibl. Gr. T. III. p. 164, Atticum nostrum cum Herode cognomine confundentis. De patria Attici nostri si statuere lubet, proclive est ad coniiciendum, in agro Attico eum natum esse, quandoquidem posteriore aetate plures inde nominatos novimus, qualis est Sphettius ille sculptor, de quo v. Raoul-Rochette Questions de l'histoire de l'art p. 135.

quam istam diatribam ex commentariis sumptam esse, quos in Timaeum Atticus scripsisset. Non ausim tamen hoc affirmare, quum si quae fragmenta satis ampla apud Eusebium proferuntur, ex eodem scripto, ut putare fas est, laudantur, ea potius ex opere fuisse videantur, quo introductionis instar in scripta Platonis principales loci Platonicae philosophiae illustrati essent, et hoc quidem modo ut dogmatum Platonicorum et Aristotelicorum comparatio cum aperta Aristotelis refutatione coniuncta institueretur. Atque ὑπομνήματα reliquisse Atticum, auctor est Porphyrius Vita Plotini c. 14. Magis credibile est Atticum in Platonis Phaedonem commentarium scripsisse, si quidem hinc petitum est quod servavit Olympiodorus Scholiis ad hunc dialogum p. 82. ed. Finkh., ubi quaeritur: Τίνες οἱ νῦν „διαλεγόμενοι πρὸς ἀλλήλους" (c. 11. p. 66. B); εἰ μὲν γὰρ οἱ γνήσιοι φιλόσοφοι, πῶς ὑπομένουσι τὰ τῶν πολλῶν πάθη; εἰ δὲ οἱ προκόπτοντες, πῶς γνήσιοι καλοῦνται; τοῦτο μὲν οὖν φασὶν Ὀνήτωρ καὶ Ἀττικός, ἐκεῖνο δὲ Πατέριος καὶ Πλούταρχος. Sed neque hoc loco, quum praesertim sententiae Platonicae interpretibus Plutarchus adiungatur, quem Phaedonem peculiari commento tractasse neque constat neque probabile est, necesse est cogitemus de commentario, quem Atticus in Phaedonem scripsisset. Immo quemadmodum Plutarchi placita, quae Scholiasta Timaei loco supra exscripto consulto se omisisse narrat, eius in libro de procreat. animae p. 1015. sq. leguntur, ita etiam generalioris doctrinae liber Attici hic significari potuit. Ubicumque vero locorum ista Atticum litteris mandasse dicas, cum hac commentatione, qua Phaedonis locum attigit, haud negabis coniuncta fuisse fragmenta ea quae servavit in Excerptis Iamblichianis Stobaeus: quae cum aliis neglecta a Coussino Iourn. des Sav. 1835. p. 147, ubi ad Olympiodori illum locum primum a se vulgatum de Attico verba facit, eo lubentius adiungo, quo de hoc philosopho diligentior disquisitio etiamnum desideratur. Ecl. phys. T. II. p. 894. Heer. ubi de anima: Ἤδη τοίνυν καὶ ἐν αὐτοῖς Πλατωνικοῖς πολλοὶ διαστασιάζουσιν,

οἱ μὲν εἰς μίαν σύνταξιν καὶ μίαν ἰδέαν τὰ εἴδη καὶ τὰ μόρια τῆς ζωῆς καὶ τὰ ἐνεργήματα συνάγοντες... οἱ δὲ ἐκ μαχομένων αὐτὰ συναρμόζοντες, ὥσπερ οἱ περὶ Ἀττικὸν [6]) καὶ Πλούταρχον. Ibidem p. 908: Ἔτι γε μὴν αἱ καθαραὶ ψυχαὶ καὶ τελείαι καθαρῶς εἰσοικίζονται εἰς τὰ σώματα, ἄνευ παθημάτων καὶ τῆς στερήσεως τοῦ νοεῖν· αἱ δ' ἐναντίαι ἐναντίως. Ἀττικῷ δὲ [καὶ τοῖς ἄλλοις] Πλατωνικοῖς οὐ συνδοκεῖ· καθ' ἕνα δὲ τρόπον συντεύξεως τὰς ὅλας ψυχὰς τοῖς σώμασι συνάγουσιν ὡσαύτως ἀεὶ μὲν καὶ ἐπὶ πάσης ἐνσωματώσεως τῶν ψυχῶν προϋποτιθέντες τὴν ἄλογον καὶ πλημμελῆ καὶ ἔνυλον ψυχήν, ἐν αὐτῇ δὲ κατακοσμουμένῃ τὴν κοινωνίαν τῆς λογικῆς ἐπεισάγοντες. Postremo ne quid omittamus quod ad Atticum hunc pertinere posse videatur, commemorantur ab Olympiodoro p. 83 et 94 inter Platonicorum dogmatum interpretes Ἀττικοὶ ἐξηγηταί, qui an cum Attico aliquid commune habeant ambiguum est. Possent, si Ἀττικιανοὶ scriberetur, intelligi interpretes, qui ex schola vel disciplina Attici profecti essent.

§. 69.

De Diodoro Siculo notato.

Quos codices vel quae veterum testimonia Reinesius in mente habuerit, quum et hunc scriptorem olim notatum affirmaret, ego quidem ignoro. Nam non crediderim virum minime ineptum iis signis decipi potuisse, quae in Stepha-

6) Potest ipse Atticus intelligi loquendi genere tralatitio: possunt vero etiam asseclae eius, ut Harpocratio, qui discipulus Attici fuisse traditur, a Proclo in Timaeum p. 93, quem non debebat Heerenius ad Stob. Ecl. phys. p. 897. Augusti Caesaris familiarem dicere, Suidae male confisus, qui vitiose Καίσαρος συμβιώτην appellat, quum quae idem cum Eudocia ei tribuit quatuor et viginti ὑπομνήματα εἰς Πλάτωνα, non possint disiungi ab hoc Harpocratione Platonico, cuius de aetate nullum est dubium. V. Barth. ad Aen. Gaz. p. 97. et Cousinum l. l. p. 148. De quo philosopho praeter locum Stobaei modo laudatum cf. alium ibid. p. 912. et Finkh ad Olympiodori Schol. in Phaed. p. 210. Paterium philosophum ab eodem Olympiodoro una commemoratum in Attici discipulis cur non referam alibi dicam.

niana Diodori editione locis affectis passim adscripta reperiuntur, qualis v. c. est I, 89, ubi verba πολὺ μᾶλλον asterisco designantur. Reperiuntur quidem in margine codicum saepenumero scholia lectionesque variae: nihil vero, quantum sciam, notarum criticarum; neque eius rei quicquam inveniri constat in »variis notis et additionibus«, quibus codex Coislinianus instructus dicitur a Wesselingio Praef. p. CLXXIII. ed. Bip.

§. 70.

De usu signorum criticorum in Anthologia Graeca.

Haud magis constat de Epigrammatis, quae Reinesius olim criticis signis instructa esse refert, nisi in mente habuit notationes quasdam in Anthologia Graeca obvias. Ita vero si habet, error est Reinesii. Tantum enim abest eae ut cum signis Aristarchiis commune aliquid habeant, ut in siglis diplomaticis referendae sint, et variis et longe diversis potestatibus praeditae. Paucis igitur res profliganda est, ad unum codicem Anthologiae Palatinum exigenda. Ac de nota ∻ vel ·/., qua nulla in codice crebrior reperitur, satis erit adscribere quae adnotavit Antonius Paulssen Apographi Gothani cum cod. Pal. collati correctione, Iacobsii Anthol. Pal. exemplo subiecta, p. XIV: »Varii eius significatus hi sunt: Quando singulae cuidam litterae est superscripta, hanc vel falsam, vel addubitatam, vel denique male pictam esse indigitat; cum vero integrae voci aut praeposita, aut etiam altius, quam ut possit ad unam aliquam litteram referri, superposita est, illam ipsam vel pravam, vel dubiam, vel male diremtam, vel denique inusitatam et propterea parum perspicuam esse arguit. Si hoc sit, usu persaepe venit, ut eius correctio vel explanatio in margine exstet.« Patet haec ad librariorum, minime ad criticorum veterum consuetudines spectare. Eiusdemque rationis est aliud signum, quod, formam si spectes, cum Aristarchio asterisco, ⋇, plane convenit, nihil vero cum eo commune

habet: quod quum supra iam in Thucydide ornamenti quasi loco praescriptioni libri praepositum et postpositum adnotaverimus, idem occurrit in clausula prooemii novo capiti praefixi p. 123. ed. Iacobs., item sub finem scholiorum epigrammatis cuiusdam p. 829; tum etiam nomini auctoris praemissum p. 831, ibidemque novo carmini, ubi novi poematii initium indicari editori recte videtur. Similis rationis est locus p. 111, ubi scholion ad explicandam Pauli Silentiarii vocem ἠριπόλης adscriptum fert: τῆς ἡμέρας ⨳ [sic pro ⨳ [1]] τῆς περὶ τὸν ὄρθρον πολούσης. Scilicet binae sunt eiusdem vocis glossae, quae signo isto inter se discernuntur.

Alia signa vel notas, nisi quae compendiis scripturae significandis inserviant, vel ad res mere palaeographicas spectent, in Palatino non animadverti.

§. 71.

De usu ecclesiasticorum scriptorum, inprimis Origenis.

A profanis scriptoribus notandi ars ad sacros translata est, qui ea variis et pro temporum ratione diversis modis usi sunt. Huius usus [1]) enarratio si ab hoc loco aliena esse videatur, tamen quoniam is a paganorum institutis profectus atque ab iis veterum, qui ea de re egerunt, promiscue traditus est, sine rei illustrandae detrimento silentio tramitti non potest: in quo tamen munere administrando modeste nobis agendum esse intellexi, ne aliena vineta caedere ab iis censerer, qui res sacras nisi ab ipsis sacrae scripturae interpretibus tractari nefas putant. Itaque si quae ad argumentum illustrandum pertineant, primis, ut dicitur, labris attigero, proposito satisfecisse mihi videbor.

---

1) Eandem figuram supra notavimus §. 65 et §. 66.

1) Summatim tetigit Villoisonus Proleg. p. XXI, singulari vero studio explanare studuit Dausquius in Orthographiae Lat. tractatu V, quo Notae sententiarum aut verborum ex SS. patribus tractantur, T. I. p. 166. sq. ed. Genevae 1677; et ante hunc Sixtus Senensis Biblioth. sancta p. 255. sq.

Quocirca ego, ut unum afferam, non morabor in rimandis signis iis, quae codicibus sacrorum librorum vel Graecis et Latinis, [2]) vel Gothicis, [3]) vel etiam Syriacis [4]) passim appicta reperiuntur, ex Graecorum quidem usu transumpta, sed vario modo mutata. Consistam unice in perlustranda opera eorum qui Aristarchi instar in recensendis libris veteris testamenti signis criticis usi sunt: quorum agmen duxisse omnium consensu existimatur Origenes Alexandrinus, de emendanda et conservanda sacra scriptura egregie unus in paucis meritus, qui disciplinae patriae, ex qua ipse profectus fuit, praeceptis imbutus, quum in hexaplari suo bibliorum opere singulorum locorum versionis a LXX interpretibus confectae auctoritatem examinare, cum subsequutis interpretationibus, praesertim Aquilae, Symmachi, Theodotionis, contendere discrepantiasque diligenter notare in se sumeret, notandi id genus adscivit quod pridem excogitatum usuque vario comprobatum cognosset, Alexandrinum illud magnifico praesertim Aristarchi nomine concelebratum: quod proposito quidem suo ita accommodandum censuit, ut signorum quorundam antiquitus traditorum, asterisci et obeli, obelique circumpunctati (v. §. 21) potestates pro argumenti ratione commutaret, insuperque alia susciperet, quales sunt lemniscus et hypolemniscus, quibus an ante eum quisquam usus sit, ignoramus pariter atque ante Originem an quisquam similem curam in notandis libris sacris adhibuerit. Illius vero exemplum et auctoritatem imitati, alii post eum eandem operam praestare sustinuerunt, qui vulgandis aliquot libris sacris vacarunt, non id quidem agentes, ut notandi rationem ab Origene inventam integram transumerent,

---

2) V. Rettig ad Cod. Sangallensem Evangeliorum p. XLI. De antisigma περιεστιγμένῳ, quod in hoc codice editor invenisse sibi visus est, dictum §. 46.

3) V. Ulphilae versionem Gothicam nonnullorum capitum Epistolae Pauli ad Romanos ed. a Franc. Knittel, Guelpherbyti.

4) V. Hoffmanni Gramm. Syriac. p. 121.

quod vel superfluum, vel exscriptoris tantum fuisset, sed rursus ut eam ad rem aptarent, singulorum signorum potestatem vel mutando vel etiam augendo. Ex hoc genere scriptorum ad nostram notitiam nostra demum aetate devenerunt Isidorus et Florus, hic ecclesiae Lugdunensis medio saeculo IX diaconus doctissimus, qui non in distinguendo totius V. T. corpore, sed in solo Psalterio operam collocarunt: qui multis saeculis post Origenem similem laborem aggressi, ducis quidem illius vestigia non aspernati sunt sequi, ad suam tamen operam Hieronymi translationem, quam cum LXX contenderent, pertinere recte opinati sunt. Quorum virorum studia iuvabit ex ipsis prologis, nuper demum Ang. Maii cura in lucem productis Coll. Vatic. T. III. cognoscere. Atque Isidori prologus p. 256 his incipit:

»Origenes quondam ille, qui apud Graecos in opere divinarum non parvo elaboravit studio, ut ostenderet qualis per singulas editiones scripturarum lectio teneretur, in propriis paginis vel columnis editiones singularum translationum descripsit, ut ea quae in unaquaque deerant, vel superflua habebantur, ceteris quibusque signis distinguerentur. Huiusmodi igitur ego ipse studio delectatus, Psalmorum librum duarum translationum conpingere malui, sive ut septuaginta interpretes, vel ceteri transtulerunt, sive ut in hebraeo legitur, et sanctissimo Hieronymo in Latinum sermonem interpretatum agnoscitur. Utramque igitur editionem e regione componentes adiunximus, ut quaeque in singulis vel desunt vel potius abundant, signis ad capita versiculorum praefixis, manifestentur. Quapropter ubi in septuaginta translatione aliquid superfluum est, virgulae ÷ signo notatum est; ubi vero aliquid deest, ut clareat, asterisci ⁜ figura signatum est. Verum ubi per dissonantiam utraque invicem discrepant, antigraphus Ⲩ in utrisque columnis adpositus est. Nam procul dubio in plerisque locis multo alium sensum suggerunt: in plerisque vero ita pari sensu incedunt, ut aeque sibi pro expositione adhibeantur etc.«

Flori Epistula ad Hyldradum abbatem de psalterii emendatione, apud Maium p. 252.

„Diu est quod paternitas vestra humilitati meae iniungere voluit, ut psalterium vobis iuxta regulam veritatis corrigerem: quod ego studui pro viribus adimplere. Sed veraciter dilectioni vestrae fateor, valde mihi molesta et gravis extitit multorum codicum perplexa ac mendosa varietas, quae dormitantium librariorum exorta vitio, imperitorum cotidie ignavia alitur ac propagatur. Ego itaque, ut iniunctum negotium diligentius exequerer, dedi operam et hebraicam sacri interpretis translationem et septuaginta adinvicem conferre, ut ex utrisque quid in nostris minus, quidve maius haberetur codicibus, curiosius investigarem; et quid in septuaginta ex hebraeo sub asterisco ⋇ additum, quid praenotatum obelo ÷ plus in his quam in Hebraeorum voluminibus haberetur, solerti indagatione colligerem. Et quia inerat suspicio, ne forte et ipsa hebraica translatio scriptorum esset vitio depravata, etiam hebraicum ipsum volumen ad lectionem [Cod. *ipsum et volumen electorem*] adhibui: nec non et illam notissimam interpretis [Hieronymi] epistulam adsumam ad Suniam et Fretelam getas conscriptam, in qua perplurimos codicum nostrum [lege *nostrorum*] errores confutat, adiunxi: et his omnibus psalterium vestrum, prout potui, correxi: asteriscos ⋇ et obelos ÷ suis locis restitui: erasi vitia: recta quaeque et probata subieci etc.“

Signa iam ab Origene primum usurpata, de quibus disseruit post Montefalconium Hexpl. Praeliminar c. III. §. 3. p. 75 ed. Bahrdt. Eichhornius Einl. in das A. T. T. I. p. 491. sq. ed. 4, simul eorum, quae posthac in usum venerint, ratione habita, deinceps enarraturus, Epiphanium potissimum ducem sequutus sum, quippe qui libello de mensuris et ponderibus (T. II. ed. Petav. Coloniae 1682) totum hunc locum accurate tractaverit neque satis ab harum rerum curiosis excussus videatur.

1) *Asteriscus.* Epiphanius p. 159: ⋇ ὁ ἀστερίσκος

οὗτος, ἔνθα παράκειται, σημαίνει τὸ ἐμφερόμενον ῥῆμα ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κεῖσθαι, καὶ ἐμφέρεσθαι παρὰ Ἀκύλᾳ καὶ Συμμάχῳ, σπανίως δὲ καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι. οἱ δὲ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ παρῆκαν, καὶ οὐχ ἑρμήνευσαν, ὡς δισσολογουμένων τῶν τοιούτων λογίων, καὶ ἐκ περισσοῦ ἀναγινωσκομένων. Idem de LXX agens p. 173: ὧν γὰρ οὐκ ἦν χρεία εἰς ἑρμηνείαν, παρῆκαν, ἅ τινα εἰς ὕστερον ἐν τοῖς φωνῶν αὐτῶν τόποις μετὰ ἀστερίσκων Ὠριγένης συνέθηκεν. Exempli loco affertur p. 159 Geneseos principium, quo quum ad verba Hebraica vertendum esset, ut cum Aquila etiam alii vertissent, καὶ ἔζησεν Ἀδὰμ τριάκοντα ἔτος καὶ ἐννακόσια ἔτος, LXX scilicet τὴν δοκοῦσαν εἶναι βόμβησιν [repetitae vocis ἔτος] εἰς λειότητα μεταβαλόντες (ut ait Epihanius) Graece reddidissent ἔζησε δὲ Ἀδὰμ τριάκοντα καὶ ἐννακόσια ἔτη. Alia exempla indicavit Eichhornius l. l. p. 485. sq. Eundem asterisci usum in notando Psalterio testatus est Florus laudatus l. l.: »Ego itaque, ut iniunctum negotium diligentius exequerer, dedi operam et hebraicam sacri interpretis translationem et septuaginta adinvicem conferre, ut ex utrisque quid in nostris minus, quidve maius haberetur codicibus, curiosius investigarem; et quid in septuaginta ex hebraeo sub asterisco ⁜ additum, quid praenotatum obelo ÷ plus in his quam in Hebraeorum voluminibus haberetur, solerti indagatione colligerem ... et his omnibus psalterium vestrum, prout potui, correxi: asteriscos ⁜ et obelos ÷ suis locis restitui.« Igitur quod citra fidem exempli Hebraici a LXX omissum esset, id asterisco notari solitum: quod abundanter adiectum, obelo. Quam signi potestatem, sacram scripturam, sine dubio respiciens, universe his enarravit Isidorus Orig. I, 20, 2: »Asteriscus apponitur in his, quae omissa sunt, ut illucescant per eam notam quae deesse videntur.« Etiam planius idem fragmento, quod Floro Maius subiunxit p. 256: »Quapropter ubi in septuaginta translatione aliquid superfluum est, virgulae ÷ signo notatum est; ubi vero aliquid deest, ut clareat, asterisci ⁜ signatum est.« Eadem fere potestate asteriscus

accommodatus est Evangeliis notandis, quorum exemplum praestat Codex Sangallensis a Rettigio excussus, quem v. Proleg. p. XLI.

2) *Obelus*. Epiphanius p. 160: παρετέθη δὲ ταῖς τῆς θείας γραφῆς λέξεσιν, ταῖς παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευταῖς κειμέναις, παρὰ δὲ τοῖς περὶ Ἀκύλαν καὶ Σύμμαχον μὴ ἐμφερομέναις. ἀφ' ἑαυτῶν γὰρ οἱ ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευταὶ ταύτας τὰς λέξεις προσέθηκαν, οὐκ εἰς μάτην, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς ὠφελείαν. ταῖς γὰρ ἐλλιπῶς ἐχούσαις λέξεσι προστεθεικότες εἰς σαφήνειαν, τὴν ἀνάγνωσιν παρήγαγον. Idem ubi post longas ambages ad rem recurrit p. 164: Ἔφαμεν ὅτι ὁ ὀβελὸς λόγχη λέγεται· ξίφος δέ ἐστι ἀναιρετικὸν· ἔνθα τοίνυν ἡ λέξις εὑρίσκεται παρὰ μὲν τοῖς ἑβδομήκοντα δύο κειμένη, ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ ἀναφερομένη, ἐκ τῆς τοῦ ὀβελοῦ σημειώσεως τοῦ τῇ λέξει παρακειμένου δηλοῦται, ὅτι ἀνήρηται ὁ λόγος ἀπὸ γεννητικοῦ τόπου, ἤτοι τοῦ ἐδάφους τῆς γραφῆς, ὡς μὴ ὑπάρχων ἐν τῷ τόπῳ τῆς βίβλου. Tum p. 173, ubi asteriscorum rationem exposuit, de Origene: ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ προστεθέντα οὐκ ἀφείλετο, εἰδὼς ὅτι αὐτῶν μᾶλλόν ἐστι χρεία, ἀλλά μετὰ ὀβελῶν, ἔνθα ἕκαστον τῶν εἰρημένων εὗρεν, εἴασε, μόνον σημειωσάμενος διὰ τοῦ ὀβελοῦ τὴν περὶ τῆς τοῦ τόπου ἀναγνώσεως εἴδησιν. Cuius abundantiae exempla quaedam notavit Eichhornius l. l. p. 485. Eandem notae potestatem confirmant Florus l. l. et Isidorus, hic Fragmento l. et Orig. I, 20, 3: »Obelus, id est virgula iacens, apponitur in verbis vel in sententiis superflue iteratis, sive in iis locis, ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta iugulet supervacua atque falsa confodiat,« ubi quae de falsorum notatione monentur, ad morem sacrae scripturae notandae adhibitum in propatulo est non pertinere, quippe ex alio genere et quidem antiquiore adiuncta. In figura vero monendum a consuetudine antiquorum ecclesiasticos paulisper discessisse, quippe formam sagittae vel hastae hunc fere in modum —> exhibentes, vel antiquam obeli formam binis punctis adaugentes ÷. De illa Epiphanius l. l.: παραπλησίως γράφεται τῇ καλουμένῃ γραμμῇ. ὀβελὸς δὲ κέκλη-

ται κατὰ Ἀττικὴν χρῆσιν, ἄλλοις δὲ καλεῖται δόρυ, ὅ ἐστι λόγχη. Isidorus Orig. l. 1: »Sagitta enim Graece ὀβελὸς dicitur.« In Fragmento vero l. idem virgulae nomine alteram, ut vidimus, figuram exhibet. Eadem figura, ut adiiciam quod in promptu est, recurrit in codice Aristotelicorum scriptorum nonnullorum Lipsiensi, saec. XIII adsignato, quem excussit Beckius Prolus. acad. ad solemnia doctorum philosophiae indicenda a. 1793 scripta, diversa neque plana ubique potestatis ratione. Itaque libello de Xenophane, Zenone et Gorgia, cuius solius Beckius enotavit varietatem, c. 2. p. 975, 8. b. Bekk. post ἐστί [ita Cod.] inseritur ÷, consilio minime claro, nisi forte hypodiastoles vices gerere librarius voluerit, ut ne quis ἐστὶ cum sequentibus iungeret. Afferuntur enim Empedoclis versus integri, cum aliis duobus praecedentibus laudati a Plutarcho de placitis philos. I, 30:

ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων
ἐστί, φύσις δὲ βροτοῖς ὀνομάζεται ἀνθρώποισιν.

Quod quum Bekkerum fugeret, ἐστὶν edendum is curavit, ex Lipsiensi libro praestantissimo nunc corrigendum, non immerito quod non diligentem eius in recensendo Aristotele curam adhibuerit, nuper a Bergkio Commentatione de hoc libello Marburgi 1843 vulgata p. 7 castigatus. Haud planiore ratione eiusdem notae alterum exemplum idem Codex suppeditat c. 4. p. 978, 22 exhibens: μέσον δὲ ἔχει, σφαιροειδὲς, ὃ μὲν ÷ ἐκ τοῦ μέσου ὁμοίως τὰ ἔσχατα, scilicet omissis, quae post ὂν (hoc nempe post σφαιροειδὲς nunc additum) inseruntur, verbis τοῦτο γάρ ἐστι σφαιροειδὲς ὅ, quae etiam ab aliis libris repudiantur. Fortasse notare librarius voluit aliquid hic desiderari vel omissum esse: cuius moris exempla similia supra §. 16 iam adnotavimus. Etiam impeditior intellectus est tertio exemplo eiusdem pag. lin. 29, ubi fertur ἀπόφασις ἢ το λε ÷ χθὲν καὶ τὸ μὴ κινεῖσθαι. Eiusdem formae signum, vel lineola paulisper inflexa, hunc fere in modum ÷, librarii saepe sub calcem scripti appinxerunt, ad explendum versus spatium vacuum, vel semel

vel pluribus vicibus, tum etiam initio ornamenti fere caussa veluti in praescriptione libri III. Thucydidis Cassellani, ubi verba Θουκυδίδους συγγραφῆς γ′ in medio versu collocata utrinque sigillis ad istam formam expressis includuntur: quam ipsam eius Codicis paginam exhibet accurate exemplum a Theod. Fischero redditum, supra §. 66 commemoratum. Ceterum hanc signi figuram ÷ haud plane novam neque ab ecclesiasticis excogitatam esse, adnotavi §. 21.

Haec omnia, quae de usu asteriscorum et obelorum apud Origenem disputavi, fusius exponenda fuerunt, quo docerem, eam quidem usus rationem, quam descripsi, Epiphanii certe testimoniis satis firmis niti. Nam aegre fero quod dissentiendum mihi est a Montefalconio, qui ut ante eum nemo totum hunc locum diligentissime perscrutatus, ita retulit l. l. p. 75, ut in LXX quid adiectum esset, asterisco, quid expungendum videretur, obelo ab Origene notatum diceret: quod idem praeterea addit de duobus punctis, :, cuique signo appictis, id non facit ad rem nostram, neque ea notandi ratio ab ipso Origene profecta videtur. Valde autem mirum eundem Montefalconium paulo post p. 78 exemplum in medium protulisse, quo praetermissam a LXX vocem Hebraicam, a Symmacho suppletam, asterisci signo Origenes prorsus ad eandem rationem notasset, qua id ab eo Epiphanius, ut vidimus, fieri solitum tradit.

3) *Lemniscus*, quem hac figura ÷ exhibet Tabula notarum ap. Montefalconium Paloeogr. Gr. p. 370. Epiphanius p. 164: Λοιπὸν καὶ περὶ τοῦ λιμνίσκου καὶ ὑπολιμνίσκου διηγητέον. Λιμνίσκον γοῦν τὸν οὕτω γραφόμενον ὡς ἔχει τὸ προκείμενον ÷ σημεῖόν ἐστι, γραμμὴ μία, μεσολαβουμένη ὑπὸ κεντημάτων δύο, εἴτουν στιγμῶν, μίας μὲν ἐπάνω οὔσης, τῆς δὲ ἄλλης ὑποκάτω, παρὰ ἰατροῖς φυσιολογικῶς εὑρᾶσθαί φασι, καὶ ὠνομᾶσθαι ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ σῶμα χειρουργίας, δύο μὲν ἁπλῶν τόμων διαιρουμένων, μέσον δὲ τῶν διαιρέσεων τοῦ τμηθέντος τόπου διὰ τὰς παρ᾽ ἑκατέρας ἁπλᾶς δύο τομὰς ὀβελοῦ σχῆμα τοῦ σώματος ἀποτελοῦντος δέ, ὅ ἐστι λινοῦν ῥᾶκος, εἰς λεπτὸν καὶ μακρὸν σχῆμα ἀποτμηθέντος ἐμβαλλομένου ἀπὸ τῆς μίας

διαιρέσεως, καὶ εἰς τὴν ἄλλην διαπερῶντος. λιμνίσκος ὑπ' αὐτῶν τῶν ἰατρῶν καλῶς ἐκλήθη διὰ τὸ λιμνάζειν κλυζόμενον τὸν μότον ἐν τοῖς τόπου ὑγροῖς. διὸ καὶ τοῦτο τὸ τοῦ σημείου σχῆμα τοῖς θείοις λόγοις παρέθετο, ἵν' ὅτε σπανίως που εὕροις ἐν τῇ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνείᾳ διαφωνοῦσαν λέξιν, οὐ μὴν παροῦσαν, οὐδὲ προστεταγμένην [Reg. περιτεθειμένην] ταῖς ὁμοίαις αὐτῇ λέξεσι, γνοὺς ὅτι ὑπὸ μιᾶς ζυγῆς ἢ δύο αὕτη ἡρμηνεύθη ἡ λεξις διὰ τὰ παρακείμενα δύο κεντήματα. καλεῖται δὲ ταῦτα τὰ συναμφότερα, ἢ ὅμοια... οὐδὲν μὲν ἐλλιπὲς ὑπάρχον, οὔτε παρηλλαγμένον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ μὲν ὑπάρχον, διαφόρως δὲ [vulgo τε] ὀνομαζόμενον, ὡς εἶναι οὐ παρὰ (?), ἀλλὰ συναμφοτέρως ἐκφωνοῦνται, ταῦτα διὰ τὸν λιμνίσκον ἐσημειώθη, ὡς παρὰ μιᾶς ζυγῆς ἢ δύο ἡρμηνευμένης τε καὶ εὑρισκομένης λέξεως. In hoc pluribus nominibus misere corrupto loco, cui ex parte solum hic illic restituendo succurrere contigit, vocis scripturam λιμνίσκος, quamvis aperte mendosam, retinui, quod genuinam formam λημνίσκος Epiphanium ignorasse, ostendit, quam ipse dedit, vocis originatio, ἀπὸ τοῦ λιμνάζειν, iam a Montefalconio, ubi de vocis etymo et significatione quaerit, in dubium vocata p. 80, et ante hunc a Dausquio Orthogr. Lat. T. I. p. 168. ed. 1677, de hoc signo omnino consulendo. Recte vero Epiphanius cum μότῳ humidis corporis locis inserto comparat, laudato medicorum usu, de quo Celsus VII, 28: »et intus implicitum in longitudinem linamentum (λημνίσκον Graeci vocant) in aceto tinctum dimittere supraque succidam lanam aceto madentem deligare.« Vegetius Art. vet. II, 48: »per foramina etiam ustionis lemniscum trahi debere, ut quidquid humoris est, egeratur.« Cf. II, 14. Potestatem autem lemnisci critici Epiphanius l. l. duobus his exemplis ipse explicare studuit: ὅταν εὕρῃς ὡς ἐν ἑβδομηκοστῷ Ψαλμῷ ἐμφέρεται „τὸ στόμα μου ἀναγγελεῖ τὴν δικαιοσύνην σου", „ἀναγγελεῖ τὰς δικαιόσυνας σου". πάλιν δὲ ἐν τῷ ἑβδομηκοστῷ πρώτῳ Ψαλμῷ „καὶ ἔντιμον τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτοῦ". ἀντὶ δὲ τούτου πρόκειται „καὶ ἔντιμον τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν ὀφθαλμοῖς". Intelligitur igitur sensus concinentia inter ipsos sacrae scripturae interpretes

LXX, vel potius, Epiphanio teste, LXXII, ad quos solos ista figura spectat, in reddenda una eademque phrasi, elocutionis autem dissensus vel variatio, quemadmodum recte Isidorus Orig. I, 20, 5: »Lemniscus, [5]) id est, virgula inter geminos punctos iacens, apponitur in his locis, quae sacrae scripturae interpretes eodem sensu, sed diversis sermonibus transtulerunt.« Atque utraque exempla prioris scripturae debentur LXX, quorum priore vs. 15 si vulgatur ἐξαγγελεῖ, monendum in Ald. et Complut. reperiri lectionem ab Epiphanio traditam, vel hac ipsa auctoritate sese tuentem; contra in altero exemplo rectius ὄνομα αὐτῶν vulgata tenet, Epiphanio in tanta eius contextus labe forfasse vindicanda, quamquam cum Epiphanio faciant rursus Ald. et Compl. Ceterum paria illa interpretum, quae Epiphanius appellat, quae sint, ipse p. 161 declaravit, ubi de operis per LXX conficiendi ratione exponit: Ἑβδομηκονταδύο γὰρ ὄντες τὸν ἀριθμὸν, καὶ ἐν τῇ Φαρίᾳ νήσῳ, καλουμένῃ δὲ ἄνω γῇ, ἀντικρὺ τῆς Ἀλεξανδρείας, ἐν λ καὶ ἓξ οἰκίσκοις, ζυγὴ ζυγὴ κατ' οἰκίσκον, ἀφ' ἕωθεν ἕως ἑσπέρας συγκλειόμενοι, καὶ τὸ ἑσπέρας ἐν τριακονταὲξ σκαφιδίοις περαιούμενοι, εἰς τὸ τοῦ Πτολεμαίου Φιλαδέλφου παλάτιον, καὶ μετ' αὐτοῦ ἑστιώμενοι, καὶ κατὰ ζυγὴν ἐν κοιτῶσι τριακονταὲξ καθεύδοντες, εἰς τὸ μὴ συνδοιάσαι μετ' ἀλλήλων, ἀλλ' ἀνοθεύτως ἑρμηνεῦσαι, οὕτως διετέλουν· τοὺς γὰρ προειρημένους τριακονταὲξ οἰκίσκους ὁ ῥηθεὶς Πτολεμαῖος κατασκευάσας ἐν τῷ περὰν εἰς τὴν νῆσον, διπλοῦς τε αὐτοὺς ποιήσας, δύο δύο ἐνέκλεισεν... οἱ δὲ οὕτως διάγοντες ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας ὑπὸ κλεῖδα συγκεκλεισμένοι οὕτως ἡρμήνευσαν. ἑκάστῃ δέ ζυγῇ βίβλος μία ἐπεδίδοτο, ὡς εἰπεῖν, ἡ βίβλος τῆς τοῦ κόσμου Γενέσεως μιᾷ ζυγῇ, ἡ Ἔξοδος τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῇ ἄλλῃ ζυγῇ etc. Postrema vero ne citra mentem scriptoris accipiantur, quum singula tantum scripta sacra singulis paribus ad interpretandum tradita esse non-

5) Cod. Paris. apud Bergk. Anecd. Paris. p. 88. *lemnisculus*, quae vocis forma alibi non legitur, minime tamen in suspicionem vocanda est. Mox ibidem falso *idem* scriptum aut lectum pro *id est*, perpetua harum vocularum confusione.

nemo existimet, statim subiungenda haec sunt p. 163: αὗται τοίνυν αἱ εἴκοσι καὶ ἑπτὰ βίβλοι, εἰκοσιδύο δὲ ἀριθμούμεναι μετὰ καὶ τοῦ Ψαλτηρίου καὶ τῶν ὄντων ἐν τῷ Ἱερεμίᾳ... τὸν τρόπον ὃν εἴπομεν ἡρμηνεύθησαν κατὰ περίοδον ἑκάστῃ ζυγῇ ἑρμηνευτῶν ἐπιδιδόμεναι, καὶ ἀπὸ τῆς πρώτης ζυγῆς τῇ δευτέρᾳ, καὶ πάλιν ἀπὸ τῆς δευτέρας τῇ τρίτῃ, καὶ οὕτως παρῆλθον κελεύουσαι ἑκάστῃ τριακονταεξάκις ἑρμηνευθεῖσαι, ὡς ᾄδεται λόγος. Cuius rationis haud aliud consilium fuisse videtur, quam ut uno eodemque tempore initium totius laboris a quoque pari fieret. De horum parium conditione aeque ac de vera lemnisci indole in hypolemnisco dicetur.

Paulo diversa ratione eodem signo usi sunt in distinguendo Psalterio ipso Isidorus, Fragmento I. testante, et Florus pariter a Maio editus p. 252, quandoquidem hi, ut vidimus, omisso prorsus obelo, signum ÷ apposuerunt, ubi in LXX translatione superfluum aliquid repererunt, praeter hoc signum nullis aliis usi quam asterisco et antigrapho, de quo mox dicendum. Itaque varius huius notae usus fuisse videtur, ut iam supra adnotatum est, atque eius quidem modi, ut cum obelo proprie dicto commutaretur, id quod passus videtur Isidorus Orig. I, 20, 5, loco supra exscripto. Tum idem §. 4.: „Obelus superne appunctus apponitur in his, de quibus dubitatur, utrum debeant tolli, nec ne.“ Anecd. Paris. p. 87: „ ∸ Obelus cum puncto ad ea de quibus dubitari tolli debeant nec ne,“ ubi mox patebit significari eam notam, quae ab Epiphanio hypolemnisci nomine effertur. Similiter de promiscuo horum signorum usu statuerat Montefalconius p. 85, simul addens, rarissimam lemnisci utique fieri mentionem. Addendum figurae illius loco etiam hanc linea curvata ⸚ in usum recentiore, ni fallor, aetate venisse: quae figura non solum multis in codicibus, ubi alioquin ÷ positum exspectasses, reperta est, sed certo testimonio Hesychii in Psalm. XII, 6. adseritur, paulo infra exhibendo, quo linea talis appellatur κεραία, cuius de vocis vi v. supra §. 50.

4) *Hypolemniscus.* Epiphanius, postquam de lemnisco

exposuit: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ τοῦ ὑπολιμνίσκου δηλώσομεν. ὁ γοῦν ὑποληημνίσκος τοιοῦτόν ἐστι σημεῖον ⟞, ἁπλῇ δηλονότι γραμμὴ ὀβελοῦ τὸ σχῆμα ἔχουσα, ὑποκειμένην δὲ ἔχουσα στιγμήν, ἤγουν κέντημα. ἔνθα γοῦν εὕροις τοιοῦτον σημεῖον, ὑπολιμνίσκου αὐτὸ γίνωσκε εἶναι. δύναμιν δὲ ἔχει ταύτην. ὅπου γὰρ εὑρεθῇ λέξει τινὶ παρακείμενος, δηλοῦται ὑπὸ μιᾶς ζυγῆς ἑρμηνευτῶν ἐξενεχθεὶς ὁ λόγος, καθὸ ἡ μία στιγμὴ ὑποφαίνει, καὶ ἔτι [malim ἐστὶν] αὐτό συναμφότερον ἢ συνάδελφον τῇ λέξει, ᾗ ἐπίκειται. Fallor, aut res ab Epiphanio iusto brevius exposita ita habet: eandem esse huius signi cum lemnisco potestatem, hoc tamen discrimine, ut quum hic in differentia unius vel duorum parium interpretum positus fuerit, hypolemnisco in solo unius dissensu locus datus sit: quod quomodo accipiendum sit, mox videbimus. Postremo Epiphanius p. 173, quae ad utrumque lemniscorum genus pertineant, una his comprehendit: διὰ δὲ τῶν ληημνίσκων ὡσαύτως ἐδήλωσε [Origenes] τῶν παρά τισιν ἐκ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευτῶν συναμφοτέρως εὑρεθεισῶν, ὡς ἐν σπάνει ὀλίγων λέξεων τὴν δήλωσιν οὐκ ἀνομοίων οὐσῶν, ἀλλ᾽ ὁμοίων μὲν, καὶ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἐχουσῶν, ὡς ἂν εἴποι τις ἀντὶ τοῦ „ἐλάλησεν“ „ἐφθέγξατο“, ἢ ἀντὶ τοῦ „ἦλθεν“ „ἐλήλυθε“. Ceterum Epiphanio excepto, nullus veterum scriptorum hypolemnisci mentionem fecit, ita ut vocem vel Lexica Graeca etiamnum ignorent. Addamus utriusque lemnisci usum rarius ab Origene factum videri, vel eos propter figurae similitudinem simul nomine obelorum comprehensos esse, id quod colligo ex Hieronymi Epistola ad Augustinum, huius in Opp. T. II. 172 (alias 30), ubi leguntur: »in editione Septuaginta, quae asteriscis verubusque distincta est,« quibus non ambigo quin exemplum ab Origene notatum intelligendum sit. Verum planissime ipse Origenes Comm. in Matthaei XIX, 19: Τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων τὸ συνᾷδον ἐκείναις ἐφύλαξαμεν, καὶ τινὰ μὲν ὠβελίσαμεν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ κείμενα, οὐ τολμήσαντες αὐτὰ πάντῃ περιελεῖν, τινὰ δὲ μετ᾽ ἀστερίσκων προσεθήκαμεν.

Confirmat Hieronymus Praef. ad Pentateuchum: »Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquae translationem Theodotionis miscuit, asterisco et obelo opus omne distinguens.«

Nec tamen quae adhuc attuli sufficiunt ad expediendum hunc locum miro modo intricatum, in quo illustrando desudavit cum aliis me iudice frustra Montefalconius: qui, explosis superiorum criticorum commentis variis, postquam totam illam de 36 paribus interpretum et de totidem cellulis narrationem Epiphanii, quippe quae iam ablegata esset, reiecit, se credere tandem professus est p. 84, »hypolemniscum tunc appositum fuisse, quum lectio illa notata LXX interpretum solum erat; quod *uno* subtus lineam posito puncto indicabatur; lemniscum vero cum *duobus* punctis, quando non LXX interpretum tantum, sed etiam Theodotionis erat.« Quae sententia vel eo reprobatur, quod in toto hoc loco Epiphanii nihil de ulla alia sacrae scipturae interpretatione quam quae per LXX facta est commemoratur: neque calculum tulit Eichhornii, de potestate utriusque lemnisci certi quicquam sciri posse negantis p. 493. Retractaturo iam mihi rem ante omnia monendum, non agi de aliqua differentia, quae Hebraicam inter et Graecam scripturam reperta esset, sed de aliquo dissensu ipsorum LXX interpretum, quos si vulgaris fama fert nihil inter sese discrepasse, tamen indubiis exemplis constat aliquoties revera eos secum dissedisse, quod crebrius fortasse quam nunc liquet suspicamur accidisse; tum in enucleanda et iudicanda Epiphanii narratione nullo modo posse omitti, quae de laboris partitione per 36 paria deque cellulis, quibus inclusa singula fuissent, idem tradiderit. Atque Epiphanius quae retulerit, etsi omnia plena salebris esse Montefalconius l. l. conquestus sit, tamen alio duce uti ipse nefas putavit. Habemus igitur teste Epiphanio 36 paria interpretum, quibus interpretandi munus hac lege mandatum fuit, ut serie quadam, quam si ignoramus, haud aegre ferimus, constituta, unus quisque librorum sacrorum XXII,

quot eodem teste p. 162 numerabantur, cuique pari ad interpretandum traderetur: quo factum ut sacra scriptura sexies ac trigesies Graece reddita sit. In his iam 36 exemplaribus si sumamus, quod sumere fas est, repertas esse quasdam discrepantias, si non sensus, quamquam et hoc admitti potest, tamen dictionis, has suspicor in ipsum, quod LXX iuncta opera conficerent, sacrae scripturae corpus iuxta, sive in ora codicis sive sub quemque locum in ipso contextu, susceptas esse, atque ea lege, ut non plures una alteraque lectiones variantes notarentur. Haec quidem sententia mea partim coniectura quidem nititur, sed minime vana, quod ipsa discrepantiarum exempla, quae supersunt, affatim ostendunt, in ipso codice a LXX concinnato discrepantium scripturarum, quae non possunt non ex diversis singulorum parium exemplis profecta esse, una rationem habitam fuisse. Cur vero una alteraque, non plures 36 parium discrepantiae notatae? Ut fuerint numero paucae, tamen quum unius eiusdemque loci facile plures scripturae ferri potuissent, ad modum servandum necesse est statuamus inter LXX conventum de numero fuisse, quem in laudandis scripturae discrepantiis, quum ad vulgandum ipsum corpus ventum esset, tenerent. Itaque si parium nonnullorum exempla a ceteris discederent, satisfactum rei visum fuit, unius alteriusque paris differentiam, si tanti videbatur, adnotare. Ad hanc iam bibliorum conditionem quoque loco designandam suspicor Origenem lemniscis usum esse, ea quidem lege, ut ubi duorum parium discrepantia reperiretur, lemniscum, ubi unius, hypolemniscum apponeret. Haec ipsa rei explicatio quum per se probabilis videtur, tum ex ipsa ratione, quam Epiphanius tradidit, sponte colligitur insuperque confirmatur testimonio Hesychii, quod Montefalconio p. 82 acceptum refero, ad Psalm. XII, 6: τοῦτον τὸν στίχον δύο ζυγὰς τῶν οβ' ἑρμηνευτῶν εἶπον· διότι παράκειται σημεῖον τὸ διὰ τοῦ μέλανος, ὃ λέγεται λημνίσκος, διὰ μὲν τῆς κεραίας τῆς μέσης σημαίνει τὸν στίχον, διὰ δὲ τῶν δύο στιγμῶν, τῆς ἐπάνωθεν καὶ τῆς ὑποκάτω. τὰς δύο ζυγὰς τῶν

ἑρμηνευτῶν ᾐνίξατο. Ex quo loco, quum non duae scripturae varietates, sed una afferatur, simul etiam hoc cognoscitur, quum duorum parium varietas dicatur, non duas diversas scripturae lectiones intelligi, sed unam, in qua duo paria convenerint.

Enarrare studui, utcunque potui, rem ad mentem Epiphanii, neque in animo nunc est litem illam componere, quae de Epiphanii paribus interpretum LXX cellulisque inter viros doctos agitata est. Ficta haec omnia esse si ponamus, tamen, detractis, quae ex vulgi fama tamquam ornamenti loco rei admixta videri possunt, quum de scripturae diversitate in corpore bibliorem ab ipsis LXX exhibita dubitari nequeat, ea quae supra exposita sunt ad veram Origenis rationem notandi pernoscendam nos ducere possunt. Consectarium enim ex iis est ut statuamus, Origenem, si quam diversitatem lectionis a duobus interpretibus confirmatam in aliquo sacrae scripturae loco deprehenderet, lemnisco, sin ab uno interprete, hypolemnisco notasse. Sed tantum de re, de qua ut a studiis meis aliena audacius nolo pronuntiare, theologorum supercilia veritus, rem sacram a semipagano tractari aegre laturorum: quibus ego, quae supra a me coniecta sunt an cum signorum reliquiis per codices scripturae sacrae Epiphanio posteriores sparsis conveniant, et si aliquantisper disconvenire deprehendantur, quibus id de caussis, haud difficulter indagandis, factum sit, persequi remitto.

5) *Antigraphus.* Isidorus Orig. I, 20, 6: „ẏ antigraphus cum puncto apponitur, ubi in translationibus diversus sensus habetur.“ Eodem nomine appellatum exhibetur hoc signum in Tabula notarum ap. Montefalconium Palaeogr. Gr. p. 370. In Origenis signis ab Epiphanio non refertur, et ea ille nota carere facile poterat, quae aetate ipsius ne inventa quidem fuit. Ut vero ad ecclesiasticorum usum eam referam, adducor auctoritate eiusdem Isidori, cuius in fragmento, quod Maius edidit, laudato mentio eius iuxta asteriscum et obelum quippe in notanda sacra scriptura

LXX usurpatos fit, qua re demum locus supra scriptus lucem accipit. Isidori verba l. l. haec sunt: »Verum ubi per dissonantiam utraque invicem discrepant, antigraphus Ƴ in utrisque columnis adpositus est.« Qua nota in distinguendo Psalmorum libro semetipsum usum esse Isidorus una profitetur. Figuram, quam cum Isidori editoribus expressi, cum Hebraica litt. tsade, teste Dausquio Orth. Lat. T. 1. p. 168 fere congruentem, confirmant Cod. Parisinus et Maii Isidorus: at in antiquo Isidori Orig. libro eam pingi ⊃, adnotat Forcellinius v. *antigraphos.* Quid? quod Sixtus Senensis Bibl. sancta p. 258 eandem figuram, sed inversam, ⊂, exhibet. Quae differentia in medio relinquenda est.

Origeni praeterea etiam ceraunium a Dausquio l. l. p. 170 vindicatur, qua auctoritate, ignoro.

Praeter ea signa, de quibus modo exposuimus, in notanda sacra scriptura ecclesiasticos aliis quoque usos esse tanto verisimilius est, quanto magis in eorundem signorum usu ipsos inter se discessisse vidimus, quandoquidem in comperto iam habemus, asterisco, obelo, lemnisco et hypolemnisco Origenem, lemnisco vel si malis obelo, asterisco et antigrapho Isidorum et Florum usos esse. Atque fieri potuit, ut nonnullis signis tum ab Isidoro Originibus, tum a Sixto Senensi l. l. p. 257. sq. enarratis, praesertim iis, quae minus ad crisin contextuum quum ad alias scripturae proprietàtes vel dictorum rationes pertinerent, qualis est v. c. paragraphus, anchora, chresimon, coronis, locus datus fuerit. Sed hoc persequi a proposito alienum. Unum addo, quae in Anecdoto Paris. nomine Notarum simplicium sub finem signa adiiciuntur, ea ad hoc genus notarum omnia pertinere valde probabile videri. Quare exscribere ea breviter iisdem quibus afferuntur verbis placuit.

·> bis dictum

⊃ alienus versus

F metafrasis latina

Φ metaphrasis graeca
M malum metrum aut apraepes [sic]
Π contra historiam
Θ supervacuus
H ⋇ recte positus et pugnanti contrarius
— praepositum [Cod. *propos.*] sine consequenti
⸓ consequens sine praeposito
⟶ alienus et supervacuus
Φ ͻ Φ̄ 7 graeca metafrasis et bis dictum et repugnans
Φ P graeca metafrasis et repugnans
Φ F metafrasis graeca et latina.

§. 72.

De dipla obelata et paragrapho.

Restat ut de peculiari quodam diplae usu dicatur, quem quidem iam supra licet alio nomine tetigi (§. 20 52. 53) hic tamen ubi quae ad posterioris aetatis consuetudinem pertinent absolvuntur, retractare cogor. Isidorus I, 20, 16: „⋗ Diple ὠβελισμένη interponitur ad separandas in comoediis vel tragoediis periodos.“ Quibuscum consentit Anecdotum Paris. p. 87, nisi quod rectius figuram hanc exhibet: ⪢—. Vario quidem modo, quamvis inter se simili, formatam hanc figuram repraesentat Tabula signorum apud Montefalconium Palaeogr. Gr. p. 370, minime vero illam. Huius signi usus an Latinorum poetarum fabulas pariter ac Graecorum attinuerit, ignoro. Ut vero de Graecis est res certissima, ita pro certo haberi potest, notae illius nomen errori tribuendum esse, a similitudine diplae cum paragrapho iunctae repetendo, qua nota antiquos criticos in discernendis dramatum tum singulis periodis diverbiorum et carminum lyricorum partibus usos esse supra vidimus, §. 20. Ac plane convenit cum hac sententia quod de altero eiusdem signationis genere, de dipla aversa obelismene, ut appellatur, tradit cum Anecdoto Parisiensi Isidorus §. 17 et 18: „< Aversa quoties strophe et antistrophus infertur. ⋖ Aversa obelismene ad ea ponitur,

quae ad aliquid respiciunt.« Rectius vero Anecdotum Paris. figuram —<. Res confirmatur additamento illo Excerptorum, quae ex cod. Veneto produximus §. 20, quo quae priore loco exhibentur signa, ea formas harum ipsarum diplarum, sive obelismenas dicamus, sive paragrapho auctas, ostendunt.

Praeterea hoc addendum, quod haud minus certum, eam notam non solum in dramatis, sed etiam in aliis quibuscunque scriptorum orationisque generibus eadem vel simili potestate adhibitam esse. Quod testatur perantiquum eius usus exemplum, pluribus nominibus memorabile, repertum in Papyro Herculanensi, qua Epicuri de natura liber secundus continetur, Col. II, ubi habes diplen >— in margine ita duobus versibus adscriptam, ut producta eius linea horizontalis, quo melius finis periodi monstretur, intra ipsos versus immissa sit. Ad quem locum Rosinius Volum. Hercul. T. II. p. 3.: »Post v. 6. in margine sinistrorsum adpictum vides signum >—. [1]) Id nempe est quod veteribus adpellabatur διπλῆ ὠβελισμένη, h. e., διπλῆ γραμμὴ cum ὀβελῷ, et quoniam haec figura transversum λάμδα referebat, dictum etiam fuit ἀντίλαμδα.« Hoc quo teste nitatur, me fugit. Tum apposito Isidori loco eruditus episcopus pergit: »Hinc autem dignoscitur adhibitam quoque ad distinguendas varias orationis partes: nempe cum scriptor ad alia pertransit. Ut heic Epicurus, cum demonstrarit celerrime fieri simulacra, ad ostendendum, quomodo continenter eadem e corporibus fluant, gradum facit.« Praeter hunc locum in cetero Epicuri opere alterum eius signi vestigium non deprehendi. Sed adsunt alia longe plura in Papyro Herculanensi ea, qua Philodemi de musica liber IV continetur (Volum. Herculanens. T. II), de quibus paulo accuratius vel ideo disputandum, quod tametsi eadem potestate ad ostendendum periodi finem id signum plerumque positum

1) In ed. Orelliana, in qua haec ad verbum iterantur, exhibetur figura)—, diplae nomine indigna: quod ad errorem cavendum adnoto.

est, eius tamen ratio diversa fuisse videtur. Etenim quum apud Philodemum hoc signum non eadem figura scriptum, sed hic illic paulisper mutatum reperiatur, quamquam quin idem librarius esse voluerit dubitari nequit, et ita quidem ut nunc diplae signum >, nunc eandem figuram, sed linea verticali addita in formam >— ostendat, probabile est, hoc lineolae augmentum non alia de caussa adiectum esse quam ut interponendo signum initio duorum versuum exitus ipse periodi intra spatium prioris versus monstraretur. Haec enim constans eius signi sedes est. Itaque in hoc certe volumine papyraceo signum illud non poterit alio nomine quam diplae purae recte appellari, cuius quum ex angulo linea producitur horizontalis, nunc longior, nunc brevior, tamen quum prolongationis caussa, ut supra dixi, non obscura sit, eam notam utique naturam diplae purae retinere putandum est. Illius figurae unum exemplum adscribam, Col. XIII:

ΕΚ[ΑΚΙΣΕ]Ν ΥΠΕΡΒΑΝΤΕΣ
>
ΔΗ [ΤΟΙΓΑ[ΡΟΥΝ ΤΑ ΠΕ[ΡΙ] Τ[ΗΣ Σ]Ω

Eiusdem rationis exempla suppeditant Col. VII. XII. XX. XXIII. XXXIII. XXXV et XXXVIII. Alterius speciei exemplum exstat Col. XXI

ΙΔΙΑΚΑΙΤΙΔΕΙΤΑΛΛΑΘΑΥ
>—
[Μ]ΑΖΕΙΝΑΥΤΟΥΚΑΙΠΡΟΣΣ[Υ]Ν

Adde Col. XXV. XXXIV et XXXVIII. Quaecunque vero eius notae figura est, vim suam primariam nusquam amittit, ut clausulam designet. Insigne est exemplum Col. VII, ubi quum ad aliam materiam auctor transeat, quod praeter diplam adiicitur signum, id coronidem exhibere videtur, quippe ad significandam argumenti consummationem insuper additam. Est etiam ubi haec dipla non ad exitum periodi ponitur, sed ad significandam, ut opinor, orationis partem, appositionis instar sub finem periodi additam, quod observavi Col. XVII, spectans ad verba κἂν τῷ λοιπῷ βίῳ, vel Col. XXVI Πλάτωνος δὲ καὶ διαῤῥήδην,

quibus periodus desinit. Notandum autem scribam in hoc sibi non constitisse, quin ubi diplae nota scribenda fuerat, aliud signum eadem potestate apposuerit, scilicet unam lineolam horizontalem, eodem modo initio duorum versuum, quorum priore periodus desineret, interpositam: quam notam paragraphum rectius quam obelum appellaveris. Exempla habes Col. III. VII bis. IX quater. XII. XIII. XVIII. XIX. XX et passim. Ac ne credas, hanc scribae singularem fortasse consuetudinem fuisse, moneo eiusdem exempla etiam in Codice eo reperiri, quo Epicuri fragmenta continentur, papyraceo, veluti Lib. XI. Col. I et XII: in quo Codice obiter notemus signi formam $\times$ exhibentis exemplum unicum Col. XXXIII, in exitu periodi potestate eadem, qua dipla, positi. Adde quod valde notabile, eundem usum etiam librarium qui Iliadis contextum Venetum conscripsit tenuisse: quod primus observavit Pluygers De carm. Hom. et Schol. Ven. nova ed. p. 4 et 7, simul ex ipso Codice docens, in exprimenda Veneti scriptura a Villoisono passim eo erratum esse, quod pro paragrapho obelum dedisset. Exempli gratia *α*, 53 et 106 scripturam affero, qualem Codex exhibet:

ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο

μάντι κακῶν οὔ πω ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας.

Debebat adiicere vir egregius, idem signum eodemque prorsus loco versibus, quibus vel oratio alicuius incipiat vel post orationem aliquam narratio resumatur, a librario Ambrosiano Odysseae apponi solitum esse, id quod Buttmannus ex specimine loci Homerici a Maio exhibito recte collegit p. 584. Scilicet paragraphi propria vis in discrimine duorum membrorum notando posita est: quam observavimus in dramaticis et lyricis supra §. 20. in discernendis personarum metrorumque vicissitudinibus, item in Thucydide §. 66 in distinguendis diversis argumenti vel orationis partibus. Ac varia eius notae figura, modo in lineae horizontalis, modo in eam formam detorta, quae ad diplam, cum qua etiam aliquantum potestate conveniebat, accederet. V.

Graefenhan T. II. p. 98. Idem Latinorum usus, de quo v. §. 75. Denique etiam hoc notandum, eam lineolam simul ad indicanda singula unius periodi commata eorumque clausulas, eadem sede singulis binis versibus interponi, locis innumeris, praesertim vero tum, quum id comma parentheseos speciem prae se ferat, veluti apud Philodemum Col. XIX, ubi ad verba ὡς οὗτοι λέγουσιν signum apponitur, et Col. VIII in verbis ὥσπερ ὁ Στωϊκός: vel si vera est parenthesis, veluti Col. XV in verbis orationi interpositis λόγου γὰρ μόνου τὸ τοιοῦτον; in qua orationis specie etiam accuratius uno exemplo deprehendi librarium ita agentem, ut initio et fini parentheseos lineam illam adiecerit, Col. XVII:

ΒΕΛΤΙΩ ΓΑΡ ΕΣΤΩΙ [2]) ΤΑ ΧΡΩΜΕ
ΝΑ ΣΥΜΠΟΣΙΑ [ΤΟΥ]ΤΟΙΣ ΤΟΥΤΩΝ
ΜΟΥΣΙΚΗ ΔΕ etc.

§. 73.

De reliquis nonnullis signis criticis.

Coronidis loco ne quid praetermisisse inconsulto arguar, ex Tabula notarum a Montefalconio Palaeogr. Gr. p. 370 vulgata signa quaedam producam, quae criticam potestatem habuisse videantur, quamquam de iis parum aut nihil in comperto habeo. Alia ibidem commemorata sciens omitto, ut quae vel recentissimae aetatis sint vel vim habuerint ab hoc argumento alienam, veluti illud notissimum ex X et P conflatum, quo χρήσιμον significatur, et alia.

/ ἁπλῆ ἀπερίστικτος.
÷ δύο περίστικτοι ἁπλαῖ.
> διπλῆ πλεκτική.
⌉ ἀντιπαραγράφος.

Hanc vocem adeo Lexica etiamnum ignorant. Respicere notam videtur Isidorus I, 20, 9: ἀντιπαράγραφος. Positura est figura paragrapho contraria, ideo sic formata, quia

2) Vitiose pro ΕΣΤΙ, nisi forte pro ΕΣΤΑΙ.

sicut illa [*paragraphus*, cuius proxime mentio fuit] principia notat, ita ista fines a principiis separat.« Nempe de illa idem: »Paragraphus ponitur ad separandas res a rebus, quae in connexu occurrunt, quemadmodum in catalogo etc.«

ↄ χρυφία.

Isidorus I, 20, 10: *Cryphia* circuli pars inferior cum puncto, ponitur in iis locis, ubi quaestio dubia et obscura aperiri vel solvi non potest.«

Aliunde addimus:

>< >< Isidorus I, 20, 20: „*Diple recta et aversa superne obelata* ponitur finita loco suo monade, significatque similem sequentem quoque esse.« Anecd. Paris. p. 88.

—̇→ Isidorus §. 4: »Obelus superne appunctus apponitur in his, de quibus dubitatur, utrum debeant tolli nec ne.« V. Anecd. Paris. p. 87, ubi figura est —̇. De quo loco supra dictum est.

> Isidorus I, 20, 19: „*Diple superne obelata* ponitur ad conditiones locorum ac temporum personarumque mutatas.« V. Anecd. Paris. p. 87, ubi verius figura exhibetur 7̄.

§. 74.

De usu signorum criticorum apud Romanos. [1])

A Graecis transeo ad Romanos, qui ex quo litteras ad normam Graecorum tractare coeperunt, cum studiis grammaticis, in quibus eos constat principio totos a disciplina eorundem pependisse, etiam signorum criticorum usum transtulerunt, atque in vulgandis emendandisque antiquorum scriptorum exemplis adhibuerunt. Qua de re quum olim parum aut nihil constaret, nunc invento Anecdoto Parisino (§. 11.), quo Latinorum grammaticorum notationis ratio habetur, accidit ut totus is locus in meliore luce positus sit, quum praesertim illud qui primus edidit,

1) V. Graefenhan l. l. T. IV. p. 368. sq.

quae aut librarii culpa corrupta essent, corrigere, aut quae vel ob rei novitatem vel ob verborum ambiguitatem obscura, omnibus modis illustrare sustineret. In quo libello, quae inprimis ad usum Latinorum spectant, haec sunt p. 85, ad Codicis fidem describenda: *His solis* [notis] *in adnotationibus hennii. lucii et historicorum usi sunt varr"s. hennius. haelius aequae et postremo probus, qui illas in virgilio et horatio et lucretio apposuit ut homero aristarchus.* Hoc loco ut recte uti possimus, vides ante omnia in eo elaborandum esse, ut mendis, quibus obsitus est, purgetur: cui officio Bergkius ita satisfacere studuit, ut quae affecta essent, hunc in modum refingeret: *in adnotationibus Ennii, Lucilii et historicorum usi sunt Vargunteius, Laelius Archelaus et postremo* etc. Proclive erat Ennii, Lucilii nomina restituere: in ceteris vero commentis admiror quidem Bergkii sagacitatem, rem reprobo, non modo propter audaciam mutationum, quibus Codicis scriptura tentanda est (nam ut *Varguntei* nomen in elementis istis nunc superstitibus latere posse concedam, tamen ut ex *Archelaus*, quod reponitur, *aequae* bene enasci potuerit, non mihi persuadeo) sed quod, re sobrie examinata, a scriptura tradita haud multum discedere cogamur: immo ex ipsa scriptura compellimur ad intellectum loci a Bergkii mente diversum. Quod ut clarum fiat, vel trivialia repetenda sunt. Huc primum pertinet, quod si recte Ennii poetae nomen in *hennii* inventum est, qua de re nemo dubitabit, non possumus non eundem aspiratae abusum etiam in altero eiusdem scripturae exemplo *hennii* agnoscere: neque ambigi poterit, quin *haelius*, quod ordine sequitur, aliud quicquam sit quam *Aelius*. His pro certo positis, ex quibus scripturam *Ennii* utroque loco et *Aelii* lucramur, ad principium revolvimur, quo quum ipsa correctoris tentatio nominis *Varros* testatur, primitivam scripturam mendo laborare, quaeritur an melius habeat quod reponendum ipsi visum est *Varrus;* quo commento verendum est ne locum etiam magis corruperit, quandoquidem ea nomi-

nis forma an Latina sit, dubitari merito queat. V. ad Apuleium gramm. p. 67. Ac suspectum hoc nomen etiam Reinesio libro, qui inscribitur »Aenigmati Patavino Oedipus p. 15.« Apud Catullum XXII, 1, ubi olim *Varre* vulgabatur, Lachmannus recte *Vare* revocavit. At librario ea nominis corrupti corruptio nova non tam vitio vertenda, quam saeculo, quo scripsit, recentiori, quo qui scripti sunt codices passim, uti legere me memini, in Terentii Varronis nomine exhibendo eandem formam praestant. Quid igitur? Utraque scriptura mendosa, sed ita comparata, ut librarium Varronis Terentii nomen exhibere voluisse ostendat. Sequitur nomen Ennii, quem si scripturae vestigiis inhaerere velis, Bergkius ait intelligendum iuniorem illum, qui de syllabis scripsisset, aut nomen eius in *Herennii* mutandum esse. Haec quidem haud mala esset loci medicina, quum in comperto habeamus ex Donati Vita Virgilii 16, de hoc poeta Herennium quendam quaedam commentatum esse. Nihil vero mutandum, quandoquidem grammaticum Ennium illum, sicut de litteris syllabisque scribere potuerit, etiam scriptorem aliquem adnotare potuisse facile concedes. Quid? quod Ennius quidam notarum vulgarium inventor apud Romanos dicitur. Isidorus Orig. I, 21, 1: »Vulgares notas Ennius primus mille et centum invenit. Notarum usus erat, ut quicquid pro concione, aut in iudiciis diceretur, librarii scriberent complures simul astantes, divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet.« Habemus commemoratum id genus notarum, quo utebantur notarii sive tachygraphi, de quibus v. Villois. Proleg. Hom. p. XVIII, vel si recenti nomine appellare malis, stenographi, re et ratione ab eo longe quidem diversum, quod grammatici in notandis scriptoribus adhibent, sed tamen munere eius minime indignum, qui grammatici partes sustinens, in hoc officio persequendo brevitatis caussa signis quibusdam ad exponendam suam sententiam uteretur. Utrosque vero Ennios ut pro eadem persona habeam, maxime adducor temporum aliqua congruentia, quandoquidem ille,

Varrone honoris caussa praeposito, antiquorum grammaticorum cum Aelio Stilone agmen ducit, is autem, qui notas invenisse dicitur, eodem Isidoro teste, Tironem certe Ciceronis libertum aetate superavit. Res esset confecta, si pro certo haberi posset, cum notarum inventore eundem esse Ennium, qui de litteris syllabisque et de metris scripsisse fertur, id quod Hertzius Z. f. d. Alterth. 1845. No. 50. p. 395 existimat, quicum mihi certe in retinendo Ennii nomine in Anecdoto Par. convenit: qua de re valde intricata nolo nunc pronuntiare, accuratius aliquando retractanda in Symbolarum litt. Volumine tertio, simulac per iniquitatem temporum licuerit, sine mora vulgando. Aetate iam, qua Ennius adnotator vixerit, aliquatenus descripta, de qua quaestione inprimis Hertzius l. l. conferendus est, quum qui natu prior Varrone fuerit, in scriptorum ordine huic postponitur, cave inde credas totam hanc loci constitutionem meam confutari. Tanta fuit apud omnes Varronis auctoritas et late vulgata memoria, ut ab hoc potius, qui et ceteris multo maiora praestitisse videri debuerit, quam ab homine ignobili, qualis Ennius fuit, agmen duceretur: neque necesse est statuamus, aetatis ordinem auctorem libelli sequi voluisse, quum si subiicitur postremo Probus, minus ceterorum temporis rationem auctor habeat, quam quod ipse statuit Bergkius, ipsius, quippe ad cuius aetatem Probus ultimus fuerit qui huic notandi muneri vacasset. Ac firmat sententiam propositam locus quo continuo collocatur in hoc ordine Aelius, si quidem fas est Stilonem intelligere, aetate Ennio, opinor, paulo inferiorem, Varrone superiorem. De Stilone vero si qua dubitatio relicta erat, eam de medio sustulit Hertzius l. l., neque, quum ob frequentiam Aeliorum circa eandem fere aetatem eorum quis dicatur incertum haberi possit, cum Bergkio in nuda *Aelii* commemoratione offendo, quum etiam alibi hoc nomine nudo scriptores diversos laudari meminerim: cuius rei exempla dabo aliquando in Historia grammaticorum Lat. Interim satis erit advertere locum unum Frontonis

Epist. ad M. Caes. I. p. 15. Rom., ubi quum antiquorum scripta quaedam, ut Ennii, a nonnullis criticis sive grammaticis aliquo modo tractata dicuntur (locus est lacunosus, ut cuius generis illa tractatio fuerit, liquido nunc non constet), hos inter etiam Aelius quidam nude laudatur, et ordine quidem ante Atticum et Nepotem, unde patet, eundem certe Aelium, quicunque fuerit, si modo concedatur, antiquis eum adscribendum esse, tam hic quam in Anecdoto significatum esse. Praeposito igitur propter nominis vel etiam operae eximie praestitae famam Varrone, in ceteris grammaticis percensendis quum aetatis, qua quisque degerit, ratio haberi videatur, consectarium est, ut in reliquiis scripturae aperte mendosis, quae continuo sequuntur, hominis nomen lateat, laudatis iunioris, quem Bergkii facile divinaturum fuisset acumen, nisi aliis commentis occupatum esset. Scilicet *Aquilae* delitescit nomen, qui Isidoro rursus teste l. l. inveniendis novis notis eiusdem generis, quo occupatum didicimus Ennium illum minorem fuisse, operam dedisse dicitur, ita ut quod de hoc notario supra monitum est, etiam in Aquilam valeat. Qui quum libertus Maecenatis ab Isidoro appelletur, non potest esse diversus a liberto eo, per quem notas quasdam tales a se inventas Maecenas divulgasse traditur a Xiphilino Epit. Dion. p. 205 ed. Sylburg. καὶ πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλα ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξεν· nisi quod patrono tribuebatur, id libertus eius, quae Lionis Maecenat. p. 35 ed. alt. coniectura est, perfecisse putandus est. Hunc Aquilam, quem distinguendum a rhetore Aquila Romano recte praecipit Lindemannus ad Probum Inst. gramm. p. 120 [2]); siquidem is post tempora Antoninorum

2) Quem Iulium Aquilam, qui de Etrusca disciplina scripserit, Lindemannus obiter affert ex Plinii II, 11, ubi nulla laudatae rei mentio exstat (voluit, opinor, citare Indices auctorum librorum II et IX), eum ideo nolim cum liberto Maecenatis eundem putare, quoniam a talis conditionis homine haud fas crediderim eiusmodi argumentum, qualis est disciplina Etrusca, tractari

vixisse merito iudicatur, haud dubito in grammaticis censere, quandoquidem non habeamus, quo Aquilam eum, qui teste Cassiodoro T. II. p. 587 b. Garet. (p. 2320. Putsch.) Quintiliani aetate superior de orthographia scripsit, nisi ad hunc ipsum Maecenatis libertum referamus. Haec quum valde probabilia videantur, tum haud minus aptum videbitur eundem Aquilam existimare, qui auctore Probo Inst. II, 1, 40 (p. 1462. Putsch.) Tullium retulerit dixisse *impuberem*.

Quae iam in hoc loco Anecdoti Paris. criticorum enucleavimus nomina, ea sane magis ex conditione loci, qualis in Codice scriptus fertur, quam ex re ipsa, sed magna,

recteque absolvi potuisse, plane vero conveniens dignitati eius Aquilae Pontii, qui quum tribuni munere fungebatur, Iulii Caesaris bilem movisse narratur a Sueton. Iul. 78, vel eius Iulii Caesaris bilem movisse narratur a Sueton, Iul. 78, vel eius Iulii Aquilae, quem Neronis procuratorem Nicaeae ostendit inscriptio in Texier Descr. de l'Asie mineure T I. p. 52. Neque ex Chalcidio in Timaeum a Lindemanno Aquila aliquis excitandus erat, quum sit sacrae scripturae interpres intelligendus notissimus. Huius Aquilae, quod in transcursu adnotare iuvat, quum Epiphanio aliisque scriptoribus ecclesiasticis exceptis rara vel nulla alioquin mentio fiat, ita ut de eius studiis vix aliud quicquam ad nostram notitiam venerit, quam quod ad interpretationem sacrae scripturae pertineat, ex re erit Philostrati Vit. Soph. II, 21 advertere, ubi qui Chresti rhetoris Byzantii, ab Herode instituti discipulus laudatur Aquila, amplius quaerendum est annon idem cum interprete primum pagano, post Christiano, denique Iudaeo facto sit. Non solum enim tempora conveniunt, sed etiam patria, quandoquidem interpres Sinope ortus dicitur; rhetor apud Philostratum ὁ ἐκ τῆς ἑώου Γαλατίας; similiterque Iornandes, vel potius Iordanes I. p. 649: »Quo [Hadriano] regnante Aquila Ponticus scripturas de Hebraeo transtulit.« Neque tantopere mirandum esset, hominem anteaquam Hierosolyma secessisset, rhetoris partes sustinuisse. Cave autem confundamus cum rhetore Aquila, Latino scriptore, discriminis caussa ipso *Romani* cognomine fortasse nobilitati, ad quem quae Aquilii rhetoris nomine in Victoris Rhetorica laudantur, haud male pertinere iudicantur a Maio Praef. p. LXV.

opinor, veritatis specie prodierunt, quae in tam obscura rei inveteratae fama haudquaquam eo confutantur, quod nullum scriptorum repertorum isti notandi muneri vacasse memoria proditum est. Ut vero quae de Ennii Aquilaeque notis attulimus rei fidem facere videntur, ita certum est nominatorum grammaticorum nullum esse, a quo studia illa aliena fuisse demonstrari possit: immo constat nominatos et grammaticam professos et in explicandis recensendisque antiquorum scriptis occupatos fuisse. Neque quod Hertzius l. l. p. 394, qui pro Varganteio pugnat, attulit, ob claritatem nominis credibile non esse, de Varrone, signis criticis si revera usus fuisset, memoria ea de re nihil proditum esse, tanti videtur, ut eo reprobetur id quod quominus factum putetur, per se nihil impedit. Nihil vero amplius ad hanc caussam explicandam in promptu est, neque cui scriptori notando hic vel ille grammaticus vacarit, ullo modo ostendi potest. Felicior quidem Bergkius, quum in corroborandis Vargunteii et Archelai nominibus testimoniis certis uti sibi visus sit, quibus demonstraret, Satirarum Lucilii principem editorem fuisse hunc, Annalium Ennii illum. Sed secus habet. Isto enim Suetonii de gramm. ill. 2 loco, quo unice nititur Bergkius, ne verbum quidem de exemplis in vulgus editis. Immo accurate loco examinato nihil aliud de studiis istorum hominum grammaticis constat, quam scholas, si hoc nomine appellare fas est, eos instituisse, quibus poetarum antiquorum scripta legerent sive recitarent interque legendum commentarentur. Hoc vero ne cupidius in virum egregium coniectum videatur, necesse est summam loci singulatim enarrare. Scilicet Suetonius postquam Cratetem Romae commorantem plurimas acroases, publicas puta, habendo assidueque disserendo Romanis exemplo ad imitandum fuisse narravit, *hactenus* ait *eum Romanos imitatos, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorumamicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent.* Continuo his exempli gratia subiiciuntur, qui isto

docendi modo ad morem Cratetis usi essent: *ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros: ut postea Q. Vargunteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: ut Laelius Archelaus Vettiusque Philocomus Lucilii satiras, familiaris sui: quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.* [3]). Nihil, vides, in his inest, quod de parata aliqua istorum scriptorum editione cogitare sinat, nisi illud quod de belli Punici Naeviani opere in septem libros diviso traditur: quod quidem isto sensu accipi potest, nec tamen necessarium est, quum Lampadio eam divisionem in commodum recitationis confecisse putari possit. Non instabo tamen: sed numquam concedam tale quid, si modo illud revera factum, etiam a Vargunteio in Ennio, ab Archelao et Philocomo in Lucilio factum esse. Locum enim attentius intuenti apparebit, comparationem, quae inest particulae *ut* non spectare ad proxime praecedentia *divisit in septem libros*, sed ad superiora *retractarent*, cuius verbi explicatio subiicitur statim *ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent*, sententia prorsus eadem, qua in eiusdem operis c. 24 Val. Probus dicitur in scholis suis *cubans, inter longos et vulgares sermones, legere quaedam.* Atque ita habere, ostendit id quod Vargunteius dicitur *certis diebus in magna frequentia* pronuntiasse, id quod novum fuit: denique quod legisse Lucilii satiras dicuntur apud Archelaum Pompeius, apud Philocomum Cato, quorum verborum haud alia vis esse potest, quam scholis Archelai et Philocomi interfuisse Pompeium et Catonem, et tum audiendo tum etiam legendo poetis istis percipiendis operam dedisse: quo sensu etiam Probus apud Suetonium l. l. traditur *legisse in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam*, et quo etiam *praelegere carmina*

3) Sic scriptus prodibit locus in editione Suetoniani libelli mea propediem vulgandus.

dicebatur. V. Weberi Praef. ad Scholia Lucani p. III. Quid igitur? Illa poetarum notatio, qualem Anecdoti Paris. auctor asserit, a Suetonio non solum non tradita est, sed ipsa a grammaticorum istorum munere etiam aliena fuisse videtur, quoniam cuius rationis munus eorum fuerit, diserte expositum est, et si cum eo aliud commentandi genus coniunctum fuisset, id tanti Suetonio videri debuisset, ut, quum semel in istorum grammaticorum studia sermo incidisset, eius mentionem faceret. Adde quod si Archelaus et Philocomus Bergkii de sententia p. 115 ad Cratetis Pergamenorumque potissimum disciplinam studia sua composuerunt, quod factum esse non negabo, non veri simile videtur, Aristarchiis signis eos usos esse, quae Crates certe eo minus in crisi Homeri factitanda admisisse putandus est, quo maior eum inter et istorum signorum auctorem simultas mutua et dissensio exstitit. Neque adhuc testimonium ullum produci potuit, quo Cratetem illa notandi ratione usum esse demonstraretur: quod eo minus fieri poterit, quo certius Cratetem constat exemplum carminum Homericorum non vulgasse. Non igitur audiendus Graefenhan l. l. p. 370, qui signa Graecorum critica Romanos praecipue a Cratete accepisse narrat: quod quo testimonio corroborari possit me fugit.

Tantum igitur abest ut Bergkii illa Anecdoti emendandi ratio re ipsa commendetur, ut in offensiones incurrat, haud facile tollendas, ita ut, si tamen circumspicienda sunt grammaticorum nomina, quibus illud notandi munus tribuamus, in eo non laborandum sit, quod isti muneri illos vacasse confirmari certis testimoniis nequeat. Suo igitur sese pondere existimationis tuebuntur Varro, Ennius, Aelius, Aquila, quorum nomina ex scriptura codicis tamquam ex sepulcro in vitam redeunt. Sed praeter nomina nihil, quum cui quibusve scriptoribus notandis quisque vacarit in comperto non habeamus, neque notationis in ipso aliquocunque eorum scriptorum vestigium ullum servatum sit. Haud magis de historicis istis, qui inter illos una nominantur, liquet.

Itaque missis his, quae certo sciri hodie haud amplius possunt, superest unus Probus, sine ulla dubitatione Berytensis ille Valerius, qui quo ceteris illis grammaticis recentior est, etiam nobis notior esse debet: de quo v. §. sq.

Postremo de signis ipsis criticis, quibus grammatici Latini usi esse in Anecdoto Paris. dicuntur, quaerendum est. Qua in re vereor ut auctor eius se admodum diligentem praestiterit: videtur enim saeculorum diversorum consuetudines ita confudisse, ut quae ipsius aetate maxime usu recepta essent signa, ea etiam priorum aetatum grammaticis assignaret, id quod age iam ostendamas. Verbis istis, quae supra exscripsimus, *His solis adnotationibus* praefigitur notarum earum indiculus praevius, quarum usus deinceps ratione unius cuiusque habita explicatur, hoc modo conceptus: „ — obelus. ⋇ asteriscus. ⋇ — asteriscus cum obelo. ⌐ simplex ductus. > diple. > periestigmene. Ͻ antisigma. Ͽ antisigma cum puncto. ⊤ coronis. 7 — [immo > —] diple obelismene. ⋇ ceraunion. ÷ obelus adpunctus. —< obelus cum aversa [scil. dipla]. 7̄ diple superobelata. 7 ⌐ recta et aversa superne obelata. ⳩ chi et ro. ⳩ fi et ro. ⊤ anchora superior. ⊥ anchora inferior. alogus.“ In his signis ut iam constat plura enumerari, quae proprio Aristarchiorum nomine appellanda sint, ita haud minus manifestum etiam reperiri, quae multo recentiore aetate usu recepta sint, veluti diple superobelata, anchora utraque, alogus, tum signa illa duarum ex litterarum ΧΡ et ΦΡ figuris composita, quorum nullum antiquitas illa novit, cuius sunt qui in Anecdoto Paris. memorantur grammatici. Atque quod attinet ad obelum, qui adpunctus dicitur, ea nota sive figuram sive vim, quae infra exponetur, spectes, cum lemnisco, quem ab Origene demum usurpatum novimus, plane convenit. Tum etiam hoc considerandum. Utrum omnibus istis enumeratis signis, an singulis quibusdam qui in Anecdoto nominantur adnotatores usi sint, non perscribitur; illud vero, quum in comperto habeamus, complurium usum ab iis alienum fuisse, vix credibile. Si igitur in toto hoc testimonio

accuratam rei expositionem desiderari concedendum est, quid inde sequitur, omnibus quae hactenus disputavimus in unum collectis? Ratione suae ipsius aetatis habita, auctorem syllabum eorum signorum exhibuisse, quorum usum in variorum scriptorum codicibus deprehendisset, discrimine neque temporis, quo aliquod scriptum notatum esset, neque litterarum generis, cuius quodque esset, facto; tum quum intelligeret, quae ad notationis historiam pertinerent, si qua sciri possent, cum fructu appositum iri, adiecisse quae in promptu essent, sublecta ex antiquo aliquo auctore, quem eo minus intercedam quin Suetonium fuisse, ut supra monitum est, putemus, quo minus casu factum esse censeamus, quod Probo, ad quem nunc pergimus, recentior adnotator in Anecdoto commemoratur nullus.

§. 75.

De Valerio Probo adnotatore.

Grammaticum hunc saeculo Christiano primo clarum [1]) Vergilio, Horatio, Lucretio notandis vacasse diserte testatur, ut vidimus, Anecdotum Parisinum, ad quod munus significandum simul vidit Bergkius l. l. pertinere quae leguntur apud Suetonium de ill. Gr. 24: »multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et *adnotare* curavit«, de toto hoc grammaticae genere docte exponens: quod pluribus persequi et repetere, vel etiam novae submittere censurae quum huius loci non sit, mitto, unum hoc ad partes meas pertinere ratus, quod versatur in notarum, quibus Probus usus sit, explicatione. Cui muneri satisfacturo ante omnia mihi monendum est, libellum de notis, qui Valerii Probi nomine circumfertur, nihil habere commune cum Probi notatione ea, de qua agitur, ab hac sive argumentum, sive singularum materiarum multo recentiora tempora attingentium rationem spectes, utique alienum: neque adhuc eius sententiae piguit, quam olim proposui Symb. litt. l. l. p. 460. sq., fictum omnino esse Valerii Probi nomen, quum praesertim

1) V. Beitr. z. Gr. u. Röm. Litt. T. II. p. 168. sq.

eius praescriptionis origo non lateat: [2]) ad quam sententiam etiam magis confirmandam adiici potest, de Probo quoquam vel de tantae molis libro, qualis superstes est, nihil compertum habuisse Isidorum, quum de notis vulgaribus, quo nomine hoc genus tachygraphicum appellat, earumque auctoribus referret, Orig. I, 21. Rem conficit, quod Probum Anecdotum Par. adiicit in notando eadem ratione, quam in Homero Aristarchus observasset, usum esse: quam quum appareat ab illo notarum libello alienam esse, tamen cave ita a Probo usurpatam credas, ut iis tantum signis usus esset, quae sola Aristarchus adhibuisset; immo Probi aetas quum in ea tempora inciderit, quibus ratio Aristarchiorum signorum iam quasdam mutationes subiisset, admodum probabile videtur, Probum in usum vertisse eum notandi morem, quem ipsius aetas recepisset: quod ita esse statim comprobabitur.

Iam vero Probus operam suam dicasse traditur Horatio, Lucretio et Vergilio, quorum priorum de notatione ulla nihil ego in comperto aliunde habeo: [3]) neque Bergkii sollertiae contigit quicquam pervestigare, quod poetas illos duos notatos esse testaretur, recte perspicientis, ex sola commentariorum commemoratione concludi nihil posse ad notationem, felicioris tamen in Vergilio, de quo investigatis in Servio nonnullis adhibitae notationis reliquiis egregie meritus est p. 110. Quas eo modo, quo partim adiuvante codice Servii Cassellano Bergkius constituit, ex re est hic repetere, in Aeneide repertas cunctas.

I, 20: »in Probi adpuncti sunt, et adnotandum, hi duo si eximantur, nihilominus sensus integer erit, sed Virgilius

2) In codicibus infimae aetatis Italis a Keilio Anal. gramm. p. 18. 27. et 28 excussis inter alia scripta grammaticorum recentiorum, Victorini, Prisciani, similium, liber iste reperitur inscriptus *Valerii Probi grammatici nobilissimi de regulis iuris notarum,* vel *Valerius Probus gramm. de regulis iuris;* vel etiam *Probus de notis antiquitatis Romanae.*

3) De Lucretio vide coniecturam infra §. 76.

amat aliud agens exire in laudes populi Rómani«, ubi recte Bergkius ad verba *in Probi* supplet *editione*, tum verbis *et adnotandum* etc. monet contineri Servii de Probi suspicione indicium.

X, 444. »Ergo satis licenter dictum est, adeo ut huic loco corrupto Probus *alogum* apposuerit.« Dixerat scilicet Vergilius *socii cesserunt aequore iusso*, quod Servius pro *ipsi iussi* praeter consuetudinem loquendi dictum notavit.

X, 88, de quo loco Isidorus Orig. I, 20, 18: »Aversa [dipla] cum obelo ad ea ponitur, quae ad aliquid respiciunt, ut:

Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
obiecit?"

Quam loci notationem haud mala coniectura a Probo Bergkius profectam existimat.

Dipla igitur cum obelo, ut ab hoc signo initium capiamus, Probus usus est: quod quidem signum ex notis Aristarchiis compositum, posteriorum demum usu inclaruit (v. §. 72.) et quum primitus quaeque eius pars propriam suam potestatem servaret, apud Probum iam una sola praeditum esse videtur et ea quidem, ut abiecta omni obeli potestate primitiva, quam, ut statim videbimus, alio signo notare solebat, ipsum signum rectius diplae cum paragrapho iunctae nomine appellandum sit. V. §. 72.

Praeterea commemoratur *alogus*, a propria Aristarchi notatione plane alienus, sero his signis additus, neque vulgo probatus, quandoquidem unicus hic esset locus, quo commemoraretur, nisi accederet auctoritas Isidori Orig. I, 20, 28: „*Alogus* nota [sic pro *notae* legendum] est, quae ad mendas adhibetur." A Romanis tamen eam notam inventam non esse, Graecum nomen ostendit. Quid? quod si rem obiter inspiciamus, id signis in iis deprehenditur, quibus ipse Aristarchus usus esse traditur. Nempe huius de duplici editione Homerica exstat hic locus memorabilis in Schol. Iliad. π, 613: ἐν τῇ ἑτέρᾳ τῶν Ἀριστάρχου οὐκ ἐφέρετο καθάπαξ· ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ ἄλογος αὐτῷ παρέκειτο, quo

loco Lehrsium p. 362 et Spitznerum frustra ὀβελὸς pro ἄλογος coniecisse, id quod recte iam monuit Nauckius Aristoph. Byz. p. 24, supra posita abunde docent. Nihil vero ἄλογος ad Aristarchum. Non enim huius ad mentem, sed longe posteriorum criticorum ex usu illa Scholiastae verba concepta esse, testatur ipse eius adnotationis fons, quippe in codice Victoriano servatae, qui si a Lehrsio p. 38 iis subsidiis Homericis accensetur, quibus »nullum unum verbum credendum sit«, certe eius conditionis haberi debet, ut superiorum grammaticorum reliquias quasdam mira negligentia exscriptas et more saeculi nonnumquam corruptas exhibeat. Igitur obelo, qui nominandus erat, alogus eadem vi qua ille adhibitus fuit, a novitio homine substitutus. Figuram alogi ostendit hanc ϧ Tabula notarum a Montefalconio edita Palaeogr. Gr. p. 370. Notandum denique, ho signo recepto Probum aliis, quae vel Aristarchi vel Aristarchiorum propria fuissent, carere potuisse et procul dubio caruisse, quandoquidem cuique suspicioni notandae inservire poterat.

Mature autem totam hanc notandi rationem Probianam oportet in oblivionem abiisse, quum nullum eius in antiquo Vergilii exemplo certe Laurentiano (Vaticanum inspicere haud licuit) vestigium superstes sit. Quod eo magis mirum videri debet, quod ei codici passim appictae reperiuntur notae, quae quidem non sunt Aristarchiae, hic tamen praetermitti non possunt. Atque maxima quidem earum pars ex eo genere est, quod librariorum potius quam criticorum officium spectat, ut ubi aliquid calamo currente peccatum, vel imprudenter omissum erat, corrigeretur et suppleretur, quemadmodum quum versus errore bis scriptus fuit, puncta supra posita sunt, utrinque addito signo ⊗, quod mihi quidem ex nota illa θ, qua mortem alicuius designare veteres solebant (§. 65), confictum videtur. Id factum Georg. III, 261, et mox etiam 280, cui in codice praefixus versus haud integer (scilicet librarius scribens quum errorem animadverteret, versum non absolvit)

hic demum hippomanes quod saepe malae leges,

conflatus ex vs. 280 et 282, ad quem scribentis oculi aberrarant. Tertium exstat exemplum Aen. IX, ubi post vs. 732 intruduntur falso vs. 725 et 726, eodem signo notati. Eadem potestate signum (—) legitur utrinque adscriptum Aen. XII versibus 775. 776 et 777 bis scriptis. Item VII, 582—585, male iteratis post vs. 615. Quam signi figuram quum primo non recte descriptam putarem, edoctus sum ex Volum. Herculanens. T. II, quo Philodemi versus singuli male repetiti, v. c. Col. XX, includuntur signis C Ɔ. Aliud notandi genus et omnium quidem frequentissimum, quod linea horizontali consistit, duobus versibus initio interposita, [5]) eadem vi iisdemque legibus appictum videtur, quas §. 72 de usu paragraphi praesertim in Voluminibus Herculanensibus observavimus, ita ut hoc ipso paragraphi nomine appellandum sit. Rem exempla nonnulla explanabunt. Aen. VII, 326:

iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores etc.

Vs. 353:

innectitque comas et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno etc.

Eadem distinctio ad notandum discernendumque novi enuntiati principium posita, IX, 161. 162. 246. 247, ubi orationem exorditur Aletes. 262. 263. 279:

verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis etc.

Vs. 323:

Haec ego vasta dabo et lato te limite ducam.
Sic memorat vocemque premit etc.

Vs. 353:

carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus,
(sensit enim nimia caede atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.

---

4) De variis figuris, quibus paragraphus in Latinorum scriptis ad discernenda singula enuntiata apposita reperitur, v. Pertzium ad Livianum fragmentum ab ipso primum vulgatum p. 5.

Vs. 385. 386. 403.:

suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur:
Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori.

Nolo plura. Ceterum notandum non ea librarium versatum esse in distinguendo diligentia, ut cuique loco lineae signum apponeret: immo frustra eius curae vestigia quaesiveris per integra Bucolica et Georgica et plerosque Aeneidos libros.

Propius ad critici operam accedit ea nota, binis locis margini praeter consuetudinem rubro quidem atramento adscripta, Georg. II, 458 :

O fortunatos nimium sua si bona norint

et III, 66:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit,

ubi Servius: »Ista sententia non solum ad animalia pertinet, sed generaliter ad omnia«, id quod pari iure ad priorem locum valet simulque notae adiectae caussam ostendit, simillimae figurae eius, qua Graeci critici suum σημειωτέον vel σημείωσαι exprimere soliti sunt, de quo supra. Eadem ut videtur, potestate appositum est signnm hac forma ·ʖ· Ecl. X, 69:

Omnia vincit amor; et nos cedamus amori,

Georg. III, 284:

Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus

et Aen. I, 327 de Venere:

O (quam te memorem) virgo; namque haud tibi vultus
mortalis, nec non hominem sonat; o dea, certe.

Aliud est signum ί, trinis locis repertum, potestatis, ut opinor, vere criticae, si quid ex Servii adnotatione ad Aen. XI, 666 concludere fas est:

Eunaeum Clytio primum patre, cuius apertum,

ubi ille: »Quia Latina est declinatio, ideo non accipit accentum. Nam Statius, quia Graece declinavit, Graecum accentum posuit dicens; *Nunc Euneon audit Ante Thoas.*«

Haec doctam manum redolent, vetere adnotatore digna, qui quod praeter morem poetarum dictum videretur, designandum certe censeret, si Aristarchio modo agendum esset, dipla. Secundus locus est vs. 484:

frange manu telum Phrygii praedonis, et ipsum,

ubi Servius »Aut tua manu, aut in eius manu tela confringe.« Dubium igitur poeta reliquisse putabatur, quo sensu *manu* scripsisset: quod antiquorum de more sane nota dignum videri debuit. Tertio denique loco vs. 336:

Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,

obscurum quidem qua de caussa signum adiectum sit: fortasse tamen ut retrospiceretur ad vs. 122:

Tum senior semperque odiis et crimine Drances
infensus iuveni Turno;

cuius antiquae adnotationis aliquid servatum esse potest in his Servii ad locum priorem: »Videlicet quia supra apud Aeneam egerat.« Postremo commemorandum signum, hunc fere in modum pictum ʃ (nam obscurior est typi forma in exemplo quo utor), his locis repertum: Aen. V, 426:

Constitit in digitos exemplo adrectus uterque,

ubi offendere potuit insolentior dictio *in digitos adrectus.* Nam aliorsum spectant Servii verba quae ad *constitit* pertinent: »Hic distinguendum propter vitium, ut sit *arrectus in digitum.*« Scilicet verbo *distinguendi* grammaticorum ad consuetudinem usus, qua de interpunctione dicitur, [5]) censuit post *constitit* interpungendum esse, ne iungeretur cum seq. *in digitos,* quod potius ad *arrectus* trahendum esset. Similis offensionis exemplum est Georg. I, 259:

Frigidus agricolam si quando continet imber,

ubi Servius »Non generaliter frigidus, sed quando frigidus fuerit.« Incertae rationis tertius locus est Aen. XI, 508:

O decus Italiae virgo, quas dicere gratis;

nam nolo aliquid tribuere Servio docenti *quas* pro *quantas*

---

5) V. Bergk. l. l. p. 122, collatis locis Suetonii et Frontonis, quos idem apposuit p. 119 et 120. Ian ad Macrob. T. I. p. XLVI.

hic positum esse. Item locus quartus (plures non deprehendi) Aen. V, 709:

Nate dea, quo fata trahuut retrahuntque sequamur,

nisi dicamus notatum ob sententiam communem, cuius generis notationem infra in Lucano producemus. Incertae denique rationis sunt quae praeterea semel quidem reperiuntur signa $\overset{\prime}{\dot{\mathrm{V}}}$ et $\overset{c}{\mathrm{N}}$ (vel $\overset{e}{\mathrm{N}}$), quorum hoc praescriptum est Georg. I, 482:

fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes,

nisi forte adnotatori insolentem in voce *fluviorum* synizesin designare visum est; vel quod *rex*, cui voci subscripta est lineola, *fluviorum* Eridanus paulo arrogantius dictum existimatum est, quo ipsa Servii adnotatio spectat: »Padum dicit. *Fluviorum* autem *rex*, per Italiam; aut certe per totum orbem, secundum quod dicit Lucanus etc.« Illud Aen. V, 489:

quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto,

ubi nolo huc referre quod Servius adnotavit, *quo* pro *in quam* dictum esse.

Revertor ad Probum, cuius notatio merito quaesitum est an una cum adnotatione, licet pro more critici huius brevissima coniuncta fuerit. Quod factum videri recte Bergkius affirmavit his p. 122: »anders verhält es sich dagegen mit den Ausgaben des Probus, hier waren wohl überall zur Begründung und Erörterung wenn auch meist kurze Anmerkungen beigefügt und die Excerpte bei Servius u. A. erhalten erst jetzt durch das Anecdoton ihr rechtes Verständniss, fast sämmtliche Anführungen lassen sich sofort auf diese Noten zurückführen,« quibus idem p. 123 subiungit, omnia quae Probi nomine a Servio laudentur, Valerio huic Probo adsignanda esse. Postrema, iam occupata et docte tractata a Lerschio Z. f. d. Alterth. p. 111, qui unum certe locum, qui Valerio recte tribui nequeat, exemit, alterioris sunt indaginis, quam ut hic absolvi possint: haec ut nunc in medio relinquo, vita si suppetit, alio tempore resumenda, ita probo quae de adnotandi ratione Probiana post Lerschium idem sentientem p. 113 Bergkius statuit.

Addamus, rem mirifice comprobari Scholiis in Vergilium Veronensibus, quibus ubi Probi nomen reperiatur, Valerium intelligendum esse, olim monueram Beitr. T. II. p. 269. Quorum locorum, quum Bergkius in censuram non vocarit, age rationes exponamus. Numerantur loci tres.

Aen. II, 173: „*salsusque per artus Sudor ii*] Hoc epitheton demonstrativum, quo totius corporis sucus etiam gustu potuerit agnosci: *salsus nam*que laborando manat de corpore sudor. Probus malo epitheto putat usum poetam, critici vero naturalia *epitheta a poetis* nusquam inhoneste putant locari.“ Servius, postquam cur *salsus* sudor recte dictus sit exploravit, addit: »Probo sane displicet *salsus sudor,* et supervacue positum videtur. Hoc autem Ennius de Lamis [leg. *Lamiis*] dixit.« Haec quidem Probi offensio poterat sane nudo signo declarari: id vero fieri non potuit locis sequentibus.

IX, 369: »*ibant*] ... Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse *sepsit se tectis rerumque reliquit habenas,*« VII, 600. Tum vs. 373: »*sublustri*] ... Probus hic posuit aptis*simum hoc* exemplum ex Horatio: *Nocte sublustri nihil astra praeter vidit et undas,*« Od. III, 27, 31, quem Horatii locum sublegit Probo Servius. Hoc tamen loco quaeri potest, an adnotationi etiam notatio adiecta fuerit.

Hactenus de Probo: de quo lubuit succinctius exponere, quia totus hic locus cum quaestione ampliore, qui est de Probis grammaticis, artissime coniunctus est, olim a me instituta, post varia tot virorum studia aliquando a me retractanda.

§. 76.

De ceteris Latinis adnotatoribus.

Praeter Val. Probum de aliis grammaticis qui illius ad modum notandis scriptoribus Latinis operam dedissent certi nihil ad nostram notitiam perlatum est: nam mitto commentariorum vel similium lucubrationum auctores, quoniam an una ii etiam signorum criticorum adminiculo usi sint non

constat, nisi forte huc referre licet Sulpicium illum, quem loco Servii §. praecedenti exscripto iuxta Probum in eadem notandi opera laudari vidimus. Sed ne constat quidem quis ille Vergilii interpres Sulpicius fuerit. Haud mala vero est Bergkii p. 109 coniectura de grammatico Curtio Nicia, Ciceronis aequali, de quo haec leguntur Ep. ad fam. IX, 10: *nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum et Vidium iudicem esse. Profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciae: alter Aristarchus hos* ὀβελίζει. *Ego tamquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint* τοῦ ποιητοῦ *an* παρεμβεβλημένοι. Cuius loci acumen sanequam augetur, si cum Bergkio sumamus, Niciam in commentandi arte, quam professus est, notatione Aristarchia usum esse: id quod facile concederetur, si demonstrari posset, cum hoc Curtio Nicia eundem esse criticum illum Homericum, qui Niciae nomine nudo passim in Scholiis Iliadis memoratur. Sed quominus Bergkii in sententiam per se valde speciosam eamus plura dissuadent argumenta. Nam tametsi criticos Romanos illo genere notarum usos esse nunc quidem constat, tamen Nicias in iis, qui id adhibuissent, in libello Par. non solum non memoratur, sed Lucilii, cui soli illustrando Niciam operam suam impendisse tradit Suetonius de ill. Gr. 14, alius quisquis fuerit adnotator, de quo modo vidimus, nominatur: tum scribentem ista Ciceronem Graecorum, non Romanorum morem in mente habuisse, prodit quum ipsa loci ratio, tum verba *tamquam criticus antiquus*, quae si meminerimus, quibus temporibus Ennius Aeliusque grammatici probabili de sententia vixerint, non possunt ad consuetudines Romanas referri. At aliud, nisi fallor, ex loco Tulliano lucramur, quod obiter tangam, sales, quibus Cicero litem Niciam inter et Vidium exortam perfricat, videri paene inficetos, nisi Vidius, homo ceteroquin ignotus, eidem professioni cui Nicias pariter adscriptus fuerit; ac vix Cicero Niciae expensum *versiculis*, qui ad Vidium spectant, contentum dixisset, nisi et Vidius grammaticus fuisset. — Haud certior notationis Romanae significatio apud

Cic. in Pis. 30, 37, cuius verba attulisse sufficiet: *Verumtamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarin grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare, scire cupio quid tandem isto in versu reprehendas, „cedant arma togae.“*

§. 77.

De Lucani Pharsalia notata.

Scriptorum Latinorum antiquorum praeter eos, qui adhuc commemorati sunt, novi ego quidem nullum quem criticorum, nedum Aristarchi ad modum, sive testimonio veterum sive sparsis per codices scriptos vestigiis appareat notatum fuisse, nisi Lucanum: cuius Pharsaliam quum constet glossis vel commentariis antiquo tempore illustratam esse, [1]) horum simul reliquias quasdam in scholiorum, quae etiam nunc exstant, farragine servari, merito putatur. Hoc ut verum sit, Weberi, quem v. p. IV, de sententia, licet ipsa scholia satis recenti tempore conscripta sint, atque qui commentatorum superstitum antiquissimus omnium putatur Vacca, homo ceteroquin ignotus, non ante saeculum sextum, ut constituit Weberus p. V, vixerit, [2]) tamen quos nunc novimus Lucani commentatores, ii in adnotando poeta potius interpretis, quam critici partes sustinere studuerunt, notationis criticae antiquae, si quam traditam norint, osores. Sed ne constat quidem, Pharsalia Aristarchio, sive etiam Probiano modo an umquam notata fuerit. [3])

1) V. Weberi Praef. ad Scholia Lucani p. III. Comm. de Senecae scriptis deperditis III. p. 18, et, quantum ad Polemonem commemoratum, Weberum p. XIX.

2) Huius commentarii exemplum in bibl. monasterii Corbeiensis olim servatum fuit, teste Breviario codicum monasterii S. Nazarii in Laurissa, in Maii Spicil. T. V. p. 212.

3) Quum in Anecdoto Parisino p. 85 Probum *Virgilio et Horatio et Lucretio* notas apposuisse tradi animadverterem, erat quum insolenti nominum ordine offensus suspicarer, non integrum esse nomen Lucretii, immo vero cum Lucani commutandum esse. Sed nolui abuti coniecturis.

Recentioris tamen cuiuscumque notationis criticae indicia certa in codicibus quibusdam servata sunt, eo minus spernenda, quo ea signorum adminiculo diligentius expressa est insuperque more fere antiquo in designandis versibus spuriis vel suspectis ex parte versatur. Quantum vero harum notarum, quarum observationem laudabili industriae cummaxime Weberi debemus (Diss. de spuriis et male suspectis Lucani versibus p. 436. sq.) pervestigare licuit, singulatim age enarremus.

1) ⁜ IX, 499. sq. in cod. Lipsiensi c appositum ad vitiosam horum versuum iterationem ex vss. 604. sq. ut Weberus ostendit p. 435, significandam.

2) *lineola subducta* ad versum indicandum spurium, cuius exemplum Weberus profert V, 321:

si non feminei vultus linguaeque tumultus,

ab interpolatore, ut similis verborum exitus *vultus* et *tumultus* ostendit, v. Web. p. 436, satis recenti insertum; vel ad notandam sententiam communem, qualis est versus X, 407:

nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,

prorsus ad eundem modum, quem in Mediceo Vergilio observavimus.

3) ⊖ ad suspicionem designandam, quod signum cod. Lips. a Weberus p. 437 adscriptum observavit VII, 715:

obvia cui laeto promittunt munera flentes,

qui versus, iudice Webero, genuinus quidem, sed salvo sensu abesse possit. Convenit igitur fere cum ea nota, quam ad delendos versus Mediceus Vergilii librarius usus est. Aliam similem Weberus significationem his notavit: »Signum illud locum versus, in inferiori margine scripti, ut in Lips. c. IX, 319—21, indicat, neglecti a librario, quia sensus sine eo constabat.«

4) ÷ ÷ adscriptum in Lips. a IX, 73 et 74:

nunc tamen hic longe qui fulget luce maligna

ignis, adhuc aliquid Phario de litore surgens

»suspicionem, ut ait Weberus p. 438, interpolationis movet, praesertim quum prior versus ab uno Ms. Cortii absit, et

salvo sensu abesse possit. Hoc ipsum tamen negligentiae librarii in transcribendo Cod. ansam praebuit, ita ut signa illa ex eadem ratione, quam paulo ante VII, 715 animadvertimus, orta videantur, neque versus interpolatos notent, quos sententia, singula verba et nexus cum reliquis defendunt.« Ut qualis offensio fuerit, in medio relinquamus, certum est signo illo exprimi lemniscum, quem quum ab Origene primum adhibitum sciamus (v. §. 71), simul apparet, quod ex ipsa re et ceterarum notarum figura et ratione colligitur, totam hanc notandi rationem in Lucano adhibitam cum antiquo Aristarchio genere nihil commune habere, sed ut ipsae signorum formae recentioris aetatis sunt, ita etiam usum eorum talem esse, qualem qui fando aliquid de vetere notandi ratione accepissent, exercerent, critici munere non tam antiquo more fungentes, quam librariorum potius ad modum de exemplo Lucani iusto exhibendo solliciti. Ac rara sunt omnino alicuius criseos in scholiis vario modo neque ubique nunc plane ob oculos posito notatae exempla, de quibus v. Weberum p. 430. sq.

§. 78.

De variis Iliadis exemplaribus antiquis.

Ventum est in horum commentariorum decursu ad argumenti partem alteram, sive ad Anecdoti Rom. caput III, in quo explicando rerum tractatarum tum obscuritate tum novitate mirifice impedimur. Agitur de antiqua quadam Iliade, quae, si verba scriptoris urgeamus, ut cetera omnia quae obscurius dicta sunt mittamus, ipsa qualis existimanda sit in utramque partem disputari potest. Nam quum quae ex hac Iliade referuntur, ab ea quam Homeri nomine ad nos perlata est, prorsus dissideant, nonnemo ita secum statuere possit, antiquam hanc Iliadem ab Homerica utique diversam carminibus epicis iis vetustissimis assignandam esse, quibus res Iliacae enarratae essent. Sed ita quo minus statuamus multis rationibus prohibemur. Quum enim quae hoc capite perscribuntur, non possint non aliquo necessitudinis vinculo

cum praecedentibus, quae unice in Iliade vulgari occupantur, nexa putari, de Homerico opere illa si accipi auctor noluisset, id diserte adnotare debuisset; id vero non solum non factum est, sed quae initio posuit, ἡ δὲ δοκοῦσα ἀρχαῖα Ἰλιάς, λεγομένη δὲ ἀφ' Ἑλικῶνος, [1]) contrariam ea senteutiam suadere videntur. Primum enim verba δοκοῦσα ἀρχαῖα eo consilio adiecta sunt, ut solius antiquitatis nomine distingueretur haec Ilias ab aliis eiusdem carminis exemplaribus: tum illa quae dicatur ut intelligatur, nomen quo in vulgus nota esset, ἡ ἀφ' Ἑλικῶνος, consulto appositum est. Haec si recte habent, non aliud quodcunque epicum carmen antiquum de rebus Iliacis scriptum intelligitur, sed Homericae Iliadis editio antiqua, quae quidem antiquissima putaretur ceterarum omnium, quae antiquitas nosset: [2]) quales fuerunt ab civitatium, quarum auctoritate vel auspiciis promulgatae essent, nominibus, vel quod mavult Düntzerus p. 40, [3]) quod ex urbibus emptae Alexandriam venissent, appellatae, Chia, a Cinaethone Chio, ni fallor, auctore

1) In contextu aut Ἐλικῶνος, quod ex Cod. enotavi, erat retinendum, aut ἀφ' corrigendum.

2) V. Düntzerum De Zenodoto p. 39. sq. Recensum locorum, quibus in Schol. Ven. variae Iliadis recensiones laudantur, exhibuit Beccardus Diss. de Schol. Iliad. Ven. p. 47. sq.

3) Nititur notissimo illo Galeni loco in Hippocr. Epid. III. Comment. II. T. V. p. 412. (T. XVII, 1. p. 506. Kühn), qui si recte explicatur, longe aliud suadet: καὶ φιλότιμον περὶ βιβλία τόν τε βασιλέα τῆς Αἰγύπτου Πτολεμαῖον οὕτω γενέσθαι φασιν, ὡς καὶ τῶν καταπλεόντων ἁπάντων τὰ βιβλία κελεῦσαι πρὸς αὐτὸν κομίζεσθαι καὶ ταῦτα εἰς καινοὺς χάρτας γράφοντα διδόναι μὲν τὰ γραφέντα τοῖς δεσπόταις, ὧν καταπλευσάντων ἐκομίσθησαν αἱ βίβλοι πρὸς αὐτόν, εἰς δὲ τὰς βιβλιοθήκας ἀποτίθεσθαι τὰ κομισθέντα καὶ εἶναι τὰς ἐπιγραφὰς αὐτοῖς τῶν ἐκ πλοίων. Ex his postremis verbis contra colligitur istis exemplaribus nomen inditum fuisse advectorum navibus, atque hanc esse Galeni mentem, ex ceteris quae praecedunt perspicitur, quibus τῶν καταπλεόντων mentio iteratur. Praeterea loquitur Galenus non de Homeri scriptis peculiariter, sed de omnibus quibusvis, quibus undecumque corradendis Ptolemaeus operam dedisset.

confecta, [4]) Massiliotica, Cypria, Cretensis, Sinopica, Argolica, quae nonnumquam generali politicarum nomine laudantur [5]); tum quae passim κατ' ἄνδρα nominantur, ut quae singulorum virorum studio et labore vel etiam iussu concinnatae essent, diorthoses Zenodoti, Rhiani, Sosigenis, Philemonis, Aristophanis Byz. [6]), Aristarchi, Antimachi [7]), Arati, Aristotelis, quibus editionibus addendae quae vel κοιναὶ vel δημώδεις appellari solitae sunt. [8]) Addamus quas in iis, quas Didymus adhibuisset, commemoravit Lehrsius Stud. Aristarch. p. 29. sq., τὴν πολύστιχον, cuius appellationem explicat Düntzerus p. 41, Philetae, Callistrati, [9]) Aeolicam, denique cyclicam. Ex novitiis adiiciamus exempla Appellicontis Teii et Tyrannionis, de quibus disseruit Villois. Prol. p. XXXV. Atque diorthoseon Homericarum iam Aristoteles mentionem fecerat, [10]) atque Timonis philosophi aetate, teste Diogene Laert. IX. p. 600. ed. Menag., de Homeri ἀρχαίοις καὶ μὴ ἤδη διωρθωμένοις ἀντιγράφοις sermo fuit; tum ut mittam

---

4) V. Villois. Prol. Hom. p. XXXV.

5) V. Villois. l. l. p. XXVI. Wolf. Proleg. p. CLXXV.

6) Utrum semel an bis Homerum Aristophanes ediderit, incertum. V. Villois. l. l. p. XXIII. Item an recte fecerint idem et Wolfius, quum in Scholii Ven. Iliad. ι, 73 verbis: οὕτως ἔχει ἡ τοῦ Ἀντιφάνους παράδοσις Aristophanis nomen reponendum suaderent. Hoc certe modo Aristophanis diorthosin alibi non memini laudari. Grammaticus mihi quidem videtur significari Aristophane antiquior.

7) Cf. Stoll. Antimach. p. 15. sq.

8) De Homeri exemplis, quae hactenus commemoravi, pluribus exposuit Villois. l. l. p. XXIII. sq., quem etiam in laudando Aristotele sequuti sumus disserentem p. XXV, paene inviti: quamquam eam, quae de Stagirita fertur, famam Wolfius Prol. p. CLXXIV. sq. deprecari non ausus est.

9) Cratetem Lehrsius addit non recte, siquidem hunc editionem contextus exhibuisse demonstrari nequit.

10) Sophist. elench. 3, 4. p. 166. Bekk. Παρὰ δὲ τὴν προσῳδίαν ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς οὐ ῥάδιον ποιῆσαι λόγον, ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις καὶ ποιήμασι μᾶλλον, οἷον καὶ τὸν Ὅμηρον ἔνιοι διορθοῦν-

antiquos illos criticos Homericos, veluti Theagenem, Stesimbrotum, de quibus disseruit Villoisonus Prol. p. XXV, vel Autodorum Cumaeum, quem tetigimus §. 34, si non Euripides poeta tragicus ipse, ex fratre certe filius Homerum recensuisse traditur. [11]) Verbo denique commemoranda sunt studia hominum litteratorum Alexandrinis anteriorum, qui quum pueris Graecorum in legendo, intelligendoque poeta

ται πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας ὡς ἀτόπως εἰρηκότα „τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ", λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ, λέγοντες τὸ οὔ ὀξύτερον. Homericus locus est Il. ψ, 328, ubi nihil prorsus adiiciunt Schol. A, neque alius quisquam adnotator Homericus eius quaestionis mentionem ullam fecit. Haec igitur in antiquissimis Homericarum lucubrationum exemplis recensenda est, ab Alexandrinis ignorata, cum aliis eius generis, quale est illud apud eundem Aristotelem Poet. 26, 16 (ubi et alia eius generis specimina laudantur) de verbis εἶδος μὲν ἔην κακός Iliad. κ, 316. Priore vero, quot attulit, exemplo Aristoteles in mente habuit Hippiam Thasium, ut vulgo appellatur, ipse testans Poet. 26, 15: κατὰ δὲ προσῳδίαν, ὥσπερ Ἱππίας ὁ Θάσιος, τὸ δίδομεν δέ οἱ καί, τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ. Ceterum quamvis vulgatam lectionem mendosam Θάσιος cum Alexandro Aphrod. etiam auctor Paraphr. Aristot. Sophist. elench. a Spengelio editus p. 45 tueatur, unde nihil aliud quam vitii inveterati antiquitas consequi videtur, coniecturae meae Ἠλεῖος in Mus. Rhen. nov. II, 4. p. 510 propositae, quam sibi displicere verbo monuit Bergkius f. d. Alterth. 1847. p. 36, adhuc me non piguit: neque serio quid ei obmoveri possit video.

11) V. Boeckh. Trag. Gr. princ. p. 236. Quisquis eius recensionis auctor fuerit, de Euripide aliquo satis antiquo Homeri recensitore noli dubitare. Nam ea de re scribens Wolfius Prol. p. CLXXXV non accurate scripsit, exemplaris Euripidei mentionem neque eam admodum accuratam apud unum Suidam exstare. Oblitus etiam Boeckhius est Eustathii ad Iliad. β, 865, qui postquam Μασσαλιωτικὴν ἔκδοσιν memoravit, ita pergit: ἡ δὲ κατ' Εὐριπίδην μετὰ τὸν τρίτον στίχον, οὗ ἀρχὴ τὸ „οἳ καὶ Μήονας ἦγον" γράφει τέταρτον τοῦτον κατὰ σχῆμα ἐπαναλήψεως „Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι, Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ", οὗ δὴ στίχου καὶ ὁ γεωγράφος μνησθεὶς

instituendis vacarint, tum scriptis singulos locos tractare tentarunt, de quibus disseruit Lehrs Stud. Aristarch. p. 43. sq.

§. 79.

De nomine Iliadis ἀφ' Ἑλικῶνος appellatae.

In hac igitur Homericorum, quorum suo quidque nomine vel ab auctore, vel a loco vel a re quapiam singulari ducto antiquitus celebraretur, exemplarium copia merito mirandum est, haec inter eius Iliadis, quae ἀφ' Ἑλικῶνος appellata dicitur, mentionem fieri nullam: cuius rei, nisi casui tribuendum est, caussam ego quidem haud video aliam, quam quod, ut antiqua illa diorthosis Euripidis per sola Suidae et Eustathii testimonia ad nostram cognitionem perlata, ab Alexandrinis ob vetustatem neglecta esse videtur, ita etiam illa in obsoletis Homeri exemplis habita, oblivioni tradita fuit. Itaque de fortuna benigna, qua illius memoria servata est, quum magnopere nobis gratulandum sit, quae et qualis ea fuerit quaerenti ipsa eius appellatio primo sese offert, in quam illustrandam ante omnia incumbendum est. Neque in origine eius investiganda longius discedendum, quum huius Iliadis ipsum initium appellationis caussam aperte, ut opinor, prodat. Duplex quidem novimus secundum testium variorum auctoritatem eiusdem Iliadis initium, sive prooemium, in eo tamen conveniens, quod in utroque Musae invocantur,

---

φησιν, ὡς οὐδεμία εὑρίσκεται Ὕδη ἐν τοῖς Λυδοῖς, de quo versu aliunde ex ω, 385 adscito v. Heynii Obs T. IV. p. 433. Ceterum nihil horum, quae Eustathius refert, in Scholiis: unde aestimari potest, in hac eruditionis antiquae copia, quam praestat Scholiorum inprimis Venetorum corpus, quantum eorum amissum sit, quae antiquitus ad crisin Homericam excogitata et Eustathii etiamtum aetate in promptu fuerint, Editionis ab Euripide procuratae quum aliud ullum testimonium nusquam investigare contigerit, eius memoriam Eustathius cui acceptam retulerit, operae pretium videretur perquirere. Ac vellem tandem aliquis in se susciperet munus, fontes, quibus Eustathius in conscribendis commentariis suis usus sit, rimandi.

Μούσας ἀείδω καὶ Ἀπόλλωνα κλυτότοξον,

et

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,

more utique prisco, quo quemadmodum omnia a Iove orta putabant, ita tamen eorum quae ad musicam et praesertim cantum pertinerent, originem Musis attribuebant harumque auxilium carmen poetae exorsuri implorabant, Iovis mentione aliquo modo una saepissime facta. Cuius moris, ut Homerum omittamus, cuius de usu mox dicam, antiquissimum exemplum Hesiodus praestat Operum et D. prooemii initio:

Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι,
δεῦτε δή, ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι.

Antimachus, Thebaidis, ut recte putatur, initio, Eustathio et Scholiastis Iliad. α, 1, de toto hac Musas invocandi consuetudine consulendis, laudatus:

Ἐννέπετε Κρονίδαο Διὸς μεγάλοιο θύγατρες.

Aratus Phaen. 15:

Χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
αὐτὸς καὶ προτέρη γενέη. Χαίροιτε δὲ Μοῦσαι,
μειλιχίαι μάλα πᾶσαι· ἐμοίγε μὲν, ἀστέρας εἰπεῖν,
ᾗ θέμις, εὐχομένῳ, τεκμήρατε πᾶσαν ἀοιδήν.

Quid? quod suam de deorum ortu et natura notitiam, immo omnem sapientiam Hesiodus exordio Theogoniae a Musis acceptam, eamque ab iisdem iussus decantasse se profitetur: quam traditionem posteriores poetae susceperunt varioque modo exornarunt, veluti Alcaeus Anthol. Pal. T. I. p. 322. No. 55.

γάλακτι δὲ ποιμένες αἰγῶν
ἔῤῥαναν, ξανθῷ μιξάμενοι μέλιτι·
τοίην γὰρ καὶ γῆρυν ἀπέπνεεν, ἐννέα Μουσέων
ὁ πρέσβυς καθαρῶν γευσάμενος λιβάδων.

Cf. Cosmas in Maii Spicil. T. II. p. 301. Quinimmo, vera si est Braunii explicatio sarcophagi nunc Parisiensis, hoc ipsum argumentum artifices quoque suum fecerunt, v. Bull. archeol. 1849. p. 81. sq. Iam igitur quum haec poëtarum

consuetudo in exemplo Iliadis eo, cuius memoriam Anecdotum Rom. ab interitu vindicavit, servata a grammaticis deprehendebatur, ab hac ipsa in ceteris exemplis desiderata Musarum invocatione proclive erat nomen invenire, quo a vulgatis exemplaribus distinguerent: quod ita instituerunt, ut non ipsarum, sed sedis, quam in primis tenere credebantur, Ἑλικῶνος, appellatione eam in rem usi sint, applicantes se epitheto Musarum inde petito, quo nullum clarius, nullum celebratius fuit. V. quae ad illud Persii *Heliconidasque* Passovius docte adnotavit p. 211. sq. Nullum denique antiquius. V. Heinr. ad Hesiod. Scut. 206. Adde quod illa appellatio ipso loquendi usu iuvabatur, quo phrasi ἐν Ἑλικῶνι ipsum Musarum habitaculum, h. e. nemus illud Musis in Helicone sacratum intelligebatur, ut ostendit Urlichsius Ann. dell' inst. arch. T. XX. p. 25, τὸ Μουσεῖον adeo inde dictum, teste Amphione Thespiensi: 1) ex qua tamen appellatione Homeri editionem, τὴν ἐκ Μουσείου

---

1) Athen. XIV. p. 629. A. Affert vetus epigramma hoc:

Ἀμφότερ', ὠρχεύμαν τε καὶ ἐν Μώσαις ἐδίδασκον
ἄνδρας. ὁ δ' αὐλητὰς ἦν Ἄνακος Φιαλεύς·
ηὔλει δὲ Βακχείδης Σικυώνιος. ἦ ρα θεοῖσι
τοῖς Σικυῶνι καλόν τοῦτ' ἀπέκειτο γέρας.

In hoc contextu, quem ex Dindorfii ed. descripsi, mihi quidem obscurum, quo modo ἄνδρας sese tueri possit, comparatum cum his quae Athenaeus praemissit et quorum gratia totum epigramma affertur: Ἀμφίων . . . ἄγεσθαί φησιν ἐν Ἑλικῶνι παίδων ὀρχήσεις μετὰ σπονδῆς, παρατιθέμενος ἀρχαῖον ἐπίγραμμα τόδε. Aut hic ἀνδρῶν, aut illic παῖδας reponendum. Tum dii isti Sicyonii, quibus titulus dedicatur, qui sint velim doceri: Musae si intelliguntur, ut par est, haec certe in cultu Sicyoniorum sacro res nova, neque apte, ubi de Heliconiis sacris sermo est, commemorata. Itaque suspisio me subiit, ne Σικυῶνι male huc ex praecedentis versus Σικυώνιος translatum sit pro Ἑλικῶνι, uti legendum arbitror. Atque Musas revera intelligi, quae, hoc si recte habet, vix aliae quam Heliconiae dici potuerunt, ostendit vera loci lectio adhuc in codicibus obscurata. Pro τοῖς enim, quod Porsono debetur, Venetus ταῖ, Palatinus ταῖσι, hic una littera abundans, ille una egens: scilicet legendum ταῖς. Quae enim essent in Helicone αἱ θεοί, neminem latebat.

dictam, quam a Musarum sacello cum schola Alexandrina coniuncto appellatam suspicatur Lehrsius Stud. Aristarch. p. 30, cave concludas cum Heliconia eandem fuisse, a qua longe diversa fuit. Tum quod cum Musis poeta una Apollinem invocat, il haud minus cum re congruit, quum constet, Heliconem montem huic deo sacrum fuisse. Quocirca utrisque, quibus σύνδικον κτέανον phorminx est, ut Pindarus ait Pyth. I, 1, iunctis libatur, vel illo versu nescio cuius poetae testante, qui exempli loco affertur in Anecdoto Ambrosiano apud Keil Anal. gramm p. 6: σπένδωμεν ταῖς Μνάμας παισὶν Μούσαις καὶ τῷ Λάτους υἱέι.

§. 80.

De prooemiis Homericis.

Declarato, utcunque potuit, editionis nomine, ad illustrandam eius rationem singularem repetendum, quod supra posui, primariam differentiam huius editionis in prooemii diversitate consistere, in qua enucleanda operam iam meam collocabo. Atque quod primum animadvertendum est, non debet mirum videri, quod diversis prooemiis, quorum nunc iam tria novimus, Ilias instructa deprehenditur: quorum tantum abest ut hoc vel illud grammatici alicuius ingenio deberi possit, id quod, ut exemplum afferam, in Arati Phaenomenis factum, cuius carminis plura olim exstitisse exordia docemur ab auctore Vitae Aratiae a Buhlio editae T. II. p. 437, ut tria illa iis temporibus orta dicamus, quibus carminum epicorum recitatio in publico fieri solita esset. Etenim ut quod nunc Iliadi praefigitur prooemium Alexandrinae certe scholae tempora longe anteisse constat, [1]) ita

2) Seriorem aetatem haud aliud Iliadis principium quam vulgatum novisse, ostendunt quae ex eo ipso ineptae grammaticorum sedulitati placuit concludere. Seneca Epist. 88: „Appion grammaticus, qui sub C. Caesare tota circumlatus est Graecia et in nomen Homeri ab omnibus civitatibus adoptatus, aiebat Homerum utraque materia consummata, et Odyssea et Iliade, principium adiecisse operi suo, quo bellum Troianum complexus

idem non poteris non statuere de ambobus, quae nunc accesserunt, quorum id quod Nicanoris et Cratetis auctoritate firmatur, ab argumento, quod in vulgato perscribitur, prorsus discedit. Itaque delabimur ad rhapsodorum aetates, quibus partes quasdam singulas Homericorum carminum recitaturis pro more saeculi dei deorumve invocatio praemittenda fuit, qua simul ad ipsum carminis recitandi argumentum praeludendo viam aperirent. Quam vim prooemiorum Quintiliano nemo melius illustravit, de ipsis Homericis ita disserente X, I, 48: *Age vero, non utriusque operis ingressus in paucissimis versibus legem prooemiorum, non dico, servavit, sed constituit? Nam benevolum auditorem invocatione dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et docilem summa celeriter comprehensa facit.* Neque abludunt quae idem de prooemiorum genere iudiciali adnotat IV, I, 63. Itaque dubium esse non potest, quin plura olim neque ad solum Iliadis initium, sed ad alias singulas eius partes, quae seorsim tractari solerent, scripta prooemia exstiterint, quae, a rhapsodis inventa, quum ex illis partibus corpus unum confectum esset, oblivioni eo celerius tradi debuerunt, quo rarior cum ipso recitandi more evanescente usus eorum fieret. Fieri autem non potuit quin antiquae illius consuetudinis vestigia nonnulla in composito Iliadis corpore retinerentur, tum quod in exordio novi argumenti auxilium

---

est. Huius rei argumentum afferebat, quod duas litteras in primo versu posuisset ex industria librorum suorum numerum continentes." Scilicet M et H iunctae exhibent numerum XXXXVIII, quot libris utrumque carmen constat. Neque Alexandrinorum criticorum quemquam aliud principium Iliadis novisse, variae illae quaestiones a scholiastis ad ipsum initium relatae docent, quibus cur poeta ἀπὸ τῆς μήνιδος principium sumpsisset, explicare studerent. Omnis vero ea de principii conditione quaestio quanti olim aestimata fuerit, ostendit Lucianus Ver. hist. II, 20, ubi post alias quaestiones Homericas irrisas Homerus ipse interrogatus, τί δή ποτε ἀπὸ τῆς μήνιδος τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο, respondisse narratur: οὕτως ἐπελθεῖν αὐτῷ μηδὲν ἐπιτηδεύσαντι.

deorum apte invocari, tum quod ipsa invocatio a tenore subsequentium separari ubique non posse videretur. Horum vestigiorum reliquias pervestiganti mihi exordiendum est ab eo prooemio, quod legitur β, 484, quodque quum navium catalogo praefixum sit, quo dudum intellectum est singulare quoddam comprehendi carmen, inprimis ad naturam hanc prooemiorum istius generis declarandam inservire potest. Atque initium id ab eodem versu capit quo Ilias ἡ ἀφ' Ἑλικῶνος exorsa dicitur: illic quum pro verbis Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι Zenodotus substituisse traditur Ὀλυμπιάδες βαθύκολποι, in his non Homerum, quem istud epitheton neque Graecis mulieribus, nedum Musis umquam adsignasse Aristarchus, ut opinor, in Scholiis A. contendit, sed recentiores poetas, veluti Pindarum Pyth. I, 12, sequutus videtur. Cf. Lehrs Aristarch. p. 119.

Haud minus manifestum eiusdem conditionis exemplum praebet certaminis, quod cum Agamemnone iniit Iphidamas, huiusque mortis et sepulturae enarratio λ, 218—263, ab eodem versu incipiens, atque certis ita suis finibus circumscripta, ut non possit non pro singulari carmine haberi. Eiusdem conditionis sunt alii duo Iliadis loci, eandem Musarum invocationem in fronte gerentes, ξ, 508 et π, 112; fortasse his etiam plures, quos perquirere nihil hic attinet. In Odyssea tamen, quod notabile videtur, nullum eius versus exemplum deprehendi. Ceterum mirifice convenit hoc prooemiorum genus cum ea hymnorum epicorum classe, quae proprium prooemii nomen accepit, si non consilio, certe eo quod in eandem fere formam composita est, simillima, veluti Hymnus in Dioscuros Homericus XXXIII. Herm. cuius initium:

Ἀμφὶ Διὸς κούρους Ἑλικώνιδες ἔσπετε Μοῦσαι,
Τυνδαρίδας, Λήδης καλλισφύρου ἀγλαὰ τέκνα,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ ἀμώμητον Πολυδεύκεα,

ubi non dubitavi Heringae et Ruhnkenii coniecturam Ἑλικωνίδες pro vulg. ἑλικώπιδες suscipere, etiam Passovio comprobatam et defensam ad Persium p. 212.

Prooemiorum vero eiusdem generis, quod in Iliade observavimus, vestigia carmina Hesiodia ostendunt, in quibus inprimis referendum quod Operibus et Diebus vulgo praeponitur: quod quum iam in codice omissum Praxiphanes, Theophrasti discipulus, Tzetza teste, animadvertisset, Aristarchus posthac quum adiectum repperisset, cum aliis criticis obelo notavit. Atque ignorabant etiam alia operis exempla, de quibus v. interp. ad versum primum. Neque tamen illud novitiae originis est, sed satis antiquae, quippe profectum a rhapsodo aliquo, carmini ipsi eo prooemio praelusuro, auspiciis pariter a Musis captis:

Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι,
δεῦτε δή, ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι·
ὅν τε διὰ βροτοὶ ἄνδρες etc.

Probarem Goettlingii rationem, priores novem versus ex hymno in Iovem male huc translatos hisque ineptissimum versum decimum a sciolo aliquo ad transitum efficiendum adiectum esse statuentis, nisi huius versus antiquitas obstaret, corroborata Polyzeli et Dionysii, opinor Thracis, testimonio, quod ex Schol. Dorvillii ad vs. 10 ab intpp. affertur.

Etiam clariora eiusdem rationis exempla praestat Theogonia, cuius de prooemii priores versus 103 complexi, quod invocatione et praedicatione Musarum totum consistit, indole quum viri docti vario modo statuerint, tum qui omnium diligentissime in examen vocavit, Muetzellius Em. Hes. Theog. p. 366. sq. sententia eorum probata, qui Musarum laudationem a reliquo carmine seiungendam et pro singulari carmine habendam censerent, ipse quid sentiret, his comprehendit verbis: „totum illud prooemium nec revera pro Theogoniae prooemio haberi potest, nec ab antiquis grammaticis habitum eo loco est, sed potius universo carminum Hesiodeorum corpori sive ab Alexandrinis criticis sive prius iam fuit praefationis loco praefixum." Quae coniectura tantum abest ut idoneis rationibus vel testimoniis ab auctore firmata sit, ut multis adeo argumentis reprobari possit, quum praesertim nitatur opinione falsa eorum, qui

in proemio carmen unum Musis dicatum deprehendere sibi visi essent, quod vel eam ob caussam solam admitti non potest, quod eadem argumenta in eo sine iusta ratione ad nauseam usque iterantur. Sed ut longum est haec quae sine studio et ira viro sagacissimo obiicio, ad persuasionem omnium persequi, id quod alienum ab hoc loco videtur, ita coniecturae propositae satis nunc habeo alteram opponere, hoc unum praefatus, quod ut ad infringendam Muetzellii, ita ad confirmandam sententiam meam valet, in ipso prooemio reperiri locos, quibus id ad praeludendum ipsi Theogoniae loco introductionis, qua argumentum breviter ante significaretur, revera compositum esse ostendatur. Quid enim aliud sonat quod vs. 11 dicuntur Musae cantu celebrare Iovem, Iunonem cum ceteris diis deabusque, quorum indici subiiciuntur vs. 20:

Γαῖάν τ' Ὠκεανόν τε μέγαν καὶ Νύκτα μέλαιναν,
ἄλλων τ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων,

quibus totum illud systema deorum ab Hesiodo expositum includitur. Atque simul comprehensam de ortu deorum enarrationem voluisse poetam, ipse ostendit vs. 30:

ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
θείην, ὡς κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,
καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων.

Tum idem etiam clarius argumentum his eloquutus est vs. 42:

αἱ δ' ἄμβροτον ὄσσαν ἱεῖσαι
θεῶν γένος αἰδοίων πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ
ἐξ ἀρχῆς, οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν,
οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοί, δωτῆρες ἐάων.
δεύτερον αὖτε Ζῆνα, θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
ἀρχόμεναι θ' ὑμνεῦσι θεαὶ λήγουσαί τ' ἀοιδῆς,
ὅσσον φέρτατός ἐστι θεῶν κράτεΐ τε μέγιστος.
αὖτις δ' ἀνθρώπων τε γένος κρατερῶν τε γιγάντων
ὑμνεῦσαι τέρπουσι Διὸς νόον ἐντὸς Ὀλύμπου
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Etiam clarius supra dixi in his poetae consilium indicari,

quandoquidem hic iuxta immortalium praedicationem etiam mortales, qui quidem a diis originem duxissent, comprehenduntur, quorum in carmine sub finem, quo nunc desideratur promissa mulierum mortalium enarratio, revera ratio habita est. Tertius exstat locus vs. 104—115, qui quum totus in eadem materia versetur describendus esset; sola haec delibare iuvabit:

κλείετε θ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων,
οἳ Γᾶς ἐξεγένοντο καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Νυκτός τε δνοφερῆς, οὓς θ' ἁλμυρὸς ἔτρεφε πόντος,
εἴπατε δ' ὡς τοπρῶτα θεοὶ καὶ Γαῖα γένοντο.

Tantum iam abest ut huius materiae descriptio cum Musarum muneribus commune aliquid habeat, ut certo quodam consilio debeat composita putari, quod planum est et facile perspicitur, si ea argumentum quod in Theogonia tractatur, praeparari dicamus. Adde quod in prooemio simul ipsius Hesiodi eiusque consilii deorum ortum exponendi ratio habetur, ut illud revera introductioni destinatum fuisse dubitari nequeat. Haec si vere habent, ea simul viam ad veram totius huius prooemii conditionem pernoscendam munibunt. A vero adhuc aberratum ideo est, quod non perspectum fuit, prooemium quod vulgo unum putatum est, ex tribus singularibus constare, quibus deinceps compositis monstrum illud processit proloquii, in quo critici merito haesere. Accidit prorsus idem quod in Iliade factum esse iam sine ulla controversia constat: prooemia nonnulla, numero iam tria, quibus rhapsodi in decantanda Theogonia usi erant, et quae fortasse singula singulis carminis exemplis praefixa deprehendebantur, ad posteritatem venerunt et ab iis, qui Hesiodorum carminum reliquiis undecumque colligendis operam darent, servata et iuxta deinceps conscripta sunt. Huius sententiae probatio eo potissimum argumento nititur, pro harum litterarum conditione, quibus plus lucis ex rerum traditarum congruentia quam ex larga testimoniorum copia affulgere solet, gravissimo, quod tripartita illa ratio attendenti sponte apparet et sine ullo artificio conficitur. Accedit

ad maiorem sententiae nostrae fidem, quod ea admissa simul tollitur offensio supra commemorata, quae in iteratione earundem sententiarum inepta consistit: tum etiam quod ab editoribus loci quidam notati sunt, quibus quae perscribantur, a poetae aetate et loquendi consuetudine abhorrere videantur, veluti quod Goettlingius vs. 37 ad verba ἐντὸς Ὀλύμπου extulit, quae in serioris aetatis additamentis ipse refert. Neque vana est Heynii Obs. in Iliad. T. IV. p. 210 offensio, ex insolito vocis usu vs. 10 et 43 ducta, qua ii versus recentioris auctoris esse arguantur. Indigna denique poeta, qui Theogoniam condiderit, alienorum versuum mutuatio vel imitatio, quae si semel bisve in carmine ampliore reperitur, potest habere singulares vel consuetudinis antiquae vel interpolationis caussas et excusationes: sin vero toties recurrit, ut in hoc prooemio, numerum centum versuum haud multum excedente, manifeste prodit auctorem poeta ipso multo recentiorem, ex antiquis carminibus prata sua irrigantem. V. c. vs. 39:

τῶν δ' ἀκάματος ῥέει αὐδὴ
ἐκ στομάτων ἡδεῖα,

vs. 83:

τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοὶ

et vs. 97:

φιλεῦνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή,

quorum omnium locorum fons est Iliad. α, 294:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,

quod et alii poetae suam in rem transtulerunt, veluti Bio. IV, 11:

καὶ τόκα μοι χαίροισα διὰ στόματος ῥέεν ᾠδά,

ubi Valckenaerius, si codices exhiberent, adnotat se praelaturum esse ῥέει αὐδά, quod in ed. Ursini exstat. Schwebelius similem locum ex Nonno affert.

Tum vs. 32:

θείην, ὡς κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα

et 38:

εἴρευσαι τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα

adumbrata sunt ad Iliad. α, 70:

ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα

Vs. 27:

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Odyss. τ, 203:

Ἴσκεν, ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Gravius est quod vs. 58 et 59:

ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, περὶ δ' ἔτραπον ὧραι,
μηνῶν φθινόντων, περὶ δ' ἤματα πολλ' ἐτελέσθη

totidem verbis ex Odyss. κ, 469 repetiti sunt, nisi quod ibi μακρὰ τελέσθη legitur, dum πολλὰ in eodem hemistichio Odyss. τ, 153 et ω, 143 in simili contextu exstat. [2]) „Atque imitatio quidem — sunt Hermanni Hymn. Hom. p. VII verba — non in simili quadam rerum tractatione et conformatione dictionis consistebat, sed eo usque progrediebatur, ut et versus integros et locos insignes ex Homeri carminibus depromere in magna laude poneretur.“ Sed nolo plura in re perspicua neque a quoquam nostris temporibus in dubium vocata. Pergam ad ea, quibus sententiae meae summa continetur, ut quae illa tripartita ratio prooemii fuerit ostendam. Huic in singula membra sua dissolvendo quum Hermannus l. l. p. XIII olim ita operam navasset, ut ex septem singulis diversorum poetarum prooemiis conflatum esse contenderet, neminem fugit, illa sententia ut stare posset, quot machinis opus fuisset: ut praeter rhapsodos etiam diasceuastae advocandi fuissent, qui prooemia singula quaeque confudissent et confusa tandem rursus in ordinem aliquem redegissent. Simplicior, opinor, ratio a me inita

---

2) Nolo afferre quod vs. 94—97 cum priore hemistichio 105 in Hymno Homerico εἰς Μούσας καὶ Ἀπόλλωνα inscripto (XXV) iterantur, quoniam is totus ex Theogonia iam prooemiis instructa conflatus esse videtur. Hoc tamen memorabile, quod insuper Hermannus adnotat, versus 2—5 hymni a Scholiasta Pindari, auctore, cuius sint, non indicato, laudari.

videbitur, qua tria constituuntur prooemia, a rhapsodis diversis composita, iuncta nunc ea et operi praemissa ab eo, qui quidquid Theogoniae superesse animadvertisset servatum vellet. Ut autem ab hariolationis fallaciis nobis caveamus, anquirendum est certum fundamentum, quo prooemiorum descriptio superstrui possit: quo si careamus, verendum nobis fuerit, ne ad Muetzellii sententiam revocemur aut in vagarum opinionum ambiguitatem abripiamur. Neque vero tali fundamento destituimur. Etenim quum in singulo quoque prooemio indicium argumenti in carmine, cui scribatur, tractati reperiatur necesse sit, quo absente patet de certo cuiuscumque prooemii fine omnem quaestionem dimittendam esse, ab hac ratione profectis tres loci per totum Theogoniae exordium sese offerunt, supra iam excitati, quibus demonstratur, auctorem de ortu naturaque deorum dearumque exponere velle. His semel repertis consectarium est, ut ad horum locorum normam tria prooemia constituantur, quae ut recte constitui intelligatur, eorum oportet eam conditionem esse, ut tametsi singuli cuiusque prooemii versus variam vel corrumpendo, transponendo, interpolando labem contraxisse possint, quod singulatim exquirere supersedeo, tamen unum quodque prooemium certis suis finibus circumscriptum sit ac iusto expositionis ordine decurrat. Ad hanc normam exordium totum in has tres partes, quibus tria prooemia constituuntur, ultro discedit: I. Vs. 1—35. II. Vs. 36—103. III. Vs. 104—115. Scilicet a subsequente vs. 116 demum initium antiquae Theogoniae Hesiodiae ducitur, quam quo modo rhapsodi in recitatione praefando exornarint iam patet. Sed hactenus de prooemiis Theogoniae, in quibus constituendis minime me fugit, relicta a me haud pauca esse, quae si allata essent sententiam propositam etiam magis corroborarent, vel etiam quae firmius stabilienda essent, sustentarent: quod quum prolixioris operis esset, quod absolvere hic non potui, ea quae proposui ut sunt magis iacta quam perfecta, interim censurae aliorum submittere volui.

§. 81.

De Musarum Homericarum ratione et numero.

Redeo ad prooemia Heliconiae Iliadi praeposita, de quibus anteaquam seorsim loquar, praefandum videtur de proprietate quadam utrique communi, quae mentem ad Musarum invocationem revocat. Quum enim in utroque prooemio Musae plurali numero invocentur, hoc quidem non praeter usum Homeri factum videri potest, sed discordat ab invocatione Musae unius in exordio Iliadis vulgari. Ac sane utrumque genus loquendi veteres critici quum animadvertissent promiscue in Homero repertum, hoc tamen quaerendum esse existimarunt, Iliadis exordio, Homerus quum β, 484 (ubi v. Schol.) plurali usus esset, cur Musam unam appellasset: in quo scrupulo expediendo si a recta via aberrarunt, ut qui de vera carminum Homericorum origine parum solliciti, quae Iliade conscripta essent, uno eodemque tempore ab uno poeta profecta esse opinarentur, videndum an nobis felicioribus esse contigerit. Posset sane differentia numeri, de qua agitur, si universe consideratur, ad sententiam eorum veterum grammaticorum componi, qui per synecdochen unam Musam pro ceteris cunctis dictam censerent, συλληπτικῶς, ut ait Tzetzes ad Hes. Theog. p. 29 ed. Gaisf. Lips., nisi obstaret, omittendam tum fuisse personae notionem, quam deserere nullo pacto potuit poeta, neque revera deseruit, quandoquidem in Odysseae exordio postquam Musam simpliciter eodem modo atque in Iliade nominavit, mox vs. 10 eam θεῆς nomine filiam Iovis appellat: qua appellatione ceteras una intelligere ineptum foret. Revera autem illa synecdoche locum habet Odyss. ω, 62, ubi postquam novem Musae antea nominatae sunt, hae una Μούσας λιγείας nomine comprehenduntur: qui locus quum iam ob hanc solam loquendi formam in suspicionem inciderit, tum etiam aliis nominibus suspectus veteribus visus est, meritoque, ut mox ostendemus, iis operis partibus adnumeratur, quae recentioris originis esse arguantur. Tum

si una de ceteris vel prae ceteris seorsim dicta putetur, rei haud melius consulatur, quandoquidem quum haec ipsa personae speciem necesse sit induat, in novam incurramus quaestionem haud expeditiorem, quae illa Musa sit, a poeta invocata. Neque enim is Calliopen novit, neque ceterarum nomina; neque magis quot numeraverit Musas constat. Atque ut varia singularum nomina inventa fuerunt, quorum varietatem prolixe enarravit Tzetzes l. l., ita etiam constat diversis aetatibus de numero Musarum antiquos varie sensisse. Cf. ad Cornutum p. 44 et 265. sq. Novem Musarum nomina in prooemio demum afferuntur Theogoniae Hesiodiae praeposito, quod et ipsum, aut certe Musarum illa enarratio, omnium consensu auctore carminis ipsius multo recentius esse putatur, unde recte negat Petersenius in Münteri Misc. Havn. I, 1. p. 103 tuto inde coniici posse, novem Musas ab Hesiodo primum inductas esse. Si vero antiqui homines omnis eruditionis et spiritus altioris notionem a cantus potissimum vi repetendam (v. Plat. Phaedr. 90) novem, vel etiam octo personarum imaginibus exprimere sibi placuerunt, si ad denarium usque numerum descenderunt, licet hunc a solo Cornuto traditum, si, inquam, tam varia fuit hominum opinio in fingendis eius notionis formis, quidni eosdem dicamus in una primitus constitisse, qua quid mente de variis ingenii humani facultatibus concepissent una comprehenderent? Igitur Homerus unam Musam ubi dixit, unam intellexit deam, neque necesse statuere, de aliis eum simul cogitasse: quemadmodum Pindarus unam, neque plures, cogitavit Musam, Pyth. I, 58 et quicumque hac dicendi ratione usus est. Contra novem Musas nomine notas intellexit Aratus quum advocaret sibi praesentes omnes, exordio carminis vs. 16: χαίροιτε δὲ Μοῦσαι μειλιχίαι μάλα πᾶσαι. Praeter exordia vero Iliadis et Odysseae haud alium, quo unius deae Musae in utroque carmine mentio fieret, locum novi quam Iliad. β, 761:

τίς τ' ἂρ τῶν ὄχ' ἄριστος ἔην, σύ μοι ἔννεπε, Μοῦσα.

Nam Μοῦσα λιγεῖα, quae dicitur Odyss. ω, 62, cum cetero

usu Homerico tam parum concordat, ut huius ipsius mentio pariter atque novem Musarum commemoratio duobus versibus ante facta, in qua Petersenius l. l. p. 104 indicium recentioris aetatis deprehendisse sibi videtur, novitiam originem prodat firmetque sententiam eorum, qui extremam Odysseae partem sero additam statuant. Immo vero totum hunc locum, qui Musarum lamentationem de Achille mortuo continet, vs. 60—62, antiqui critici in spuriis retulerunt, teste Schol. Vict. Iliad. ω, 720: ἀθετητέος δὲ ὁ Μουσῶν ἐπ' Ἀχιλλεῖ θρῆνος, quae verba ad Odysseae l. l. referenda esse perspexit Heynius Obs. in Il. T. VIII. p. 744. Neque aliter recte intellectus ea de re sensisse videtur Mnaseas Patarensis, cuius memorabilem locum suppeditavit Cramerus Anecd. Ox. T. I. p. 277, iam ad Cornutum p. 264 excitatum: Μνασέας δέ φησιν, ὅτι αἱ πᾶσαι [Μοῦσαι] τρεῖς εἰσίν· Μοῦσα, Θεά, Ὑμνώ. Ἐν μὲν οὖν Ἰλιάδι μεμνῆσθαι τῆς Θεᾶς· μῆνιν ἄειδε Θεά· ἐν δὲ Ὀδυσσείᾳ τῆς Μούσας· ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα· ἐν δὲ τῷ Παλαμηδείᾳ [1]) τῆς Ὑμνοῦς. Non accuratum igitur scriptorem se praestitit Quintilianus, quum de prooemiorum ratione in utriusque Homerici operis ingressu verba faciens, ita loquitur X, 1, 48: *Nam benevolum auditorem invocatione dearum, quas praesidere vatibus creditum est*; nam quominus Quintilianum credamus ob oculos tale Iliadis exemplum habuisse quale Heliconium est, quo non una dea, sed Musae numero plures invocantur, prohibemur Odyssea una laudata, cuius in prooemio plures una deas appellatas esse non traditur.

Si igitur constat, initio operis utriusque locis quammaxime conspicuis poetam unam deam advocasse, merito deberet mirum videri, aliis locis Musas numero plures eundem dixisse, nisi iam horum de locorum conditione quid statuendum sit ex iis quae supra ea de re exposuimus, liqueret. Haec enim numeri differentia diversorum prodit, ut arbitror, poetarum manum, id quod nunc Iliadis

1) De hoc carmine v. Otto Iahn De Palamede p. 2.

Heliconiae exemplo confirmatur, quod ab eius aetatis poetis vel potius rhapsodis profectum est, qua Musae plures vulgo receptae essent neque dum fortasse quarumque singularum nomina, qualia apud Hesiodum leguntur, inventa essent.

§. 82.

De prooemiis Iliadis Heliconiae.

Quum unus solus versus afferatur, quo prooemium prius constitisse dicitur, erat quum suspicarer, primum hunc fuisse de multis aliis insequentibus, qui meram Musarum et Apollinis praedicationem continuissent, aliquacumque de caussa a grammatico non adscriptis. Ab hac sententia tamen me revocavit comparatio alterius prooemii, quod uno pluribus versibus conceptum quum animadverterem ita habere, ut protinus textui Iliadis accommodari posset, veri similius visum est idem etiam illic factum putare. Hoc ut melius perspiciatur, prius de altero dicendum. Ac primo tenendum prooemium, quod vulgari Iliadis exemplo praemittitur, primis octo versibus contineri, quorum ultimus

τίς τ᾽ ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι

transitum ad rem ipsam sive ad initium carminis ipsius facit, simili modo compositus, atque qui legitur β, 761, consilio prorsus eodem positus:

τίς τ᾽ ἄρ τῶν ὄχ᾽ ἄριστος ἔην, σύ μοι ἔννεπε, Μοῦσα,

cuius rationem supra illustravimus. Continuo illud prooemium excipit versus nonus, quo quaestioni factae respondetur:

Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός· ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθείς,

quem iam rei enarratio sequitur. Alia forma auctor alterius prooemii usus est. Musis invocatis, uno versu argumentum primarium ab Achillis ira petitum exponit, cui statim subiicitur mentio Apollinis, una a Musis celebrandi: quod ideo factum, ut prooemium iam possit ipsis Iliadis a versu 9 incipientis verbis aptari. Hoc ita perfecit ut nominativum, quo Apollinis nomen exhiberetur, in accusativum mutaret,

a verbo ἔσπετε pendentem. Haec si ita sunt, ut dixi, necessario copula fuit adiicienda: Λητοῦς τ' ἀγλαὸν υἱόν: quibus verbis iustus fit transitus ad sequentia: ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς etc. His positis perspicitur prius prooemium, ad quod redeo, integrum ad nos perlatum esse. Scilicet per versum unum, quo cum Musis Apollo invocatur, introitu facto auctor continuo ad rem pergit, atque sicut illic Λητοῦς τ' ἀγλαὸν υἱὸν dicendum fuit, ita hic pariter nominativus in accusativum mutandus erat. Unde haec forma prooemii prodit:

Μούσας ἀείδω καὶ Ἀπόλλωνα κλυτότοξον,
Λητοῦς ἀγλαὸν υἱόν· ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθείς.

Alterum hunc in modum formatum:

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ὅππως δὴ μῆνίς τε χόλος θ' ἕλε Πηλείωνα,
Λητοῦς τ' ἀγλαὸν υἱόν· ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθείς.

His nihil nunc habeo quod ad contextum ipsum illustrandum addam nisi quod formula ὅππως δὴ, littera π propter metrum geminata, [1]) in prooemio, quod supra designavimus, recurrit, Iliad. π, 112:

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσεν νηυσὶν Ἀχαιῶν.

§. 83.

De reliquo capitis tertii argumento.

Aditu iam per ipsa prooemia facto, in ipsa Heliconiae Iliadis penetralia intrantibus tanta obiicitur caligo, ut de tenebris, quibus obruimur, per me quidem dispellendis, desperem. Quo obscurior autem totus hic Anecdoti locus est, qui continuo prooemiis subiicitur, eo maiore tamen cura operam dabo, ut quantum fieri per me potest, ad illustrandum eum conferam, hoc iam contentus, si a vero ego quum aberraro, errore meo aliorum fortasse errores praecludantur.

---

1) Iliad. α, 344. ι, 677. κ, 225. ξ, 160. ρ, 144. σ, 473. υ, 242 Odyss. α, 270. 295. ξ, 329. υ, 29, quo loco δὴ adiicitur.

Atque anteaquam ad rem ipsam accedamus, necesse est argumenti in Anecdoto tractati nexus exploretur: quo facto demum perspici poterit, qua mente ab auctore singula quaeque dicta sint. Scilicet in limine ipso huius quaestionis haeremus, quum ad liquidum certo perduci nequeat, quae traduntur utrum ad solam Iliadem, an una ad Odysseam auctor ea spectare voluerit. Si cum scriptore accurato ageretur, qui argumentum iusto ordine dispositum exhiberet, nullum esset dubium, quin de sola Iliade verba faceret. Ex hac enim profectus, quam proprio suo nomine ἀφ' Ἑλικῶνος ducto initio designavit, nihil insuper protulit, quod non ad hoc carmen inprimis pertinere posset. At quae prooemiorum expositionem sequuntur, farraginem observationum nullo ordine neque nexu corrasarum ostendunt, quarum una ad dialectum spectat, altera ad singularum sive carminis unius sive utriusque partium nexum, non iuncta ullo orationis vinculo, sed iuxta posita, ut an ex eodem fonte utraque ducta sit, incertum pariter maneat, atque an haec operis pars cum iis quae praemittuntur de prooemiis aliquid commune habeat, nisi quod omnia ad Homerica carmina spectare intelligitur. Neque in ea parte quidquam allatum, quo Odyssea excluderetur: accedit quod quum de Iliade Aeolica nullus veterum quidquam traditum reliquerit, Aeolicae Odysseae mentio sane in Scholiis facta est. Tantum vero abest ut ad Odysseam solam, quam ne verbo quidem commemoravit, auctor respicere potuerit, vel utrumque certe carmen nomine generali τῆς ποιήσεως, quo appellavit, mente complexus sit, ut probabile sit, omnia unice ad conditionem primarii carminis Homerici collustrandam auctorem conferre voluisse. Etenim quum constat, veteres in studiis Homericis primariam operam in Iliade collocasse, eo magis verisimile est, auctorem de Iliade, quam solam exordio nominavit, agere, quo certius exspectandum fuerit, Odysseam si una comprehendi voluisset, eius simul aliquo modo mentionem facturum fuisse. Accedit quod Zopyrum, quem in testibus laudat, Iliadem tractasse

novimus ex Schol. Iliad. κ, 118: de curis eius in Odyssea positis criticis nihil ad nos perlatum. Neque generalis illa et ambigua τῆς ποιήσεως appellatio, qua, auctor usus est, sententiae nostrae obest, quandoquidem Iliadem Strabo quoque Ὁμήρου ποίησιν simpliciter appellavit, XIII. p. 594. Schol. Harl. Odyss. α, 337 in Crameri Anecd. Par. T. III. p. 424: τὸ οἶδας οὐ ἐχρήσατο ὁ ποιητής... ἐν οὐδενὶ [οὐδεμιᾷ?] γὰρ τῶν ποιήσεων ἐχρήσατο τὸ οἶδας, ubi Ilias et Odyssea significantur. Itaque quae iam de hac ποιήσει enarrantur, credibile est, ea ad rationem Iliadis describendam auctorem applicuisse. Sed confitendum est, hanc argumentandi rationem minime certam esse, quin auctorem cum Iliade etiam Odysseam animo complexum esse putari potuerit, praesertim in iis quae extremo afferuntur. Tractati argumenti bipartita ratio est, his verbis concepta:

1) Τὴν δὲ ποίησιν ἀναγινώσκεσθαι ἀξιοῖ Ζώπυρος ὁ Μάγνης Αἰολίδι διαλέκτῳ· τὸ δ' αὐτὸ καὶ Δικαίαρχος.

2) Αἱ μέντοι ῥαψῳδίαι κατὰ συνάφειαν ἥνωντο, κορωνίδι μόνῃ διαστελλόμεναι, ἄλλῳ δ' οὐδενί.

Harum partium iam argumenta singula age seorsim suoque quodque ordine et pondere examinemus.

§. 84.

De Odyssea Aeolica.

In Aeolicae iam Iliadis, cuius notitiam aliquam Anecdoti auctori debemus, primo rationem inquisituris, quum nullus veterum, ut dixi, eius mentionem fecerit, ex re fore nobis visum est, anteaquam singula testimonii momenta expendamus, de Odyssea Aeolica modo laudata videre, qualis fuerit et ex cognita eius conditione, quam adhuc non novi satis illustratam, numquid ad perspiciendam Iliadis Aeolicae rationem lucremur. Ac Aeolicae Odysseae mentionem solis scholiastis Homericis debemus, qui tribus locis commemorarunt, singulatim examinandis. Ξ, 280: ἐς δίφρον δέ μ' ἔσας ἄγεν] Harl. Ἡ αἰολική, „ἐς δίφρον δ' ἀνέσας", ἀναγαγών.

Ξ, 331: ἀποσπένδων] Harl. cum Vindob. 133. Οὕτως Ἀρίσταρχος· οἱ δὲ αἰολεῖς ἐπισπένδων.

Σ, 98: μακὼν] Cod. B. ἐπὶ ἀνθρωπείας φωνῆς. Harl. Ἡ αἰολὶς χανών.

Agi his locis de variis lectionibus, quae ex editione Odysseae Aeolica dicta sumptae essent, primus agnovit Buttmannus, eius appellationis fidem corroborans ex Argolicae celebris illius nomine, quam supra in ceteris Homeri exemplaribus enarravimus: insuper adiecit, de dialecto cogitandum non esse. De neutro mihi cum Buttmanno convenit. Apte quidem Aeolica cum Argolica comparatur quantum ad similitudinem appellationis: multum vero utraque inter se differt, si originem cuiusque spectamus. Nam quum haec recte in recensionibus politicis referatur, quippe ab Argis civitate appellata: cui urbi vel civitati Aeolicam adsignes, in hac nominis, quo nulla certa Graeciae terra indicatur, ambiguitate dubitabis. Nam si forte Aeolidem Asiae, unde nomen duxerit, intelligas, parum proficies ad rem expediendam, quum una civitate, cuius auctoritate tale opus confici potuisset, is tractus nullo tempore comprehensus fuerit. Aptius comparaveris Cretensem vel Cypriam, si fingas, Aeolicam ab Aeolide tum dictam esse, quum singulae Aeolidis civitates foedere iunctae essent. At neque de tali foedere res plana est: [1]) et si quod fuit, praeterquam quod eius instituta plane ignoramus, id multo ante debet putari rescissum esse, quam Homeri aliqua editio eius iussu et nomine vulgari potuerit. Sed, quod non praetereundum, incertum omnino, an Aeolica Odyssea cum Aeolide Asiae commune quidquam habuerit. De continentis Graeciae Aeolide, quae nulla fuit, aut de Aeolica aliqua civitate etiam minus cogitandum. Quid igitur? Haud videtur alia expediendi ratio inveniri posse quam ut a sermonis proprietate Odysseam appellatam dicamus, quod si confirmaretur exemplo Aeolicae Iliadis plane probarem: sed locis ex Aeolica Odyssea servatis nihil

1) V. Tittmann Gr. Staatsverfassungen p. 672.

reperitur, quod Aeolensium sermonem sapiat: neque ullo modo demonstrari potest, exstitisse umquam Iliadem Aeolica dialecto conscriptam, ut, si aperte loquendum est, cuius rationis illa Aeolica Odyssea fuerit, utique ignoremus.

§. 85.

De Dicaearcho et Zopyro.

Relicta de Odyssea Aeolica quaestione, ex qua ad illustrandam rem auxilii nihil redundare vidimus, in examen vocandi sunt testes, quibus omnem de Iliade Aeolica notitiam debemus, Zopyrus et Dicaearchus.

Ac primum quantum ad hunc, eorum quae olim ea de re monui Beitr. T. II. p. 118, Messenium, Aristotelis discipulum, probabiliter intelligendum esse, quum praesertim de alio grammaticam professo Dicaearcho Lacedaemonio fama perincerta sit, unius, si severe agatur, Suidae testimonio nisa, eo minus adhuc piguit, quo Fuhrium, qui eundem lapidem eodem tempore versabat De Dicaearcho p. 60. sq., lubentius cognovi ostendere studentem, quae de grammatico Dicaearcho antiquitus tradita essent, ad Messenium referenda esse omnia. Si iam in Messenio persistendum est, cuius de studiis Homericis recte iudicavit idem Fuhrius p. 44. sq., [1] quum neque de libro, quo ista scripserit, neque de occasione talia conscribendi certo constet, nihil inde in rem lucramur nisi testis lucupletissimi auctoritatem, in tam obscura rei memoria magni aestimandam.

De Zopyro aliquanto melius res procedit, quandoquidem indubium videtur, id quod olim monui, eundem esse, cuius ex libro quarto περὶ Μιλήτου κτίσεως lectio varians

1) Quod Fuhrius bene ostendit, in Vita Graeciae locis Homericis vel critice tractandis, id quod ego iam ante demonstraveram, vel illustrandis auctorem passim vacasse, id egregie Scholiis Harleianis Odysseae confirmatum est, ubi ad α, 333 talia adscripta sunt, quae pro argumenti ratione cum Cramero editore Anecd. Paris. T. III. p. 422 haud negabis unice convenire ei operi, cuius principalis scopus in describendis iudicandisque moribus veterum Graecorum constitutus fuit.

Iliadis x, 274 in Scholiis laudetur sic: οὕτω δὲ ἀξιοῦσιν οὐ „Πάλλας Ἀθηναίη" γράφειν, ἀλλὰ „πελλόν." τοὺς δὲ μεταγράψαντας τῷ ἐπιθέτῳ ψυχαγωγουμένους, οὐ τῇ ἀληθείᾳ δὲ ἀκολουθῆσαι· ὅθεν καὶ Ζώπυρος ἐν τετάρτῳ Μιλήτου γράφει· „ἐν τῇ νυκτεγερσίᾳ τοῦ ποιητοῦ θέντος „πελλὸν Ἀθηναίη", μεταγράφουσί τινες καί φασι „Πάλλας Ἀθηναίη", τῷ ἐπιθέτῳ ψυχαγωγούμενοι, ἀλλ' οὐ τῇ ἀληθείᾳ ἀκολουθοῦντες. Ex his siquidem recte, ut opinor, sumere licet, antiquitus πελλὸν Ἀθηναίη scriptum exemplaria Iliadis tulisse, vel antiquissimis qui res Homericas attigissent scriptoribus Zopyrum adsignandum esse patet, quandoquidem Zopyrum iam novimus antiquam Homeri scripturam ab otiosa coniectura defendentem, quae tamen posthac vulgaria Iliadis exemplaria occupavit: quae rei ratio cum notitia, quam Zopyrus de antiqua quadam Iliade exhibuisse traditur, posthac, uti ex pertinaci scriptorum silentio concludere licet, prorsus omissa, apprime convenit. Quae insuper de hoc Zopyro innotuerunt, (nam Heracleotam consulto omitto) nihil faciunt ad Homerum, si modo ad unum eundemque scriptorem testimonia quae supersunt pertinent omnia, collecta a Meiero Comm. Andoc. VI. Part. 13. p. 62: [2]) qui si Zopyrum ostendere studuit ante a. Chr. 203 vixisse, id vel ex Anecdoti loco, quem ignoravit, vel ex Scholiorum Homericorum notitia maiore probabilitate concludere poterat. Quod iam de dialecto Aeolica in Anecdoto traditur, id grammaticorum ex usu iudicandum est, qui ubi simpliciter de dialecto Aeolica loquuntur, non alium quam Asianorum Aeolensium sermonem significare solent. V. Ahrens De dial. Aeol. p. 5. Unde credibile, immo certum videtur, quod iam supra posuimus, Magnes quum Zopyrus appelletur, intelligi patriam

2) Librum Zopyri cuiusdam περὶ ποταμῶν laudat Harpocratio v. Ερμος. Novimus porro Zopyrum, qui Physignomo dictus est, Socratis aequalem, de quo v. Orell. ad Alexandr. Aphrod. de fato 6. p. 271. Diversus rursus medicus Alexandrinus, quo magistro usum se esse profitetur Apollonius Citiensis Comm. in Hippocr. p. 2. ed. Dietz.

eius Magnesiam ad Sipylum Aeolicam, non Ionicam illam ad Maeandrum sitam: nam de Thessaliae vel adeo Cretae Magnesiis nemo cogitabit. Iam Zopyrum quendam exstitisse Aeolensem, qui aliqua in Homeri carminibus quoquo modo studia collocarit, nemo non videt, quanti momenti in quaestione de Aeolica carminum Homericorum recensione sit. Exemplar vero Iliadis vel Odysseae vel adeo utriusque carminis ab ipso recensitum Zopyrum reliquisse, nusquam traditum reperio: nam quae in Anecdoto referuntur, infra examinanda, minime id probant: neque probabile est, quoniam vix credibile videtur, Alexandrinos grammaticos tale exemplar ita ignorasse, ut ne uno quidem loco mentionem eius iniecissent. Sed facile concedo id quod non potest fere non pro certo affirmari, accensendum Zopyrum esse eorum scriptorum classi, qui inter primos fuissent, qui de Homero, sive de eius vita, ortu, sive de poesi litteris aliquid mandarent.

§. 86.

De dialecti Aeolicae in Homeri carminibus vestigiis.

Tametsi iam, quum de nomine et ratione Aeolicae Homeri recensionis quaeritur, proclive sit ad coniiciendum, appellatam eam esse ex eo, quod auctor eius ex gente Aeolensium fuerit, eamque a civitate aliqua Aeolensium, quae Homero suo se defraudari nollet, Cymis fortasse, ut quae civitas ex ipsa Homerum fuisse oriundum gloriaretur, [1]) probatam atque in patrocinium suum receptam esse, tamen ita quo minus statuamus, obest quod de Aeolensi quoquam carminum Homericorum editore non constat. De Zopyro vidimus. Ut alium Aeolensem nominem, Ephorus Cumanus quod de Homero scripsisse dicitur, id ad vitam

1) V. Fabr. Bibl. Gr. T. I. p. 329. 330. Harl. Inc. ap. Iriarte Catal. Bibl. Matrit. p. 233. Heynii Obs. in Il. T. VII. p. 718. Fuere, teste Tzetza Exeg. in Iliad. p. 26, qui Homeri, quod Aeolensis natu fuisset, nomen a sermone Aeolensium derivarent.

atque patriam eius spectat: [2]) nihil vero commemoratur de aliqua carminum recensione. Unice igitur relinquitur illud ipsum quod in Anecd. Rom. Zopyrus, quiscumque fuerit, et cum eo Dicaearchus de Homericis carminibus, vel de Iliade sola, iudicarunt; quod quo sensu ab iis dictum sit, nunc magis divinari quam certo constitui potest: τὴν δὲ ποίησιν ἀναγινώσκεσθαι ἀξιοῖ Ζώπυρος ὁ Μάγνης Αἰολίδι διαλέκτῳ· τὸ δ' αὐτὸ καὶ Δικαίαρχος. Accidit hoc loco, ut in sensu verborum singulorum planissimo de ipsa scribentis mente haereamus: cuius rei caussa ex eo repetenda videtur, quod quae hic traduntur excerpta sunt ex ampliore scriptione et fragmentorum instar soluto sententiarum nexu proponuntur. Quo enim sensu dicamus Zopyrum iudicasse τὴν ποίησιν ἀναγινώσκεσθαι Αἰολίδι διαλέκτῳ? Nihil proficimus Latine vertendo *legenda esse carmina ad normam dialecti Aeolicae*, quae ipsa egent interpretatione. Facile quidem intelligitur, principalem vim totius sententiae in dialecti mentione constare: quo autem ea sensu commemoretur, id rursus ex significatu verbi ἀναγινώσκεσθαι aptum est. Iam quominus de sermone, cuius ad normas carmina scripta essent, Zopyrum tradidisse statuamus, verbi ἀναγινώσκεσθαι usu et ratione, tum etiam vi verbi ἀξιοῦν prohibemur, quippe quo non declaretur, Zopyrus qualem formam carminum repererit traditam, sed qua ipse forma ea exhibenda esse existimarit. Nam de exemplo ad Aeolicae dialecti leges a Zopyro reficto cogitare excluditur eo, quod idem de Dicaearcho statuendum esset, quod absurdum est. Iam quum proximum esset ἀναγινώσκεσθαι de ratione, qua carmina recitanda essent, accipere, tamen etsi non negarim Zopyrum simul ea de re cogitare potuisse, praestare videtur, quod simplicius est, ut eius sententiam hanc fuisse dicamus, dialectum, qua Homerus scripsisset, probabiliter quod eum natione Aeolensem putaret, Aeolicam fuisse, atque ubi de singulis formis dubitatio incideret, illius sermonis ad normam eas componendas esse. Itaque nihil impedit quo

---

2) V. quae afferantur a Fabr. l. l. p. 321.

minus ἀναγινώσκεσθαι sensu legendi accipiamus, quod si ad critici munus refertur, idem valet ac recognoscere, ita ut de recensione scripti alicuius dicatur: quemadmodum legitur verbum una cum ἀνάγνωσις apud Herodianum in Schol. Iliad. μ, 20: εἴπομεν δὲ ἐν ἑτέροις ὅτι οὐ πάντως ἐπικρατεῖ ἡ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν χρῆσις καὶ ἐπὶ τὴν Ὁμηρικὴν ἀνάγνωσιν, ὁπότε περὶ τοῦ Γλισᾶντα [β, 504] διελάβομεν, εἴγε Διονύσιος ἱστορεῖ τοὺς ἐγχωρίους συστέλλειν τὸ ῑ καὶ μὴ περισπᾶν· τό τε Λύκαστος ἱστορεῖ ὀξύνεσθαι ἡμῶν ἀναγινωσκόντων βαρυτόνως etc. de quo loco v. Lehrs p. 272. Adde Herodianum Schol. Iliad. ο, 365. Apollon. de syntaxi p. 77. Eodem sensu Anecdoti verba etiam intellexisse videtur is, cuius notitiam de toto hoc libello ex Museo Rhen. in Praef. produximus, in eo solo falsus, quod sibi finxit exemplar Iliadis revera ad dialectum Aeolicam compositum, cuius ipsum principium allatum esset: nihil enim in hoc deprehenditur, quod illius sermonis proprietatem redoleat; immo omnia dicta sunt ad normam epicam, qua vulgaria Homeri exempla scripta sunt. Haec quum ita sint, agitur de sola grammatici singulari quidem opinione, digna tamen, cuius caussae explorentur.

Dixi supra, ut Homerum Aeolica dialecto usum esse sibi persuaderet, Zopyrum eo adductum esse posse, quod natione eum Aeolensem fuisse existimaret. Haec quidem levioris momenti argumentatio, gravioris vero, quod invicem sese firmant, alia observatio a creberrimis eius dialecti vestigiis in utroque carmine sparsis ducta, quam ab Alexandrinis quoque grammaticis aliisque scriptoribus factam, ut multis locis Scholia testantur, eo minus Zopyrus illis aetate anterior negligere potuit, quo ipse ab antiquis Homeri exemplaribus, antiquae dialecti reliquias etiam minus attenuatas prae se ferentibus, propius abfuit. Dictionis vero Aeolicae nihil magis Aeolensem hominem, qualis Zopyrus fuit, pungere debuit quam digamma illud Aeolicum, cuius usus vix dubitare testimonia certissima et incorrupta, scripta vel inscripta, sinunt quin temporibus Zopyri vulgari Aeolensium sermone etiamtum receptus fuerit. Ut vero dudum intellectum est, digamma Aeolico Homerum

usum esse, ita etiam hodie vix quisquam reperiatur, qui vel eius idiomatis formis vetusta Homeri exemplaria distincta fuisse neget; immo nemo erit qui non verissima esse concedat, quae Ahrens De dial. Aeol. p. 32 his verbis pronuntiavit: „quas voces apud Aeoles magis minusve certis argumentis intelligitur digamma apud Lesbios habuisse ... eadem omnes apud Homerum certissima digammi indicia habent, ut ex antiquissima Graecorum lingua hunc sonum apud Aeoles servatum esse pateat.“ Impetrare a me non possum, quin quae multis annis ante iam Burgessius ad Davesii Misc. ed. Kiddii p. 181 notarat adscribam: »Iam quae dicta sunt, eo pertinent, ut ostendant, Aeolicam linguam non unius gentis fuisse propriam, sed antiquam universae Graeciae dialectum: deinde ex progressione linguae Graecae et cognatione dialectorum eius, ac tempore quo vixerit Homerus, atque consuetudine poetarum, antiquitatis scilicet custodum, Homerum dialecto quae sensim Aeolica nuncupabatur, usum potuisse: denique ex testimoniis ipsius poematum, una cum scriptorum veterum auctoritate, revera ea fuisse usum; atque adeo digamma, quod postea Aeolicum designabant, ab Homericis scriptis olim non alienum.« Nihil his verius et ad rem nostram propius: quae si in re manifesta nonnisi breviter hic perstrinxi, sufficient tamen ea ad aperiendas rationes, quibus Zopyrus commotus esse potuerit, ut Iliadem vel etiam Odysseam primitus ad normam Aeolicae dialecti conscriptas fuisse contenderet: nam non nostrorum demum temporum ista doctrina fuit, sed antiquitatis, qua Aeolica dialectus vetustissimum Graeci sermonis idioma et habita et appellata fuit. Totam vero hanc Homerum tractandi rationem veteribus oportet displicuisse, si quid ex silentio scholae Alexandrinorum concludere licet: qui, quantum nunc quidem ex reliquiis studiorum in Homero positorum sciri potest, Aeolici Homeri potius osores, nihil aliud egerunt quam ut ubi aliquas verborum formas Aeolicas deprehendisse sibi viderentur, quod et multo rarius quam oportuerit factum est, eas notarent, cuius moris exempla afferre non opus, cum-

maxime vero iidem eo occupati, ut lectiones quae Aeolicum idioma redolerent, posthaberent et si per rationem contextus licebat, exstirpare adniterentur. Cuius rationis insigne exemplum est forma κεκλήγοντες Iliad. π, 430, ubi Schol. A. ὡς λέγοντες, ἀπὸ εὐθείας ἑνικῆς τῆς εἰς ν, κεκλήγων· ἔθος δὲ τῷ ποιητῇ οὕτω σχηματίζειν ἐν τῇ ἑτέρᾳ τῶν Ἀριστάρχου „κεκληγῶτες". Schol. V. οὕτως [κεκλήγοντες] αἱ πλείους· οὐ γὰρ ἀναγκαῖον τὸ Αἰολικόν, μέτρου μὴ ἐπείγοντος. De hac forma participii Aeolica, cuius antiquitatem testatur Apollonius Rhod. IV, 876, post Matthiaeum Gramm. Gr. p. 250 aliosque disseruit Ahrens p. 148, nemo vero his ipsis, quibus scribo, diebus diligentius Rumpfio Quaestionum Homericarum libro, quem quod gaudeo nomini meo inscribere auctori placuit, p. 26. sq. Similis iudicii ratio colligitur ex Schol. A. Iliad. ξ, 241, ubi pro ἐπισχοίης, quod nunc vulgatur, olim ferebatur ἐπισχοῖες, ut perspicitur tum ex Herodiano, qui defenderat, tum ex adnotatione Alexandri Cotyaeensis, his verbis concepta: τῷ ἐπίσχοιμι ἀκόλουθόν ἐστι τὸ ἐπίσχοις, τῷ δὲ ἐπισχοίης τὸ ἐπισχοίην [immo leg. τῷ δὲ ἐπισχοίην τὸ ἐπισχοίης]· καὶ ἴσως ἔδει οὕτως ἔχειν, παρεφθάρη δὲ ὑπὸ τῶν μεταχαρακτηρισάντων· τῷ δὲ χαρακτῆρι γενόμενον ὅμοιον τῷ ἰοίην καὶ ἀγαγοίην παρὰ Σαπφοῖ καὶ τῷ πεπαγοίην παρ' Εὐπόλιδι, εἰκότως ἐβαρυτονήθη τὸ ἐπισχοίης, γενόμενον ἐπισχοῖες ὡς Αἰολικόν· οὕτως Ἀλέξανδρος ὁ Κοτυαεὺς ἐν τῷ ι τῶν παντοδαπῶν. Vulgabatur igitur ante hunc Alexandrum, Aristarcho iuniorem (v. Schol. A. Il. τ, 79) ἐπισχοῖες, quod qui vetusta exemplaria antiquis litterarum formis exarata [8]) transcriberent, ex ΕΠΙΣΧΟΙΕΣ efficere et retinere

8) V. Heynium ad Iliadis l. l. Ex hoc ipso arbitrio, quod propter pares litterarum ε et η, ο et ω formas antiquas transcribentibus datum esset, utram vellent scribendi, innumera vitia antiquorum scriptis illata esse, quod Galenus in Hippocrate accidisse notavit exemplisque illustravit, idem alii in Homeri carminibus factum commemorarunt, quorum locos congessit rimatusque est Villoisonus Proleg. Hom. p. IV. sq. Quae quidem quaestio quantum ad Homerum tam subtilis et late patentis rationis

maluerunt quam ἐπισχοίης, quod esset Aeolicum (v. Ahrens p. 132), ut Alexander ait, aut esse putaretur. Est etiam ubi lectionis reiectae ratio ex eadem caussa, diserte quidem non tradita, sed tamen divinanda, repetita est. Iliad. ο, 179:

ἠπείλει καὶ κεῖνος ἐναντίβιον πολεμίξων
ἐνθάδ᾽ ἐλεύσεσθαι,

ut Spitznerus edidit, invitis ceteris editoribus, qui πολεμίζων habent, ille non recte, si Alexandrinorum scriptura sequenda fuit, quam ipse, quod eius adnotatio ostendit, non satis perspexit, ideo etiam Düntzero De Zenodoto p. 78 notatus. Etenim disceptabatur Alexandriae, praesensne an futurum scribendum esset. Schol. A. Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ζ. V. Ἀρίσταρχος δὲ διὰ τοῦ σ [scilicet πολεμήσων]. θέλει δὲ εἰπεῖν ὡς εἰ μὴ σὺ ἄπει, ἐκεῖνος ἐλεύσεται πολεμήσων. λείπει δὲ τὸ σύ. Unde vero discrepantiae ansa? Ex lectione πολεμίξων, iuxta a Schol. V. tradita, quae quum Aeolici coloris quiddam habere videretur (est Doriensibus quidem haec forma futuri et aoristi propria, neque ab Aeolensibus spreta, testante Pindari carmine Pythico II, ad Aeolicam cummaxime et harmoniam et locutionem composito, quo vs. 44 ὀνύμαξε exstat) a grammaticis tentata fuit. Eodem

est, ut breviter profligari nequeat, neque me iudice profligavit Giesius Ueber den Aeol. Dialect p. 163. sq. qui, adstipulante Düntzero De Zenodoto p. 41, criticos Alexandrinos non aliis exemplaribus Homericis, quam qui ad normas Ionicarum litterarum transcripta essent, usos esse, demonstrare summopere adnisus est: quod si ita accipiendum est, ut ne ullum quidem vestigium antiquae scribendi consuetudinis iamtum in exemplaribus, quae criticis illis ad manus fuissent, relictum fuisset, non accedo; si tamen concedendum est, spero saltim hoc mihi concessum iri, in ipso transcribendo, sicubi de vera lectione dubitaretur, nonnulla remansisse, quae etiamnunc antiquorum usum referrent. Exempli loco unum νεῦσι affero, quod pro νηυσὶ Zenodotum Iliad. α, 421 legisse, ostendit egregieque munivit Bergkius Z. f. d. Alterth. 1846. p. 482, approbante Düntzero l. l. p. 54. Alia plura Nauck Aristoph. Byz. p. 52.

dialecti Aeolicae odio Zenodotus, quum Iliad. π, 10 in exemplaribus ποτιδέρκεται invenisset, videtur suscepisse προσδέρκεται, teste Schol. A. In huius verbi et similiter compositorum usu Homeri libri sibi non constant. V. Düntzer De Zenodoto p. 59, quem etiam v. p. 60, de Aeolica forma φλίβεται Odyss. ρ, 221 a criticis in θλίβεται mutata disputantem. Inde etiam grammaticorum controversia nata est, rectiusne scriberetur Iliad. τ, 48 δίδοισθα, more Aeolico, an διδοῖσθα, notante Schol. A.: quibus de formis docte nuper exposuit Rumpfius l. l. p. 10. sq. Auctore potissimum Aristarcho, quem rariores dialectorum formas ab Homero magna cum severitate exclusisse observat Rumpfius l. l. p. 29, expulsa est Aeolica scriptura Odyss. μ, 313, teste Scholiasta Harl., cuius verba integra nunc habemus in Crameri Anecd. Paris. T. III. p. 480: ἐπιζαὴν ἄνεμον] Ἔδει χωρὶς τοῦ ν ζαῆ, ὡς „ἀκραῆ Ζέφυρον" [Il. β, 421]. ἔστιν οὖν Αἰολικὸν τὸ μετὰ ν, καὶ ἔδει αὐτὸ Αἰολικῶς βαρύνεσθαι, ὡς τὸ

αἰνοπαθῆ [4]) πατρίδ' ἐπόψομαι

παρὰ Ἀνακρέοντι· ὁ δὲ Ἀρίσταρχός φησι περισπᾶσθαι, καὶ οὕτως ἔχει ἡ παράδοσις.

Zopyri, ad quem redeo, quum uno Scholiorum loco, quem apposuimus, excepto, ubi dialecti Aeolicae ratio neque habita est neque haberi poterat, nusquam mentio facta sit, absonum videri nunc debet, in formam inquirere, qua restituenda Homeri carmina singulis quibusque locis Zopyrus praeceperit: quod eum fecisse ne credibile quidem est. Si tamen aliquid divinando periclitandum, in generibus afferri digamma potest, quod scripturae voluerit vindicatum: tum quod cum eo nexu quodam tenetur, psilosis illa Aeolica, de qua v. Ahrens p. 19. sq. et alia similis generis. Nam tametsi omnia haec in coniectura posita sunt, tamen eum qui in Homero Aeolicae dialecti proprietatem agnosci vellet, necesse est statuamus ita iudicasse, ut ubi fieri poterat, Aeolica idiomata revocarentur. Quocirca non poterat non in principio

---

4) Odyss. σ, 200: αἰνοπαθῆ μαλακὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυψεν.

Iliadis μαῖνιν scribendum existimare, si fides est penes Tzetzam, μαῖνις Aeolenses pro μῆνις dixisse tradentem. [5]) Quod exemplum eo consilio potissimum attuli, quo ostenderem, in altero prooemio quum μῆνις scriptum reperiatur, hoc vel hanc ipsam ob caussam ex Aeolica Iliadis recensione sumptum esse non posse. Atque huius generis innumera forent, quae Aeolicarum formarum sectator aliquis reposita velle posset, veluti κρέσσων Iliad. α, 80 pro κρείσσων. Sed talia rimari esset ludere in re seria.

§. 87.

De singulorum librorum Iliadis et Odysseae inscriptione.

Restat ut eorum verborum, quae ultimum Anecdoti Rom. locum occupant, in Anecdot. Ven. repetita, vim expendamus: Αἱ μέντοι ῥαψῳδίαι κατὰ συνάφειαν ἤνωντο, κορωνίδι μόνῃ διαστελλόμεναι, ἄλλῳ δ᾽ οὐδενί. Apparet iam ex iis, quae supra exposuimus, verba haec neque ad Aeolicae cuiusquam, neque singularis cuiusquam editionis carminum Homericorum formam spectare, sed exemplarium Homericorum, quae antiquo tempore ferebantur, quorumcunque conditionem declarare. Etenim et haec auctoris observatio non potest non pro singulari quadam adnotatione haberi, nescio unde ab auctore sublecta, quantum posteriorum exemplorum in singulas rhapsodias vel libros descriptorum forma a pristina differret demonstraturo. Constat enim Iliadem et Odysseam, postquam horum carminum elementa olim sparsa in duo haec corpora iuncta sunt, posthac rursus in partes quamque numero quatuor et viginti dispositas esse, neque tamen eas ex numero et ordine librorum singulorum, sed ex quatuor et viginti

5) Exeg. in Iliad. p. 50: Μῆνιν Ἀττικῆς ἐστὶ διαλέκτου, μίνια [l. μήνια] Ἰωνικῆς, μήνιδα κοινῆς, μᾶνιν Δωρικῆς, μαῖνιν Αἰολικῆς. Ac μαῖνιν exstat Pindar. Pyth. IV, 159 Bckh. At genitivum μήνιος, Odyss. γ, 135, Aeolicum designat Ms. ap. intpp. Etym. M. p. 466; contra Ionum fuisse vult Etym. M. p. 42, 18.

litterarum alphabeti appellatas esse: quam numerandi et appellandi rationem Alexandrini grammatici, atque in his Zenodotus et Aristarchus, invenisse atque adhibuisse traduntur ab Eustathio ad Iliadis α init. p. 5. ed. Lips. Οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην . . . γραμματικοὶ καὶ διορθωσάμενοι κατὰ τὸ ἐκείνοις ἀρέσκον, ὧν κορυφαῖος ὁ Ἀρίσταρχος καὶ μετ' ἐκεῖνον Ζηνόδοτος διὰ τὸ ἐπίμηκες καὶ δυσεξίτητον καὶ διατοῦτο προσκορὲς κατέτεμον αὐτὸ εἰς πολλὰ καὶ τὰ τοιαῦτα τμήματα οὐκ ἠθέλησαν ὀνομάσαι πρῶτον τυχὸν λόγον καὶ δεύτερον καὶ τρίτον καὶ τὰ ἑξῆς, καθάπερ ἐποίησε Κόϊντος ἐν τοῖς μετὰ τὸν Ὅμηρον, ἀλλ' ἐπειδή περ ἡ βίβλος ἐξήρκει πρὸς πλείω τμήματα, ἔκριναν σεμνὸν ὀνομάσαι τὰς τομὰς τοῖς ὀνόμασι τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων τῆς ἀνθρωπίνης ἐναρμονίου φωνῆς. ὅθεν καὶ τὸ μὲν προκατάρχον τμῆμα ἄλφα ὠνόμασαν, τὸ δὲ μετ' αὐτὸ βῆτα καὶ γάμμα τὸ ἐφεξῆς, καὶ τὰ ἐχόμενα ὁμοίως κατὰ εὔτακτον λόγον, ἕως τοῦ μεγάλου ω, τιμῶντες οὕτω τὴν Ὁμηρικὴν ποίησιν τῷ πρεσβείῳ τῶν στοιχειωδῶν γραμμάτων καὶ μηδὲ πράγματα ἔχοντες τῇ εὑρεσιλογίᾳ τῶν ἐπιγραφῶν, καὶ φιλοσόφων δὲ ἔργον ποιοῦντες, οἳ πολλαχοῦ τὰ οἰκεῖα συγγράμματα οὕτως ἐπιγράφουσι σεμνότερον. διὸ καὶ τὰ εἰκοσιτέσσαρα τμήματα τῆς Ὁμηρικῆς ποιήσεως, τῆς τε κατὰ τὴν Ἰλιάδα καὶ τῆς ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ, οὐ μόνον ἄλφα καὶ βῆτα καὶ γάμμα ὀνομάζονται καὶ τὰ ἑξῆς, ἀλλὰ καὶ γράμματα καλοῦνται, καθὰ καὶ τὰ ῥηθέντα στοιχεῖα τῆς φωνῆς, οὐ μὴν δράματα, ὡς τὰ παρὰ τοῖς τραγικοῖς. Ab Zenodoto igitur Ephesio, [1]) si fides penes Eu-

1) Nam de altero Zenodoto, Cratetio sermo, esse non potest. Atque illam totius corporis discriptionem Ephesio etiam Lachmannum adiudicare memini. V. Düntzer De Zenodoto p. 154. sq. Nihil enim tribuendum fidei universe de Iliade et Odyssea loquenti Auctori libelli de poesi Homeri Plutarcho falso adscripti: διῃρημένη ἑκατέρα εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν στοιχείων, οὐχ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ, ἀλλ' ὑπὸ τῶν γραμματικῶν τῶν περὶ Ἀρίσταρχον. Neque denique obest quod ab illo Zenodoti elencho argumentorum Iliadis, cuius fragmentum in Tabula Iliaca Parisiensi servatur, omnis librorum singulorum distinctio abest, quum huius libelli longe alia ratio est, atque ea quidem, quae cum Zenodotia

stathium est (nam quod μετ' ἐκεῖνον dicitur, non temporis, quo uterque grammaticus vixerit, sed auctoritatis et famae habita ratione dicitur) instituta est illa singulorum librorum appellatio a litterarum nominibus ducta, quippe qua videretur commodo ea carmina tractantium prospici. Atque in Schol. A. Iliadis, sicubi liber aliquis singulatim laudandus est, quod tamen raro fit, quum in singulis locis Homericis citandis a notando libro grammatici utplurimum abstinuerunt, non memini aliam laudandi rationem legere quam per litterarum, quibus libri signati sunt, nomina, ut μ, 157. Item in Schol. Vict. v. c. π, 202. Item in Papyro Iliadis lib. XVIII. partem continente, cuius notitia in Gerhardii Archaeol. Zeitung 1849. No. 8. p. 93 exhibetur, sub calcem libri dicti subiicitur ΙΛΙΑΔΟΣ; item Codex papyraceus Iliadis ω magnam partem sistens a Bankesio repertus, cui fine subscriptum ΙΛΙΑΔΟΣ ω; v. Philological Museum T. I. p. 187 Tabulamque ibi adiectam p. 177. Eundem morem, quem Apollonius quoque observavit Lexico Homerico, testantur monumenta antiqua. Anaglypho, quo res Ulixis cum Circe gestae exhibentur, libro Odysseae decimo enarratae, subscriptum legitur: ΕΚ ΤΗΣ ΔΙΗΓΗΣΕΩΣ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΑΛΚΙΝΟΥΝ ΤΟΥ ΚΑΠΠΑ, teste Barthelemio. [2]) Quod Crates a nonnullis nostrae aetatis scriptoribus Suidae scilicet testimonio abusis Homerica carmina in octo vel novem partes divisisse traditur, id errori tribuendum esse ostendit Wegener De aula Attalica I. p. 116. sq. 124. sq. Serius, ut ego quidem existimo, adinventa alia librorum singulorum inscribendorum ratio duplex, ab argumento petita, de qua Eustathius p. 6. Lips.: φέροντα δὲ καὶ ἕτεραι ἑκάστου γράμματος ἐπιγραφαὶ ἀνὰ δύο· μία μὲν ἐν πεζαῖς λέξεσιν, ἑτέρα δὲ ἐν στίχῳ ἡρωϊκῷ· καὶ αἱ μὲν ἄλλαι ῥηθήσονται κατὰ καιρόν.

totius Iliadis discriptione in libros nihil habeat commune. Qua de re dixi Quaest. Hom. I. p. 13.

2) Hinterlassene Schriften T. I. p. 279. Venuti Favola di Circe rappresentata in un antico greco basso rilievo di marmo in Roma, 1758. Guattani Mon. antichi ined. 1788. p. 11.

τῆς δὲ παρούσης ῥαψῳδίας ἡ μὲν πεζὴ ἐπιγραφὴ αὕτη· Λοιμὸς καὶ Μῆνις· ἡ δὲ ἔμμετρος ἥδε· Ἄλφα λιτὰς Χρύσου, λοιμὸν στρατοῦ ἔχθος ἀνάκτων. Reliquorum librorum titulos ab Eustathio diligenter perscriptos non opus videtur enarrare, in editionibus quibusdam aut integros aut ex parte repetitos. Ex re autem videtur adnotare quod minus notum est, utramque designandi rationem per litterae et argumenti indicem iuxta exstitisse atque una apponi solitam fuisse. Quod testatur fragmentum Tabulae Iliacae anaglyphae in Montefalconii Antiq. expl. Suppl. T. IV. p. 84. Tab. XXXVIII, quo primus Iliadis liber designatur indice A ΜΗΝΙΣ, quintus, qui ultimus est in Tabula, E ΔΙΟΜΗΔΟΥΣ ΑΡΙΣΤΗΑ. Secundi et tertii inscriptiones labe lapidis interierunt. De quarti Welckerus Ann. dell' inst. 1829. p. 231: „il y a de même, inquit, quelques lettres au quatrième chant, mais indéchiffrables.“ Apud Montef. exhibentur haec fere elementa:

Δ
αΝ
ΑΡΚ
ΚΥΣ
ΙΣ

quae quum ipsarum litterarum formae ostendant haud diligenti manu descripta esse, vix dubitare sinunt, quin scripta olim ita fuerint: Δ ΟΡΚΙΩΝ ΣΥΓΧΥΣΙΣ, quemadmodum huius libri titulus vulgo scribitur, adiectis insuper verbis καὶ ἐπιπώλησις Ἀγαμέμνονος, ut affert Eustathius ad huius libri initium, vel etiam Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησις. Adde quod inter argumenta Iliadis in Tabula Iliaca Parisiensi exhibetur ὁρκίων σύγχυσις καὶ ἐπιπώλησις, ex restitutione Bergkii. Ut vero marmor priorem tantummodo tituli totius partem exhibet, ita memorabile est quod ab Eustathio adnotatur, fuisse, qui hunc Iliadis librum simplici alterius nota ἐπιπώλησις appellassent. Praeter hanc singulos libros designandi rationem usu etiam quamvis rariore veniebat, singulum quemque a voce, a qua initium duceret, appel-

lare: cuius moris etiam ad alia scripta translati exempla nonnulla notavit Muetzellius Em. Theog. Hes. p. 368, quibus addendum quod teste Diogene Laert. V, 27 Aristotelis scripta quaedam ita designantur: Ἔπη, ὧν ἀρχή· Ἁγνὲ θεῶν πρέσβυσθ' ἑκατηβόλε. Ἐλεγεῖαι, ὧν ἀρχή· Καλλιτέκνου μητρὸς θυγάτερ. In Decreto Rhodiorum, quod O. Kellermann Ephem. litt. Hal. 1834. Intellig. 32. p. 262 vulgavit, ad nominandam certam quandam legem, huius initium perscribitur, hoc modo: ἔνοχος δ' ἔστω καὶ τῷ νόμῳ ὃς κεῖται· „Εἴ τίς κα κοινὸν ἀδικῇ," καὶ ἐξέστω etc. Hunc morem, quem ad hunc ipsum diem etiam pontifices Romani in bullis nuncupandis iurisque interpretes nonnulli in locis Digestorum citandis retinuerunt, etiam Romanos veteres suum fecisse testatur Gellius I, 15, 9, ubi Catonis locum laudans: »Namque, inquit, in oratione, quae inscripta est „*Si se Coelius trib. pleb. appellasset,*" *Numquam,* inquit, *tacet, quem* etc. ubi verba illa *Si se appellasset* non possunt non orationis principium constituisse.

Exposita iam ea ratione, qua Alexandrinorum aetate carminum Homericorum libri singuli distincti fuissent, ii quam speciem antea prae se tulerint ostendit Anecdotum Romanum, quo rhapsodias singulas non alio inter se modo quam signo coronidis interposito distinctas fuisse docemur. Rhapsodiae autem, quae dicuntur, si quidem debent ex mente grammaticorum explicari, non possunt aliae intelligi Homericorum carminum partes singulae, quam quas iam ab Alexandrinis criticis librorum octo et quadraginta numero numeratas scimus. In tot igitur partes corpus olim distributum fuit, nec tamen singula quaeque numero suo appellata fuit; quare ubi aliquis locus accuratius designandus esset, id commode vix aliter fieri poterat, quam ut ab argumento, cuius in tractatione reperiretur, appellaretur. Atque constans is antiquorum usus fuit, veluti apud Aristotelem, quem unum afferam, Art. poet. 16, 8, ubi pars Odysseae libri VIII citatur ἐν Ἀλκίνου ἀπολόγῳ, libri XIX ἐν τοῖς Νίπτροις,

aliaeque partes passim similiter. Idem Histor. anim. IX, 32: Ὅμηρος μέμνηται ἐν τῇ τοῦ Πριάμου ἐξόδου, quae spectant ad Iliadis ω, 315. Neque mala coniectura Payne Knight Proleg. ad Hom. §. VI. p. 10 ed. Ruhk. assequutus est, Φωκαΐδα, quod Homero carmen attribuatur, ex errore natam esse pro Φαιακίς, quo nomine ea Odysseae pars appellata esset, qua Phaeacum res enarratae sunt. Evolvas denique Platonis vel unos libros II et III de re publica, ut doceare, veteribus illa aetate in citandis locis Homericis eam commoditatem non praesto fuisse, qua posteriores usos esse iam scimus. Restat postremo corronidis signum advertere, quod solum in antiquis illis exemplaribus ad discernendas singulas rhapsodias adhibitum traditur: quod si igitur patet in antiquissimis signandis modis habendum esse, simul eo cur abstinuerit Aristarchus cum ceteris eius classis criticis in aprico est. V. §. 55.

§. 88.

De Nicanore grammatico.

Ad finem tandem properanti mihi nihil aliud reliquum video quam ut antequam operi coronidem apponam, de scriptoribus iis verba faciam, quorum fide quae in hac extrema parte Anecdoti conscripta leguntur, niti tradantur. De Zopyro et Dicaearcho dictum §. 85. De Aristoxeno v. Excursum I. Supersunt Nicanor et Crates, de quibus seorsim disputandum est. Ac primum de Nicanore circumspicienti nemini non se offert grammaticus is, qui sub Hadriano imp. clarus variorum scriptorum grammaticalium, quae ex parte enumeravit Suidas, [1]) auctor, praesertim in eo opere, quod περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς vulgavit, [2]) illud quod Anecdoti

1) Omisit Commentarios in Theocritum, de quibus v. Fritzsche De poet. gr. bucol. p. 34. De Nicanore aliisque huius nominis scriptoribus docte egit Beccardus De Schol. Iliad. Ven. p. 35 pluribus, quibus inspectis nonnulla eorum quae ante conscripseram omisi.

2) V. Friedlaenderum in Schneidew. Philologo IV, 3. p. 490. sq.

auctor Nicanorem quendam tradidisse refert, iecisse putari possit. Hunc vero ut intelligi credam tantum abest, ut de homine aetate longe antiquiore quaerendum videatur. Etenim in Anecdoto Rom. is non solum una cum scriptoribus multo vetustioribus commemoratur, sed quae tradidisse narratur, tam memorabilia sunt, ut si a Nicanore illo relata sunt, credibile non sit, ea in Scholiis Iliadis Venetis A., quae partim ex opere Nicanoris illius laudato sublecta esse constat, silentio praetermissa fuisse, praesertim in ipso Scholiorum limine, quo non solum varia de Iliadis principio enarrantur, sed carminis principium tale, quale vulgo habetur, fuisse statuitur. Immo quo reconditior illa de prooemio Iliadis diverso fama videtur, eo certius testem ea prodit, cuius aetas longe illius tempora superarit. Quare haud magis in censum venire potest Saevius ille Nicanor, cuius Suetonius meminit de ill. gr. 5, de quo etiam alias ob caussas cogitari nequit, quam ille Augusti Caesaris praeceptor Catilius Nicanor, cuius memoriam servavit Epigramma a Letronnio illustratum, in Ferussaci Bull. univ.

ubi mirabar nullam habitam rationem esse eorum, quae de Nicanoris doctrina περὶ στιγμῶν vulgantur in Bachmanni Anecdot. Gr. T. II. p. 316, nisi forte puerilia et ab antiquae eruditionis colore aliena visa Friedlaendero essent. Atque ita sensisse Friedlaenderum nunc didici ex Epimetro I, quod Nicanoris περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς reliquiis ab ipso a. 1850 editis adiecit p. 102. Ac sane ad Homericorum carminum distinctionem minime ea pertinent, fortasse autem sumpta, et fuco recentioris scholae interpolata, ex Nicanoris opere, quod praeter Suidam etiam Arcadius in Villoisoni Ep. Vim. p. 116. eum περὶ καθόλου στιγμῆς scripsisse tradit. Cf. Villois. Proleg. Hom. p. XXXI. Ceterum utar hac occasiene ut fragmentum a Friedlaendero in operis περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς censura desideratum addam, quippe a Villoisono pariter atque a Bekkero omissum, nunc demum ex codice ipso a Pluygersio in lucem protractum, De carm. Hom. veterumque in ea Schol. editione nova p. 11, ad γ, 109: ὑποστικτέον ἤτοι μετέησιν ἢ ὀπίσσω· ἡ μὲν οὖν προτέρα τοιοῦτον ποιεῖ τὸν λόγον· τά τε παρόντα καὶ τὰ ὕστερον προορᾶται ὅπως ἐν ἀμφοτέροις ἄριστα πραχθῇ· ἡ δὲ δευτέρα οὕτως· οἷς δ' ἂν παρῇ πρεσβύτης εἰς εἴς τε τὸ παρὸν καὶ εἰς ὕστερον οἷον πάντοσε.

des sciences Sect. VII. 1825. Alius rursus est, qui περὶ μετονομασιῶν scripsit, Leandri cognomine falso appellatus a Stephano de urb. v. Ὕδη, [3]) Cyrenaeus gente, teste Athenaeo VII. p. 296. F. Cf. Vales. ad Harpocr. v. Ἄκη. A quo Nicanore an distinguendus sit is qui a Stephano in rebus geographicis passim laudatur, vv. Ἀλάβαστρα, Δῆλος, Ἱμέρα, Μιέζα, ignoro: certum vero ad recentiorem illum sub Hadriano florentem referri debere quae idem affert vv. Ἄθλιβις, Ἀλεξάνδρεια (ubi liber περὶ Ἀλεξανδρείας citatur) et Τίβυρις, quippe quibus locis et Hermiae f. dicatur, quod idem testatur Suidas, et opus illud, Hadriano inscriptum, commemoretur. Hoc vero antiquiorem fuisse Nicanorem, qui vitae Alexandri M. auctor perhibetur, Scholiis Platon. in Phaedr. p. 315. Bekk. memoratum, Lactantius coarguit Inst. I, 6, ubi quae de Sibyllis traduntur, in quibus Nicanor laudatur, *qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit*, ea omnia ex Varronis Rerum divinarum libris expromuntur. Iam vero hic vitae scriptor an cum auctore libri περὶ μετονομασιῶν idem sit, neque affirmo, neque nego, quum ea de re in utramque partem disputari possit. Eundem esse cum Balacri filio, qui haud multo post Alexandrum M. floruerit, ingeniosa est Beccardi p. 35. coniectura. Porro nominandus est Nicanor Samius, cuius de fluviis liber secundus laudatur Plutarcho de fluv. p. 1158. De Nicanore denique Cyprio actum nunc potest videri apud Arnob. IV, 29, ex quo intellectum est a VV. DD. *Nicagora* pro *Nicanora* restituendum esse: quam scripturam iam adoptaverat Vossius, quem vide De hist. Gr. p. 474 et 475. Ad eundem Nicagoram refero Schol. Apollonii IV, 206, a Vossio neglectum. Postremo qui Stephano Byz. v. Ἱερὰ πόλις Hierapoli Cariae oriundus ὁ νέος Ὅμηρος dicitur, hunc suspicor diversum non esse ab eo, unde tota haec disputatio exorta est, auctore Ἰλιακῆς στιγμῆς.

Proposita hac Nicanorum variorum, quotquot ad notitiam meam pervenerunt, tabula, horum numquis ab auctore

---

3) V. Beccard. p. 40. sq.

Anecdoti dicatur quaerenti haud habeo aliter respondere quam perincertum mihi quidem videri, istorum an ullus intelligi debeat, quum nullus eius temporis vetustatem attingere videatur, quo quidem credibile est Nicanorem eum vixisse, quem auctor Anecdoti commemorat: adde quod res Homericas praeter auctorem Hom. interpunctionis tractasse nullus traditur.

§. 89.

De Cratete grammatico.

Nicanori adiungitur Crates, cuius de Heliconia Iliade sententia deque diverso huius principio fertur in Anecdoto Rom. in Diorthoticis proposita esse, ac merito iudicari poterit fuisse in iis controversiis Homericis, de quibus Cratetem inter et Aristarchum sive ore sive scriptis certatim disceptatum esse constat. V. Wegener Aula Attalica I. p. 118. sq. Quam Cratetis sententiam quum Aristarchum sumimus protinus improbasse, eius in Scholiis A rationem omnino non haberi iam non mirabimur. Poterat vero etiam Iliadem illam Heliconiam utique Aristarchus ignorare, scilicet in scriniis Alexandrinae bibliothecae cum aliis veterum exemplaribus fortasse desideratam, quae quidem in Pergamena reposita, industriae Alexandrinorum se subduxerant: qualis v. c. fabula una Aristophanica fuit, de qua monuit Wegener p. 127. Ut haec mittamus, non poterat ista Cratetis sententia aptiore loco quam in Διορθωτικῶν, octo vel novem libris comprehensorum opere proponi, quod diversum non est a Διόρθωσι Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας, quae tantum abest ut, quod olim putarunt nonnulli, contextum carminum Homericorum a Cratete constitutum in formam editionis sive recensionis exhibuerit, ut commentarios continuerit, quibus quae ad Homeri verba vel critica ratione constituenda vel illustranda sibi adnotanda viderentur proposuerat. Quam operis Cratetii indolem et rationem Wegenerus recte constituit p. 124, [1]) idem simul

1) Si pro certo, ut arbitror, sumi potest, Cratetis *diorthosin* et *diorthotica* idem opus fuisse, etiam molestior scrupulus ille

subiungendo digerendoque quae eius operis reliquiae ad nostram memoriam perlata sunt, viam ostendens, quo probabiliter loco operis quae ab auctore Anecdoti referuntur posita putari possint. Quum enim quae ad Homerum poetam eiusque poemata universe pertinerent, ea prooemio quodam, quod commentariis in Iliadem et Odysseam praemissum esset, comprehensa ostenderit, quale v. c. illud est quod de aetate poetae traditur, [2]) ex eodem commentariorum loco etiam quae in Anecdoto perscribuntur sumpta esse coniicias, nisi ea malis ex altero prooemio, quod Iliadem praeiret, petita putare. Si qui igitur, ut hoc addam, ex memoria horum Diorthoticorum concluserunt, exstitisse olim Homeri exemplum a Cratete correctum et notatum, ii nisi hanc opinionem aliis testimoniis corroborare sustineant, quod vereor ne fieri umquam possit, in errore versati putabuntur. Neque huc facit, quod critici nomine nonnumquam, licet rarius, Crates nuncupatur, plerumque ille grammatici appellatione antiqua vocatus, qua ipsa nominatus in iis, qui exegesin Homeri reliquissent, refertur a Dione Chrysostomo Or. LIII. T. II. p. 274. Reisk., quo loco apprime iam usus erat Villoisonus Prol. Hom. p. VIII.

---

redditur, quem sibi residere ait Schmidtius post Nauckii Aristoph. Byz. p. 314. de Callistrati editione Iliadis ex uno loco Schol. Iliad. γ, 80, quo Didymo laudatur ἡ Καλλιστράτου, agnoscenda: potest enim suppleri διόρθωσις, quo nomine necesse non est ut intelligatur exemplum Homeri a quopiam descriptum, quamquam alibi inter διορθώσεις vel etiam ἐκδόσεις et ὑπομνήματα accurate distinguitur, ut Schol. Iliad. β, 192. δ, 3. Immo quae in Scholiis passim Callistrati nomini vindicantur scripta, v. c. τὸ πρὸς τὰς ἀθετήσεις, τὸ περὶ Ἰλιάδος, τὰ διορθωτικά, ea vereor ne rectius pro uno eodemque opere habenda sint, quo non ipse contextus Homeri integer, sed commentarii Homerici contenti essent. Atque eo ipso loco, quo ἡ Καλλιστράτου citatur, simul agitur de ἀθετήσει Zenodoti. Ceterum commentarii hi, ut hoc obiter admoneam, una et Odysseam comprehendisse videntur, quod abunde testantur Scholia.

2) V. Wegener p. 132, qui ubi dissensisse scriptores de Cratetis circa Homeri aetatem opinione adnotat, negligere non debebat testimonium quod ex Ms. in Iriartii Catal. Bibl. Matrit. T. I. p. 233, excitavit Neumann Aristotelis Rer. publ. reliq. p. 159: Κράτης δὲ μετὰ ἑξήκοντα ἔτη τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου γεγονέναι φησὶν αὐτόν.

EXCURSUS SEX

CUM

E P I M E T R O.

Excursus I.

De Aristoxeni scriptis nonnullis.

Certissimus, quem Anecdoto Rom. p. 5 vindicavi, operis Aristoxenii titulus, de quo opere, unica Harpocrationis auctoritate fretus, Mahnius Diatr. de Aristoxeno, quum ea de re verba faceret p. 128 et 149, dici non potest quam parum in hoc loco illustrando profecerit. Falsum enim non solum, quod confinxit, operis nomen Πραξιμαντια, sed, quum Reinesium Var. lect. I. p. 39 cognosceret statuentem, eo opere historiam vitae rerumque Praxidamantis, quem finxerat Pythagorae sectatorem fuisse, tractatam esse, fuisseque hanc historiam magni περὶ βίων operis particulam; contra vero Ionsium Script. hist. phil. p. 78 intelligeret argumentum operis, quum Pythagorii Praxidamantis nulla mentio apud quemquam veterum reperiretur, ad Praxidamantem referre malle, qui teste Suida v. χιάζειν musicus fuisset librumque de poetis, arte poetica s. de musicis scripsisset: utrius verior esset sententia, pronuntiare in re paene manifesta ausus non est, satis sibi aliisque fecisse ratus, si apponeret, qui Aristoxenii libri cognitionem unice proderet, locum Harpocrationis v. Μουσαῖος. — Περὶ δὲ Μουσαίου Ἀριστόξενος ἐν τοῖς Πραξιδαμαντίοις φησὶν ὅτι οἱ μὲν ἐκ Θρᾴκης εἰρήκασι τὸν ἄνδρα εἶναι, οἱ δὲ αὐτόχθονα ἐξ Ἐλευσῖνος· εἰρήκασι δὲ περὶ αὐτοῦ ἄλλοι τε καὶ Γλαῦκος.[1] Ad quem locum

---

1) Valesius: „Glaucus Rheginus, qui de poetis volumen insigne composuit, de quo Stephanus et Plutarchus in Antiphonte. Glaucus Teius dicitur ab Aristot. lib. 3 rhetor. initio, quod e Teo Rhegium profectus erat.“ At in Aristotelis libris est Γλαύκων, ut hic a Glauco Rhegino distinguendus sit, de quo

Valesius, quem Mahnius neglexit, πραξιδίοις sibi videri legendum adnotaverat, ni forte Πραξιδαμαντίων nomine Aristoxenum librum suum inscripsisse ex his Suidae v. χιάζειν colligendum esset: Πραξιδάμας Δημόκριτον τὸν Χῖον καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον πρώτους ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν. ὡς Ἰσοκράτης ἐν τοῖς πρὸς Εἰδόθεον. Exstitit igitur Praxidamas, cum Praxidamante athleta Aeginéta, de quo Boeckhius Expl. ad Pindari Nem. VI. p. 408, minime contundendus, sat antiquus libri, quo res musicales tractatae essent, auctor, fortasse et ipse musicus, haud inclarus, ut ab eius nomine Aristoxenus opus suum, quo de eodem argumento ageret, Πραξιδαμάντια inscripserit, pluribus uno, ut ex nominis plurali et ex Anecdoto nunc constat, libris comprehensum. De Praxidamante nihil insuper liquet. De Democrito et Theoxenida lyricis a Praxidamante commemoratis v. intpp. ad Suidam, cui recte nunc Σωκράτης allato Schol. Apoll. Rh. I, 1208 vindicatum est. ²) Illud autem

aperte Plutarchus de mus. p. 1132 (T. X. p. 654): Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας ἐν συγγράμματί τινι τῷ περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν, eodem nomine mentionem eius passim per hunc librum faciens, p. 1133 (p. 657). 1134 (p. 660). Tum distinguendus videtur a Samio Glauco grammatico, quo usus Varro est, laudatus Walzio de senario p. 62 (coll. Eichenfeldii Anal. gramm. p. 489 et 583), ubi de rebus musicis agit, cuique Scholiastes Platonis p. 383 Bekk. τέχνην γραμμάτων tribuit. Rursus alius videtur Tarseus, hoc cognomine memoratus in Schol. Iliad. ε, 1.

2) Ad eundem Socratem fortasse respexit Censorinus de die nat. 12, quo loco iuxta Aristoxenum Socratis testimonium laudatur, qui musicam in sola voce constitisse dixerit. Platonicus fortasse intelligitur: sed adhuc non contigit locum investigare, quo ista dixerit: quem cupio ab aliis mihi monstrari. Ceterum de integritate lectionis in loco Censorini non est res prorsus confecta, quandoquidem cod. Darmstadiensem, iterum iterumque a se examinatum, Guil. Crecelius, iuvenis eruditus Gissensis, me docuit .So. Crates exhibere, non uti *Socrates*, ut Iahnius narrat, puncto post *so* posito pro *s* habito, quum pro indice suprascripti *So* sit. [illegible] quendam Socratem, qui de natura hominis scripserit, laudat Aristotelis Me-

mirum videri debet, quod Plutarchus, in conscribendo suo de musica libro locupletissimis fontibus usus, lyricorum illorum nomina ignorat, praesertim ubi de genere chromatico deque vetustate eius cetera omnia superante verba facit p. 1137 (p. 670).

Ad huius igitur Praxidamantii operis rationem si probabile est Aristoxeni Πραξιδαμάντια, ad quae revertor, composita fuisse, proclive est ad coniiciendum, ab his non diversum fuisse opus, quod περὶ μουσικῆς inscriptum, pluribus libris comprehensum (quartum memorat Athenaeus) Aristoxenus edidisse traditur. De quo opere vide Mahnium p. 137. sq., in eo concinnando iusto severius versatum, quum repudiaret quod Plutarchus de mus. p. 1134 (p. 661) servavit: Ὄλυμπος δὲ, ὡς Ἀριστόξενός φησιν, ὑπολαμβάνεται ὑπὸ τῶν μουσικῶν τοῦ ἐναρμονίου γένους εὑρετὴς γεγενῆσθαι: nam quum idem p. 1136 (p. 666) Aristoxenum ἐν πρώτῳ περὶ μουσικῆς de Olympo modorum quorundam inventore egisse tradat, valde probabile est, ex eodem opere illa quoque adscita esse. Quod si tenemus, quae alio Plutarchi loco eiusdem libri p. 1136 (p. 666) de Sapphone deinceps excitantur, ex eodem Aristoxeni opere exhiberi, quod fugit Mahnium, credibile est: Ἀριστόξενος δέ φησι Σαπφὼ πρώτην εὕρασθαι τὴν μιξολυδιστί, παρ' ἧς τοὺς τραγῳδοποιοὺς μαθεῖν· λαβόντας γοῦν αὐτοὺς συζεῦξαι τῇ Δωριστί· ἐπεὶ ἡ μὲν τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ ἀξιωματικὸν ἀποδίδωσιν, ἡ δὲ τὸ παθητικόν. Μέμικται δὲ διὰ τούτων τραγῳδία. Neque iam dubium ullum relinquitur quin quae continuo subiunguntur, si modo pro φασι, ut vulgatur, φησι mecum rescribas, eidem Aristoxeno tribuenda sint, quod haud magis vidit Mahnius: Ἐν δὲ τοῖς ἱστορικοῖς τοῖς ἁρμονικοῖς Πυθοκλείδην φασι τὸν

---

taph. VI. p. 1036. b. ad quem locum cf. Alexandr. Aphr. p. 482 Bonitz., et 1037, fortasse haud diversum ab eo de quo Meletius in Crameri Anecd. Ox. T. III. p. 1: Σωκράτης δὲ ἐτυμολογίας μᾶλλον μορίων καὶ ὀνομάτων ἐν τῷ περὶ φύσεως ἀνθρώπου συντάγματι αὐτοῦ, ὡς γραμματικὸς ἢ φιλόσοφος συνετάξατο. Atque notandum in altero Aristotelis loco l. rationem haberi musicae.

αὐλητὴν εὑρετὴν αὐτῆς γεγονέναι. Λύσις δὲ... Etenim nomine τῶν ἱστορικῶν τῶν ἁρμονικῶν patet Aristoxeni musici aliquod opus significari, sive τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων, quorum de varia apud scriptores notatione v. Koepke De hypomnematis Graecorum, Berolini 1842, p. 11, [3]) pars fuerit, sive singulare opus fuisse dicamus, quo Aristoxenus ea complexus esset, quae ad historiam harmonices pertinerent. His aliisque, quae ex aliorum testimoniis refert, interpositis Plutarchus mox ad Aristoxenum redit eiusque de musica libros, quos expresse nominando indicare voluit, quibus testibus hic et supra usus sit. In ceteris fragmentis, quae de rebus musicis agunt et sine operis nomine circumferuntur, quorum satis magna copia ad nos pervenit, [4]) digerendis

3) Fallitur egregie, ut hoc obiter moneam, Koepkius, quum Aristoxenum singulare opus de vitis virorum illustrium, Βίους ἀνδρῶν, scripsisse negaret, omniaque quae ad hoc argumentum in fragmentis Aristoxeniis pertinerent in Commentariis tractata esse statueret, in hunc errorem scilicet eo inductus, quod eius tituli apud solum Plutarchum mentio fieret. Rem expedit Hieronymus de viris illustr. prologo: *Hortaris me, Dexter, ut Tranquillum sequens ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, et quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam . . . Fecerant quidem hoc idem apud Graecos Hermippus peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir et longe omnium doctissimus Aristoxenus musicus.* Constat Graecos hic laudatos Βίων auctores fuisse. Ceterum ea de re praeter Mahnium vide Ritterum de Didymi opusc. p. 46.

4) V. Mahne p. 156. Unum designabo, Συμμίκτοις συμποτικοῖς, quem librum laudat Athenaeus (v. Mahne p. 116), ut mea quidem fert opinio, vindicandum, apud eundem Plutarchum p. 1146 (p. 701) repertum: Συνέβαινε γὰρ εἰσάγεσθαι [in convivium] μουσικήν, ὡς ἱκανὴν ἀντισπᾶν καὶ πραΰνειν τὴν τοῦ οἴνου ὑπόθερμον δύναμιν· καθάπερ που φησὶ καὶ ὁ ἡμέτερος Ἀριστόξενος· ἐκεῖνος γὰρ ἔλεγεν εἰσάγεσθαι μουσικήν, παρ᾽ ὅσον ὁ μὲν οἶνος σφάλλειν πέφυκε τῶν ἄδην αὐτῷ χρησαμένων τά τε σώματα καὶ τὰς διανοίας· ἡ δὲ μουσικὴ τῇ περὶ αὐτὴν τάξει τε καὶ συμμετρίᾳ εἰς τὴν ἐναντίαν κατάστασιν ἄγει τε καὶ πραΰνει. Παρὰ τοῦτον οὖν τὸν καιρὸν ὡς βοηθήματι τῇ μουσικῇ τοὺς ἀρχαίους φησὶ κεχρῆσθαι Ὅμηρος.

non laborabo: sufficiet ad viam monstrandam unum notasse, iis omnibus locis, qui certo ex libris de musica laudati dicuntur vel iisdem supra vindicati sunt, de historia musicae agi: quo simul coniectura supra proposita de ratione τῶν Πραξιδαμαντίων haud parum sustentatur.

Quum semel in Aristoxenum inciderimus, unum alterumque locum iuvat notare, quo Mahnii syllabus fragmentorum suppleri poterit.

Τὰ Μαντινέων ἔθη.

Phaedrus de nat. deor. p. 23 ed. Petersen, ubi de natura deorum sententia Stoicorum exponitur: ἀνθρωποειδεῖς [deos] γὰρ ἐκεῖνοι οὐ νομίζουσιν, ἀλλὰ ἀέρας καὶ πνεύματα καὶ αἰθέρας, ὥστ' ἔγωγε καὶ τεθαῤῥηκότως εἴπαιμι, τούτους Διαγόρου μᾶλλον πλημμελεῖν. Ὁ μὲν γὰρ ἔπαιξεν, εἴπερ ἄρα τοῦθ' οὕτως ἐστίν, ἀλλ' οὐκ ἐπενήνεκται, καθάπερ ἐν τοῖς Μαντινέων ἔθεσιν Ἀριστόξενός φησιν. Ἐν δὲ τῇ ποιήσει, κατ' ἀλήθειαν ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι τοῖς ὅλοις οὐδὲν ἀσεβές, παρενέφαινεν, ἀλλ' ἐστὶν εὔφημος, ὡς ποιητής, εἰς τὸ δαιμόνιον, καθάπερ ἄλλα τε μαρτυρεῖ καὶ τὸ γεγραμμένον εἰς Ἀριάνθην τὸν Ἀργεῖον·

θεὸς, θεὸς, πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου νώμα φρένα ὑπερτάταν·

καὶ τὸ εἰς Νικόδωρον τὸν Μαντινέα·

κατὰ δαίμονα καὶ τύχαν τὰ πάντα βροτοῖσιν ἐκτελεῖσθαι.

Τὰ παραπλήσια δ' αὐτῷ περιέχει καὶ τὸ Μαντινέων ἐγκώμιον. Ad quem locum bene admovet editor Aeliani V. H. II, 23, ubi de Nicodoro athleta, qui leges, quas a Diagora Melio accepisset, Mantineensibus dedisse traditur. Ceterum ex Phaedri loco egregie supplentur ea quae de dithyrambis Diagorae nuper contulit Lütke De Graecorum dithyrambis, Berolini 1829, p. 69: quos dithyrambos nunc constat dialecto dorica, ut coniicere par erat, conscriptos fuisse. De Arianthe mihi haud magis quam Petersenio liquet.

Tzetzes Schol. ad Exeg. in Iliad. p. 127. Herm. Πολλοὶ τῆς Ὁμηρικῆς ἐτυμολογίας ἐπεμελήθησαν] Πλάτων, καὶ

'Αριστο[τέλης?], οἱ φιλόσοφοι, Σωρανός, Ἡρωδι[ανός], Φιλόξενος, 'Αριστόξενος etc.

Schol. Ven. Iliad. ν, 358: τῷ δὲ ἐπαλλάξαι ἐπὶ τοῦ συνάψαι χρῶνται καὶ τῶν πεζολόγων τινές, πλεονάζει δὲ 'Αριστόξενος ὁ μουσικὸς ἐπηλλαγμένα λέγων τὰ συνημμένα· οὕτως ὁ Κοτιαεύς [Alexander.]

Πυθαγορικαὶ ἀποφάσεις.

Recte ita potius quam Πυθαγορικὰ ἀποφθέγματα, ut vulgo credebatur, Aristoxeni librum inscriptum fuisse, ostendit Mahnius p. 96: cuius differentiae rationem hanc esse idem monuit, ut hoc vocabulum breve et acute dictum, illud enuntiationem sive sententiam notet. Quod aliquantum confirmatur loco quodam Fulgentii Mytholog. II, 9, qui a Mahnio neglectus, apud Staverenium ita vulgatur: *Nam et Aristoxenus in Lindoscemiarum libro, quem scripsit, similia profert:* quo in corrigendo libri laudati titulo frustra desudarunt superioris aetatis editores, quorum tentamina tacere praestat. Retractavit locum nuper Iacobsius Merkw. d. Herzogl. Bibl. zu Gotha T. II. p. 420: „Membr. [Goth.], (ἀρΗcτωξενοc suprascr.) *in livido fecennarum libro.* Supra scriptum: *al'. libito. al'. fecemarum aut sententiarum.* Cod. Leid. *in livido sententiarum libro.* cum glossa: *in quo disputat de livore i. e. invidia.* Lectio *sententiarum* si vera est cogitandum de libro τῶν ἀποφάσεων Πυθαγορικῶν, a nonnullis *Apophthegmatum liber* appellato... Valde suspicor in depravata lectione *fecemarum* et *fecennarum* nihil aliud latere quam *ftegmatum*, pro *apoftegmatum*, alteram autem lectionem *sententiaram* illius esse interpretationem. De *livido* vel *libito* non statuo.“ Mihi vero non solum quod difficilius sit *ftegmata* agnoscere, quod φθέγματα pro ἀποφθέγματα nemo umquam dixit, sed etiam propter litterarum vestigia nihil verius videtur lectione *sententiarum*, quod ex *fecemarum* vel *fecennarum* facillime eruitur, et plane, ut Iacobsius perspexit, cum Aristoxeni libro τῶν ἀποφάσεων convenit.

Hoc posito contigit quoque vim residuae lectionis *libito* vel *livido* pernoscere. Laudatur scilicet Aristoxeni auctoritas sententiae confirmandae gratia eorum, qui in iecore Promethei a vulture lacerato imaginem livoris pingi arbitrati sint. Quum iam apud Aristoxenum appareat de livore sive invidia actum esse, non potest non *in livido* probabilis lectio videri, insuper et corroborata et in eandem sensus rationem explicata a glossatore Leidensi. Tum si hanc phrasin ita accipiamus, ut argumentorum variorum, quae Aristoxenus in Sententiarum libro tractaverit, locus unus ea significetur, id mirifice quadrat ad formam, qua iste liber compositus videtur. Etenim fragmenta operis consideranti, non potest dubium esse, quin ita liber dispositus fuerit, ut singulae materiae, quae erant ex doctrina morali et politica sumpta, seorsim et ita quidem tractatae essent, ut auctoris placita de singula quaque materia singulis nominibus sive titulis subiecta exponerentur. Secundum hanc operis formam Aristoxenus uno capite *de cupiditate* egit (v. Mahn. p. 98), alio *de instituenda iuventute* (v. Mahn p. 101), alio *de pietate parentibus legibusque debita* (v. Mahn. p. 104), alio *de liberorum procreatione* (v. Mahn. p. 107), alio *de fortuna* (v. Mahn. p. 109). Haec si ita habent, quod pluribus non opus persequi, quidni etiam *invidiam* seorsim tractare potuit? quod caput si v. c. περὶ τοῦ φθονεροῦ inscriptum sumamus, patet quo sensu Fulgentius *in livido*, perplexo suo loquendi more, scripserit.

Quem Ammonii locum ex Aristoxeni Νόμοις παιδευτικοῖς Mahne p. 125. affert de discrimine αἰδοῦς et αἰσχύνης, eum cum aliqua lectionis varietate ex cod. Sorbon. profert Gaisfordius ad Tzetz. ad Hesiodi Op. 192. Sed longe majore rei differentia Aristoxeni sententia refertur a Schol Euripidis ed. Beckii T. III. p. 40: Αἰδὼς γάρ ἐστιν, ὥς φησι Ἀριστόξενος ὁ μουσικός, ἡ ἐπ᾽ ἀγαθοῖς βία καὶ ὑποστολή, αἰσχύνη δέ ἐστιν ἡ ἐξ αἰσχρῶν πραγμάτων ἀτιμία καὶ κατηφία.

Conveniunt tamen ex parte cum iis quae Mahnius ex eodem Ammonio apposuit p. 126.

Ad Aristoxeni doctrinam de rhythmica pernoscendam cum fructu nunc conferentur, quae eius vestigia tum leguntur tum colliguntur ex Pselli opusculo inscripto Προλαμβανόμενα εἰς τὴν ῥυθμικὴν ἐπιστήμην, quod postquam locos excerptos Morellius antea vulgarat, integrum nunc editum debemus industriae I. Caesaris in Mus. Rhen. 1842. p. 620 sq.

Excursus II.

De Philoxeno Alexandrino grammatico.

Triginta abhinc annis quum de Philoxeno grammatico quaedam conscriberem Epimetro II. ad Philem. Lex. techn., in aetate eius constituenda non eram nescius divinatione me potius quam certa argumentatione ductum esse, ideo tamen non spernenda, quod quae de Philoxeni temporibus universe statui posse videbantur, ea ex grammaticorum, quibuscum Philoxenus saepius laudaretur, praesidii nonnihil acciperent. Itaque non tanti erat me monere, id quod coniecturae loco ipse proposueram, fide carere, siquidem ea intelligitur fides, quae convelli nequeat. Hoc tamen me monere post Ritschelium tanti visum est M. Schmidtio (Schneidew. Philol. IV, 4. p. 627. 631), qui quod inchoaveram olim opus de Philoxeno retractaturus, omni modo demonstrare adnisus est, Philoxenum, quem saeculo fere ante Chr. n. vixisse ieceram, uno post grammaticam Romae professum esse. In quo labore viri admiratus sum ingenium multiplex, quippe quum sententiam meam fide carere iudicaret, non intelligentis, quam ipse proponeret, eam haud certiore argumentatione niti. Sunt enim ea quae attulit argumenta haud minus in coniectura posita omnia, ita ut iam non agatur, utrius nostrum sententia

verior sit, sed utra veri similior. Nam quum scriptorum Graecorum eorum qui de Romani sermonis indole scripsissent, quibus Philoxenus adsignandus est, nullus reperiatur, qui Varrone multum antiquior sit, ultraque Neronem imp. aetatem produxerit, ait Schmidtius p. 631, haud ita multum a vera ratione nos aberraturos, si Philoxenum illis temporibus, quae inter Varronem Neronemque intercedant, grammaticam esse professum statueremus: quasi ex hac ipsa ratione concludi nequeat, Varronis aetate, h. e. eo ipso saeculo, quod ego statueram, eum vixisse. Atque ancipitem esse totam hanc argumentandi rationem, vel Eggeri potest iudicium testari, ex iisdem fere rei momentis colligentis, Philoxenum Ammonii fuisse successorem eius, qui ante Augustum Aristarchiae scholae Alexandriae praefuisset, Examen crit. des historiens d'Auguste p. 110. De quo Ammonio dictum §. 14. Haud melior procedit alia demonstrandi ratio ex conditione Scholiorum A. Iliadis subiecta p. 633. Quum Philoxenus in iis grammaticis non sit, quorum ex libris Scholia illa conflata sint, contra memoria eius fere iis tantummodo Scholiorum frustulis debeatur, quae Herodiano colore facile ab aliis distinguantur, hinc apparere videri ait Schmidtius, Philoxenum illis fere temporibus vixisse, quae inter Aristonicum et Herodianum intercessissent: quae argumentandi ratio quam firmo pede incedat non est quod ostendam, quum praesertim eiusmodi loci, quales sunt υ, 471 et χ, 28, §. 5 excitati, quibus Philoxenus laudatur, magna cum probabilitate Aristonico tribuantur. Integra igitur res est. Illud vero perspexit Schmidtius, quod in utramque partem pari iure adhiberi potest, Apollonio Dyscolo Philoxenum fuisse antiquiorem: quod ex huius memoria apud Apoll. in Bekkeri Anecd. p. 515 colligitur, ubi *Philoponi* nomine dici Philoxenum non est dubium, sive illud cognomen fuit, quod ab assiduitate laboris Philoxeno inditum esset, ut censet Schmidtius p. 633, sive pro Φιλόπονος Apollonio restituendum est Φιλόξενος, quod proposuit, qui primus hic de Philoxeno agi ani-

madvertit, Iacobus Elink Sterk in Symbol. litt. doctor. Batav. VII. p. 21. In hoc rei discrimine si tamen de temporis articulo, quo Philoxenus fere vixerit, diiudicandum est, acquiescere debemus in probabilitate vel ex tenuissimo argumento conficienda: quale illud est, quod cum Philopono illo sive Philoxeno ab Apollonio Chaeremo Stoicus et Trypho grammaticus una eiusdem doctrinae auctores excitantur: quorum quum hunc Augusti fere temporibus floruisse constet, ille suppar eidem putari debet, quandoquidem Aelium Gallum per Aegyptum navigantem Chaeremo comitatus esse Straboni dicitur XVII. p. 806, atque in Cornuti Stoici praeceptoribus censetur a Martino De Cornuto p. 37. [1]) Quid inde? Nonne fas erit coniicere in eandem fere Philoxeni quoque aetatem? Sed tantum: nam et hoc in sola coniectura positum. Ac potuissem hic disputationi de Philoxeno finem imponere, ideo solummodo a me institutae, quod argumentum §. 3 tractatum de aetate huius grammatici quaestionem exigere videbatur, nisi quae olim de Philoxeno conscripseram, ea nunc multis nominibus amplificari et vel corrigi vel etiam stabiliri posse intellexissem: quarum curarum secundarum quum iam specimina nonnulla adiungo, eorum quae Schmidtius l. l. ad eandem locum illustrandum attulit, hanc habui rationem, ut occupata inducerem, in ceteris vero viam eam sequerer, quam aliquot annis ante vulgatam Schmidtii disputationem ingressus eram.

Ordiamur ab indice scriptorum locupletissimo, his Suidae contento: Φιλόξενος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός· ὃς ἐσοφίστευσε ἐν Ῥώμῃ. Περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων. Περὶ σημείων τῶν ἐν Ἰλιάδι. Περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων. Περὶ διπλασιασμοῦ. Περὶ μέτρων. Περὶ τῆς τῶν Συρακουσίων διαλέκτου.

1) Conferri de hoc scriptore Schmidtius iubet Bartsch De Chaeremone p. 5 et Westerm. ad Voss. Hist. Gr p. 209. Addamus locum a Westermanno certe non laudatum Cosmae Indicopl. p. 341. D. Montefalc., ex quo Chaeremonem patet in libris quos conscripsit rerum Aegyptiacarum inter alia etiam Moysis et exodi mentionem fecisse.

Περὶ Ἑλληνισμοῦ, ς΄. Περὶ συζυγιῶν. Περὶ γλωσσῶν, ε΄. Περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν. Περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου, καὶ τῶν λοιπῶν. Locupletissimum hunc indicem non eo sensu dixi, quo omnia quae litteris Philoxenus mandasset eo comprehensa esse significarem, neque quod eo singulorum scriptorum accurata notitia exhiberetur; ac pluribus eum locis laborare tum abundantia, tum inopia, ex iis colligitur, quae olim ea de re conscripsi, hic nisi re cogente non repetenda. Ac primum quod ad numerum scriptorum attinet, addendus est, quem de comparativis scripsit, tractatus, Etym. M. p. 31, 11 v. αἰδοιέστατος, et alibi, p. 195, 11. 227, 34, commemoratus: Φιλόξενος εἰς τὸ περὶ συγκριτικῶν. Maioris momenti est quod de constringendo scriptorum a Suida indicatorum numero dixi, id quod ad ea inprimis pertinet quae de dialectis agunt. Haec quum olim statui p. 311 unius operis partes esse, a quibus unos libros περὶ Ἑλληνισμοῦ arcendos esse nunc video, ea sententia plane confirmatur loco, qui tum me fugiebat, Etym. Gud. p. 339, 13. v. κορυφή, quo Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ διαλέκτων laudatur, quo nomine tractatus de dialecto Romanorum et de Iade una cum aliis consimilibus comprehensos esse Ritschelius quoque censuit De Orione p. 76: simul etiam probata videbitur coniectura mea olim proposita, librum περὶ τῶν διαλέκτων, non indicato auctoris nomine Philemoni Lex. techn. laudatum, a Philoxeni opere diversum non esse, Tum si iam patet, libros περὶ τῆς τῶν Συρακουσίων διαλέκτου, περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου, περὶ τῶν Λακώνων διαλέκτου corporis unius membra fuisse, consectarium paene videtur, ut Philoxenum etiam ceteras dialectos attigisse censeas: quod Suidae verbis καὶ τῶν λοιπῶν indicari, haud male coniecit Meierus Comm. Andoc. VI, 3. p. VII, isto nomine non dubitans quin libri de Dorica, Aeolica et Attica dialectis significentur. Ac de Aeolica ipse iam videram p. 315, fragmento grammatici incerti [2]) adiutus, quod vulgaverat Peyronus.

2) Choeroboscum esse docemur ex Canonibus eius nunc a Gaisfordio editis T. II. p. 505.

Neque denique dubium erit, quin eiusdem corporis etiam fuerit liber περὶ τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου, quem non debebat ad Flavium Philoxenum, antecessorem Constantinopolitanum, Lexici conditorem, referre Weberus De Latine scriptis quae Graeci veteres in linguam suam transtulerunt, Cassellis 1835, Part. I. p. 26. Ex eodem illo opere possint sumpta putari quae ex Philoxeno de etymo v. *Martem* excitat Ge. Cedrenus Hist. T. I. p. 295. Bonn.

Unum librum περὶ διπλασιασμοῦ recenset Suidas, quum duos fuisse, unum περὶ διπλασιασμοῦ, alterum περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ inscriptos, ostendi p. 317: ubi quum simul docuissem, quo discrimine his duplicationis generibus grammatici usi essent, his nunc adde Manuelis Moschop. Gramm. ed. Titze p. 28: Ἀναδίπλωσις ἐστὶ προσθήκη συλλαβῆς διὰ τῶν αὐτῶν συμφώνων συλλαβὴν ποιοῦσα ἐπαλλήλων ἐκφοράν, οἷον κλῦθι, κέκλυθι. [3]) Idem p. 29: Διπλασιασμός ἐστι τοῦ αὐτοῦ συμφώνου προσθήκη ἐντὸς τῆς πρώτης καὶ τελευταίας συλλαβῆς, οὐ ποιοῦντος συλλαβήν, οἷον ἔδεισεν, ἔδδεισεν. Cf. Phavor. Eclog. p. 265. His positis potest de lectionis varietate iudicari in Etym. Gud. p. 31, v. ἀλακάτη, quae sumpta dicuntur ex Philoxeno ἐν τῷ περὶ διπλασίων, ubi postremae voci manifeste vitiosae succurrunt codd. duo Vindobonenses, quorum unus habet περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ, quod genuinam scripturam praestat, alter περὶ διπλασιασμοῦ, laudati uterque Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. p. 1195: memoratu autem dignum videtur, Philoxenum, quum vocem ἀλακάτη ab ἀκτῇ derivet, cui inserta sit vocalis α, in tractando ἀναδιπλασιασμῷ a vulgari huius figurae potestate nonnihil recessisse; etenim illud genus, quo vox una vocali inserta augeretur, epectasin a grammaticis proprie appellatam esse Moschopulus l. l. p. 28, ectasin Pha-

3) Ad notandam integrorum orationis membrorum geminationem eam figuram adhibuerunt rhetores. Zonaeus in Boissonadii Anecd. T. III. p. 313: Ἀναδίπλωσίς ἐστι λέξεων προφορὰ ἐπάλληλος οἷον „λέγε, λέγε τἀληθές“ Γίνεται δὲ καὶ μεταξὺ λέξεως ἐμβεβλημένης, ὡς τό· „ἀλλ' οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστι.“ Postrema sunt ex Demosthenis de cor. p. 242.

vorinus Eclog. p. 169 ostendunt. Inter ectasin et epectasin rursus distinguit Draco de metr. p. 156. His vero minime labefactatur Suidae auctoritas de libro Philoxeni περὶ διπλασιασμοῦ tradentis, qui titulus operis legitur in Etym. Gud. p. 24 v. ἄκαλος, ubi quod vulgatur Φ. ἐν τῷ περὶ διπλασιασμῶν, defensum a Ritschelio De Orione ex Etym. Ms apud Larcherum ad Orionem p. 24, oportet cedat lectioni ab uno codicum Vindobonensium suppeditatae διπλασιασμοῦ.

Binos glossarum libros Philoxenum scripsisse, quorum ille ἐθνικάς, hic Homericas complexus esset, statuit Meierus Comm. Andoc. VI, 3. p. V, quantum ad illas, fidem, opinor, sequutus Ms. in Bibl. Coisl. p. 597, ubi iis Philoxenus accensetur qui ἐθνικὰ scripsissent, Orioni Thebano (v. Ritschl. p. 50. sq.), Metrodoro, Longino: quod in suspenso eo magis relinquere malo, quod ea de re Schmidtium p. 640 longe aliter sentire video. De glossarum Homericarum conditione, utrum ad solam Odysseam eae spectarint, quod olim statui, an etiam Iliadem attigerint, dubius haereo, quandoquidem pluribus uno locis nunc demum animadverto Philoxeni nomen in Scholiis Iliadis citari. Sunt quidem in iis quidam, qui probabilius ex opere de signis Aristarchiis sumpti dicantur, ut suo loco supra dixi: sunt vero etiam qui ad meram interpretationem vocum Homericarum grammaticam spectant, veluti vv. σῶς ε, 887. βιβάσθων ν, 890 et ο, 676. αἴητον σ, 410. δαινῦτο ω, 665: quarum quidem vocum interpretatio posset ex aliis Philoxeni scriptis adscita putari, nisi postremi loci ratio ad caute agendum suaderet. Quum primo enim nomine auctoris nude posito Philoxeni obvervatio de formae δαινῦτο accentu, tum eiusdem alia de huius optativi numero singulari, quae proposita ab auctore ἐν τοῖς εἰς μι traditur (de quo libro infra iterum dicendum erit) exhibeatur, consequi videtur, in Scholiis Iliadis ubi simpliciter Philoxenus laudetur, intelligi aliquod opus, cuius titulum propter ipsius affinitatem cum Homericis commentariis apponere inutile visum esset. Quae quum ita sint, lubenter concederem,

illos locos ex Glossis in Iliadem sumptos esse, nisi possent eodem iure adsciti putari ex eo opere, quod Philoxenum de signis Aristarchiis scripsisse constat: qua de re vide quae supra §. 5 adnotavi.

Opus περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων duobus certe libris constitisse docemur ex Grammatico, cuius fragmenta vulgavit Ritschelius Prooem. lect. Bonn. 1847. p. XII: Δραπέτης παρὰ τὸ δρῶ τὸ σημαῖνον [ita compendium scripturae explico] τὸ ὑπηρετῶ· καὶ τὸ πτετῶ [πέτω?] ῥῆμα· δραπέτης ὅτι οἱ φεύγοντες τὴν δεσποτικὴν ὑπηρεσίαν, ὑπὲρ τοῦ μὴ λυφθῆναι [ληφθῆναι], ὡς οἷοί τε εἰσὶ τάχος χρῶνται. Φιλόξενος ἐν β' τῶν περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτω. En novum testem, ea quae apud Etym. M. p. 286, 42 de vocis δραπέτης origine leguntur, ex Philoxeno sumpta esse: quod iam ostenderat Cod. Paris. a Bekkero ap. Sturzium citatus, post v. ὑπηρεσίας addens: Φιλόξενος ἐν δευτέρῳ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων. Eiusdem operis mentio praeterea his fit in Schol. Iliad. β, 269: Χρῶ ἐστὶ ῥῆμα δηλοῦν τὸ ἅπτομαι καὶ πλησιάζω, οὗ παραγωγὸν χραύω· „χραύσῃ μέν τ' αὐλῆς ὑπεράλμενον“ [Iliad. ε, 138]. ἀφ' οὗ ἔχραε τὸ βαρύνειν, καὶ μετὰ τοῦ ἄλφα τοῦ στερητικοῦ ἄχρης καὶ ἀχρεῖον τὸ ἀσθενὲς καὶ βάρους μὴ μετέχον· „ἀλγήσας δ' ἀχρεῖον ἰδών“. ἐπὶ δὲ τῆς Πηνελόπης „ἀχρεῖον δὲ γέλασσεν“ [Odyss. σ, 163], ἐπίπλαστον καὶ ὑποκεκριμένον, μέχρι τοῦ τὰ χείλη μόνον διανοίγειν. τοῦ δὲ ἄχρης κτητικῷ τύπῳ ἀχρήϊον· οὕτως Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων. Idem opus significatur ad κ, 290: ἐνόμισάν τινες εἶναι θηλυκὸν τὸ πρόφρασσα, οὐκ ἔστι δὲ ἀληθές. Φιλόξενος γὰρ ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων φησὶν ὅτι ἐστὶν ἰδιότυπος ῥηματικὸς χαρακτήρ· καὶ ὡς παρὰ τὸ βήσω βῆσα καὶ βῆσσα, ἄξω ἆξα καὶ ἅμαξα, πείσω πεῖσα „τῷ δ' ἄρ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα [Odyss. υ, 23], οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ φρῶ φρήσω φρῆσα, κατὰ τροπὴν φράσσα καὶ πρόφρασσα. ἔστι δὲ τὸ φρῶ, ὥς φησιν, ἀπὸ τοῦ προΐω, πρῶ κατὰ συγκοπήν, καὶ τροπῇ τοῦ π εἰς φ φρῶ· ἔστιν οὖν τὸ πρ - φρασσα παρὰ τὸ προϊέναι καὶ [ἤγουν?] προθυμεῖσθαι. μέμνηται καὶ Ὠρίων τούτων ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν [p. 134]. Neque iam ad hos libros dubitamus referre quae grammatici com-

plures de origine verbi κνώζω a κνῶ et inde κναίω a Philoxeno tradita enarrant, laudati ab intpp. Etym. M. p. 923. Item quae de verbis νῶ et νέω et νήχω exstant apud Etym. M. p. 605, 40, aucta ex cod. Paris., quem Bekkerus apud Sturz. p. 978 excerptum dedit, verbis οὕτως Φιλόξενος.

Libelli περὶ τῶν ἐν [praestat εἰς] μι ῥημάτων unum novi fragmentum, apud Schol. Iliad. ω, 665 servatum, ubi de forma δαινῦτο: Φιλοξένῳ δὲ ἀρέσκει ἐν τοῖς εἰς μι λήγουσι καὶ ἑνικὸν αὐτὸ εὐκτικὸν εἶναι ἀκολούθως κεκλιμένον. Ex quo loco simul patet pluribus uno libris opus compositum fuisse.

Perfrequens mentio Philoxeni fit in Phavorini Eclogis, v. c. p. 86. ed. Dindorf, quos omnes locos excerpere nolo, contentus si paucis monstravero, permultis locis, ubi Φίλων auctor laudatur, Philoxenum significari, non tam culpa Phavorini, quam librariorum superiorum, quippe qui compendium, quo scribi utplurimum solebat Φιλόξενος, non intellexissent et ex eo Philonem effecissent: quod genus depravationis quam late in grammaticorum scriptis grassatum sit, pluribus olim exemplis illustravi illustravitque Schmidtius. Cf. Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. p. 1196. Idem etiam in Phavorino accidisse, vel una statim docebit pagina, p. 73. ubi quae de v. ἄαπτος ex Philone adducuntur, totidem paene verbis in Etym. M. exstant, adiectis verbis οὕτω Φιλόξενος, cuius loco Phav. οὕτω Φίλων: quae medicina, ut dixi, aliis multis locis, quos nunc non persequar, adhibenda est.[1]) Unum singulatim notabo p. 79. Iuvat contra eorundem nominum confusionem designare in Etym. M. v. Ἀλευροντήτης, corrigendo ope codd. illorum Vindobonensium, quorum scriptura exhibetur l. l. p. 1196. Eundem porro errorem in permultis grammaticorum locis, quos ex variis codd. intpp. Etym. M. excitant, commissum esse, accurate examinanti facile apparebit.

Postremo subiungere quosdam locos iuvat, a me olim

---

1) Similis error, quem obiter subnoto, nomen Choerobosci invasit, cuius loco apud eundem Phav. passim Χοῖος exhibetur, ut p. 83, quod patet comparato Etym. M. p. 26, 36 et 47.

omissos, quorum de sede certo non liquet. Apud Draconem de metris p. 133, pedum metricorum numerus et differentiae, de quibus agitur, dicuntur descriptae esse accurate ἐν τοῖς διαγράμμασι τοῦ Φιλοξένου. An forte ex libris περὶ προσῳδίων?

Cod. Havn. a Blochio allatus ad Etym. M. p. 931: Κοχλιάριον παρὰ τὸ κόχλος, κοχλιάριον, πλεονασμῷ δηλονότι τοῦ ι. Φιλόξενος.

Apollonius de coni. in Bekkeri Anecd. p. 515: Οὐδὲν οὖν κωλύει, καθότι καὶ ὁ Φιλόπονος (v. supra) ἀπεφήνατο, συνδέσμους καλεῖσθαι τοὺς παραπληρωματικούς· καὶ τοῦτό φησι δεδωκώς, ὅτι οὐδὲν συνδεσμικὸν δηλοῦσιν. Quem locum in quo Philoxeni scripto tractatum dicam, plane ignoro, ita ut paene ex opere aliquo ad syntaxin spectante, cuius titulus nunc perierit, sumptum eum credam.

Choeroboscus Canon. in Theodos. T. II. p. 878, ubi de forma Ionica verbi ἐπίσταμαι agitur: Ὁ δὲ Φιλόξενος λέγει, ὅτι ἔστιν εἴδω εἴσω, ὃ σημαίνει τὸ γινώσκω, ἀφ' οὗ τὸ ἑστός, ἐπειδὴ τὸ εἴδω ἐν τοῖς συνθέσεσι ταῖς ὀνοματικαῖς καὶ ταῖς παραγωγαῖς ταῖς ὀνοματικαῖς ἀποβάλλει τὸ ε, οἷον ἴδμων, ἱστορία, νῆϊς (ὁ ἄπειρος, ὁ τοῦ εἰδέναι ἐστερημένος), Πολύϊδος (ἔστι δὲ ὄνομα μάντεως)· τὸ γὰρ εἰδήμων γραφόμενον διὰ τῆς ει διφθόγγου οὐκ ἀντίκειται ἡμῖν, ἐπειδὴ οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ εἴδω βαρυτόνου, ἀλλ' ἀπὸ περισπωμένου τοῦ εἰδῶ εἰδῇς εἰδήμων. Fortasse ex libris de dialectis.

Etym. M. p. 342, 32, ubi de v. ἐνιαυτὸς origine: ἢ παρὰ τὸ ἰαύω σύνθετον ἐνιαύω τὸ ἐνδιατρίβω· καὶ ὄνομα ἐνιαυτός, ὁ ἐνδιάτριπτος χρόνος· καὶ Ὅμηρος· Ἔνθα Κύκλωψ ἐνίαυεν. Haec Philoxeno deberi, iam liquet ex Cod. Paris. quem excussit Bekkerus, Sturzio laudatus: ubi adiiciuntur ὡς λέγει Φιλόξενος; tum etiam nunc liquet, quod legitur in loco Homerico Κύκλωψ non pro mala recentioris magistri glossa haberi posse, sed antiquam esse lectionem variantem, siquidem ap. Homerum, cuius locus est Odyss. ι, 187, vulgatur ἔνθα δ' ἀνὴρ ἐνίαυε πελώριος.

Excursus III.

Fragmenta nonnulla Hexaplorum Origenis.

Capite eo, quo de usu ecclesiasticorum disserui, §. 71, quum inciderim in Origenis Hexapla, quibus maximam partem deperditis libris restituendis constat quanto ardore viros eruditos suam operam impendisse, Excursuum horum opporunitate me non abuti credidi, si quidquid in promptu esset ad magnum illud immortalis viri opus complendum hic apponerem. Ac suppeditarunt mihi fragmenta nonnulla Procopii Commentarii in Genesin, in lucem ab Ang. Maio Auct. class. T. VI. producti, levidensia quidem illa et maximam partem iam aliunde nota, nec tamen in tanto harum litterarum naufragio spernenda. Antea vero, licet acta egisse deprehendar, excitabo locum Chalcidii in Tim. fol. LVII. b. ed. Ascens., quem frustra quaesivi in Bahrdtii exemplo, ad initium Geneseos spectantem: »Sapientissimus Moyses non humana facundia, sed divina, ut ferunt, inspiratione vegetatus in eo libro, qui de genitura mundi censetur, ab exordio sic est profatus iuxta interpretationem septuaginta prudentium: *Initio Deus fecit coelum et terram. Terra autem erat invisibilis et incompta.* Ut vero ait Aquila: *Caput rerum condidit Deus coelum et terram. Terra porro inanis et nihil.* Vel ut Symmachus: *Ab exordio condidit Deus coelum et terram. Terro porro fuit otiosum quid confusumque et inordinatum.* Sed Origenes asseverat ita sibi ab Hebraeis esse persuasum, quod in aliquantum sit a vera proprietate derivata interpretatio. Fuisse enim in exemplari. »Terra autem stupida quadam erat admiratione.« Iam ad Procopium transeamus.

Caput I.

Vs. 4. συνεῖδεν, ubi vulgata εἶδεν, Aquilae attribuit Procopius quoque p. 27.

Vs. 30. Apud Symmachum scriptum fuisse πάντα χόρτον, omissa copula καί, quae vulgo praemitti solita est,

iam notum, nunc confirmatum auctoritate Procopii p. 118, quem copulam contra retinuisse nescio unde refert Bahrdt p. 219. Nam longe aliter Procopius: περιττὸς οὖν ὁ „καὶ“ ἐν τῷ „καὶ πάντα χόρτον χλωρὸν εἰς βρῶσιν“· οὕτω γὰρ ἐκδεδωκέναι καὶ Σύμμαχον, χωρὶς τοῦ „καὶ“, ὥστε ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς ἀναγνωστέον τὸ „καὶ πᾶσι τοῖς θηρίοις τῆς γῆς πρὸς τὰ ἑξῆς“. Eiusdemque sententiae caussam in sequentibus persequitur.

Caput IV.

Vs. 4. Easdem Aquilae (ἀπεκλήθη), Symmachi, Theodotionis, Syri (nisi Cyri) [1]) lectiones, iam notatas Procopius p. 218 refert.

Vs. 15. Aquila ἑπταπλασίως ἐκδικηθήσεται. Symmachus ἑβδόμως ἐκδίκησιν δώσει. Procop. p. 229. Vulgo in Hexapl. scribitur ἕβδομος, male: tum Aquilae ibidem tribuitur δίκην δώσει ἑπταχῇ. Ἑβδόμως pro ἑπτάκις praeter consuetudinem loquendi dictum, siquidem genuinum est, Lexicis addendum.

Caput VI.

Vs. 3. Ex Symmacho Procopius p. 251 affert οἱ υἱοὶ τῶν δυναστευόντων. Vulgo abest articulus οἱ.

Vs. 16. Ubi θύραν LXX, idem Theodotionem, de quo iam liquebat, cum Symmacho, ἄνοιγμα vero Aquilam vertisse, ex Procopio p. 259 docemur. In verbis sequentibus Symmachi scripturae κατὰ δίστεγα inseras ex Procopio p. 257 articulum τά, librariorum incuria omissum.

Caput XIV.

Vs. 1. Procopius p. 321: Σύμμαχος δὲ ἐξέδωκε τὸ μὲν Ἐλλασάδ, Πόντου· τὸ δὲ Ἐλάμ, Σκυθῶν· τὸ δὲ τῶν ἐθνῶν, Παμφυλίας.

---

1) V. si tanti est, quae, ubi operis Procopiani enarrationem dedimus, de hoc scriptoris nomine suspecto notavimus Ephem. litt. Hal. 1841. Suppl. 68. p. 539.

Excursus IV.

De Praxiphane Mitylenaeo peripatetico.

Hoc de peripatetico, inter grammaticos §. 62. p. 192 commemorato,[1] Theophrasti discipulo, quem paucis tetigerat Welckerus Mus. Rhen. 1833. p. 158, nuper etiam Meierus Comm. Andoc. VI, 2. p. VIII, omnia occupasse Prellerus Comm. De Praxiphane Peripatetico inter antiquissimos grammaticos nobili, Dorpati 1842. dicitur in Zeitschr. f. d. Alterth. 1843. p. 303. Quem libellum, frustra quaesitum a Batavo docto, qui idem argumentum tractavit, Elink Sterk, in Symbol. literar. doctor. gymnas. Batavorum fasc. VII. p. 13, quum tandem inspicere mihi licuerit, eo cognovi omnia ita exhausta esse, ut quod lucubrationi eruditissimi viri adiici posset nihil viderem nisi locum unum levis quidem momenti, nec tamen in hac notitiarum penuria spernendum, in Arati vita Latine scripta, Germanici Aratiorum editioni principi, quae Venetiis prodiit a. 1488, inserta, a subsequentibus editoribus neglecta, nuper vero in lucem revocata laudabili industria Suringari De mythographo astronomico, qui vulgo dicitur scholiastes Germanici, Lugduni 1842 p. 9. Quae quidem Vita, quod nimus corrupta esset, ut iudicat Suringarus, spreta, Latine facta est aperte ex Vita Arati superstite Graeca, quam ex Ernestii Callimacho T. I. p. 590 (v. Ruhnkenii Epist. ad Ernest. ed. Tittmann p. 106) repetiit Blomfieldius ad Callim. p. 330, sed ex integriore eius exemplo, quod ostendit is ipse locus, qui ad Praxiphanem spectat. Etenim loco Graecorum verborum: Ἐκέχρητο δὲ ὁ Ἄρατος Ζήνωνι τῷ Στωϊκῷ φιλοσόφῳ, καὶ γέγραπται αὐτῷ ἐπιστολὴ πρὸς τοῦτον. διόρθωσε δὲ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν. ἐγένετο δὲ σφόδρα πολυγράμ-

1) Ista scribenti ad manus adhuc non erat Prelleri libellus, quem nunc de Praxiphanis opere, unde Scholiasta Sophoclis hauserit, idem statuisse laetus cognosco.

ματος ἀνήρ, ὡς μαρτυρεῖ Καλλίμαχος. Δωσίθεος δὲ ὁ πολιτικός etc. haecce leguntur illic: „Frequentabat autem Aratus Zenonem stoicum philosophum et scripsit ad eundem epistolam. *didicit autem apud eum Odysseam, ut Geraustius* [2]) *inquit, quasi praesidens ab imperatore et Iliadem scripsisse ad se Homerum et ei direxisse. vitiatum autem illum a compluribus factus* [*nactus?*] *est multum litteratus vir, sicut testatur Callimachus, assistens ei ab infantia propter paxiphanen mitilenum* [sic]. Doxiteus autem pelusinus [3]) etc.“ Quae hic de Arati Homericis studiis, de quibus v. Arati Vitam ap. Buhle T. II. p. 431 et 446. Villois. Proleg.

---

2) Lege *Carystius.* Intelligo Carystium Antigonum, Vitarum, quas passim Athenaeus meminit, auctorem, de quo v. Vossium de hist. Gr. p. 115. Western., non Carystium Pergamenum, cuius de scriptis historicis et didascalicis consulendi sunt Wegener De aula Attal. I. p. 186. Köpke De hypomnematis Gr. p. 18 et Ritter De Didymo p. 52.

3) Non putaverim Interpretem ex Graeco exemplo corrigendum esse, quum praesertim ipsum epitheton ὁ πολιτικὸς merito tantopere Meinekium offenderit, ut Anal. Alexandr. p. 10, pro Δωσίθεος reposito Σωσίβιος, adeo legendum censuerit λυτικὸς vel ἐπιλυτικός: quibus commentis nunc eo facilius carebimus, quo minus dubitandi locus relinquitur, quin vera Interpres tradiderit, quamvis parum accuratus in graeco nomine Πηλουσιώτης, uti olim scriptum erat, reddendo. Forma vero nominis Latina *Pelusinus* ipsa, adhuc ignorata, incommodi nihil habet. A patria iam urbe utrum Dositheus ille ita dictus sit, an quod diu Pelusii commoratus sit, eo lubentius in medio relinquo, quo ipsa hominis conditio obscurior est. Nihil tamen obest quo minus eum putemus eundem cum astronomo illo, cui scripta aliquot Archimedes dedicasse traditur, unde in eius aetatem coniecturam facere licet. V. Brandesium in Iahnii Jahrbücher Suppl. XIII. p. 204. ubi quum ex Ptolemaeo de apparentiis inerrantium (Petavii Uranolog. p. 93) Dositheus ἐν Κολωνείᾳ coelum observasse narratur, videndum ne superflua Baehrii a Brandesio memorata coniectura sit, ἐν Κολωνῷ reponi iubentis, quum Κολώνεια πόλις Armenociliciae intelligi possit, de qua Ephraemius Caes. 3927: nisi forte intelligitur Antiochia ea, quae Κολωνεία Ἀντιοχία dicta est. V. inscr. ap. Fellows Lycia p. 307 coll. p. 310.

Hom. p. XXIII. sq., perscribuntur perobscure et vitiose mitto, contentus notitia ea quae ad Praxiphanem Mitylenaeum spectat: quem iam constat una cum Callimacho Arato instituendo ab infantia adstitisse; quod enim hic *propter* Latinus interpres vertit, id in Graeco exemplari παρὰ [τὸν Πραξιφάνην. τὸν Μιτυληναῖον] fuisse videtur scriptum. His adiungendus locus Vitae Arati ed. Buhle T. II. p. 432, ex quo Praxiphanem inter et Callimachum necessitudinem quandam, vel etiam simultatem (v. Preller p. 8.) exstitisse colligitur: Μέμνηται γοῦν αὐτοῦ ['Αράτου] καὶ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου [scil. Nicandro] οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασι, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην, πάνυ ἐπαινῶν αὐτὸν ὡς πολυμαθῆ καὶ ἄριστον ποιητήν.

In hanc Vitam Arati quum forte inciderim, utar hac occasione, ut quantum vel in misero illo habitu, quo ad nos perlata est, ad Graecum exemplum restituendum conferat, paucis locis ostendam.

Διέπρεψε δὲ παρὰ 'Αντιγόνῳ] Vere coniecisse Ruhnkenium διέτριψε, docet Interpretatio: *permansit autem apud Antigonum.* Quod infra legitur διατρίψαι, item Interpres reddidit voce *permansisse.*

Μετὰ τὴν 'Αλεξάνδρου τελευτὴν ἐκράτει τῆς Μακεδονίας 'Αριδαῖος ὁ κληθεὶς Φίλιππος· τούτου δὲ ἀποθανόντος διεδέξατο Σέλευκος ὁ Νικάνωρ, ὃν ἀναιρεῖ Πτολεμαῖος ὁ κληθεὶς Κεραυνός, Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος καὶ 'Αριδίκης υἱός, ὃς βασιλεύει Μακεδονίας] Leve est quod Νικάτωρ, ut reponendum est, firmatur interpretatione *victor:* magis memorabile quod eadem offerente *Euridicis* pro 'Αριδίκης, quod nomen insuper aliunde haud cognitum est, restituendam Εὐρυδίκης, cuius de mulieris nomine v. intpp. ad Aelian. V. H. XIII, 36. Eandem nominis formam nunc video repositam in Vitae exemplo, quod ex Ruhnkenii schedis Tittmannus edidit in illius et Valckenaerii aliorumque ad Ernestium Epistolis p. 107.

Δημήτριος ὁ Πολιορκητής, Δημητρίου δὲ 'Αντίλογος ὁ Γαλάτας] Ms. Matrit. 'Αντίγονος ὁ γαλατάς, ubi vidit iam Iriarte

reponendum esse Γωνατᾶς. Firmat Interpres vertendo *Antigonus geniculosus.*

ὥς αὐτός φησιν Ἀντίγονος ἐν τοῖς περὶ Ἱερώνυμον] Interpres *ut ipse ait Antigonus: apud quem hieronymus erat assistens quidem regi:* quae ex errore verba περὶ τὸν Ἱερώνυμον non intelligentis nata esse videntur. Verissimum enim quod pro περὶ Ruhnkenius ap. Tittm. coniecit, πρός. V. nobis olim dicta in Schmidii Hermes Vol. XXXI. p. 193. Intelligi vix alius potest Hieronymus quam Cardianus ille, historiarum scriptor, quem apud Antigonum Gonatam magna aliunde constat gratia floruisse. V. Brücknerum in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1842. p. 256, Vitae huius haud memorem. Valde vero memorabilis hoc loco regis Antigoni mentio: nam hunc ut intelligamus, verborum contextus ipse postulat: quem libros πρὸς Ἱερώνυμον scripsisse, aliunde mihi incompertum est. Similem errorem Interpres mox erravit, verba ἐν τῷ πρὸς Διόδωρον vertendo *cum quo apud diodorum,* inductus eo, quod in exemplo suo reperisset scriptum περὶ pro πρός. Sed memoratu dignius quod quum in Vita Graeca secundum Dositheum Aratus dicitur ἐλθεῖν καὶ πρὸς Ἀντιόχον τὸν Σελεύκου, καὶ διατρίψαι παρ' αὐτῷ χρόνον ἱκανόν, apud Interpretem leguntur: *venire inquit eum apud Antipatrem* (sic) *et apud Antiochum Seleucium permansisse ad eum tempore sufficiente;* unde concludas post ἐλθεῖν excidisse πρὸς Ἀντίπατρον.

Τὴν δὲ τῶν Φαινομένων ὑπόθεσιν παρέλαβεν ἐν αὐτῷ ὁ Ἀντίγονος] Probabiliter Ruhnken. coniecit παρέβαλεν αὐτῷ. Interpres: *earum* [lege *eorum*] *quoque subministratione accepit ab antigono,* corrigendus et supplendus ex Matrit. ferente *earum quoque quae videntur subministrationem,* continuo tamen *accepit ei antigonus,* prorsus ad exemplum Graecum, si pro *accepit,* quod alienum ab hoc contextu est, tale fere verbum reposueris quale est *adiecit,* vel aliud simile.

ὅθεν τινὲς τῶν ἀπευλοτέρως προσερχομένων ταῖς ἐξηγήσεσιν] Interpres: *unde quidam de melioribus recensitoribus,* unde certo patet nihili esse quod pro corrupta voce ἀπευλότερως

coniecit Hemsterhusius ἀπειροτέρως, quod Ruhnkenius ap. Tittm. suscepit, vel ἐπιπολαιοτέρως. Quid auctor scripserit, felicius ingenium suppeditabit.

ὑπέλαβον γὰρ μηδὲν ἕτερον τῶν Εὐδόξου Φαινομένων ποιῆσαι αὐτὸν, εἰς τὸ σύγγραμμα θεῖναι] Emendandis his nihil prodest Interpres, qui et ipse vitioso exemplo usus, quo ὑπέλαβον exstabat, vertit *suscepit*. Ruhnkenius inserendo καὶ post αὐτὸν locum sanare studuit: immo ἢ inserendum.

Vita Latina fine haud integra est; desinit verbis: *satis enim magnum loqui peritiae matematicae reperimus autem illum et super*, quae respondent Graecis ἦν γὰρ καὶ τὸ εἰδέναι μεταφράσαι etc. ubi vide ne μέγα φράσαι, vel potius μεγαλο-φράσαι legendum sit.

Excursus V.

De auctore Vitae Arati Graecae.

Ab una Arati Vita Graeca, quam modo perlustravi, facilis est transitus ad alteram, quae appellatur, quam potius commentarii in Aratum principium appellandum fuerit: quam primum a Petr. Victorio vulgatam, ex Petavii Uranologio Buhlius repetiit Arat. T. II. p. 429—441. Huius Vitae, scriptore erudito et diligenti haud indignae, auctorem adhuc ignoratum qui nuper quaereret inventus est Sturingar, eiusdem libelli, quem modo laudavimus, p. 18: qui quum animadvertisset, quae in Commentariorum in Germanici Aratia principio limatius edito ex Cratetis doctrina afferrentur, iis convenire, quae in Buhliana illa Vita reperirentur, Cratetem, non dicit quem, eius Vitae auctorem detegere, ut ait, sibi visus est. Haec festinantius iacta sunt. Ac primum, ut Cratetis personam mittamus, quem tamen vix fieri potest quin Pergamenum criticum dici credamus, de ista utriusque operis congruentia quaeritur: quae qualis sit ut cognoscatur, necesse est utrumque exemplum inter se contendere. Agitur in Commentarii loco de variis Aratii

carminis principium explicandi rationibus: „Sed quaeritur cuius Iovis meminerit, utrumne fabulosi, an naturalis. Et philosophi quidem plurimi naturalis aiunt eum Iovis meminisse. Sed Crates ait, Iovem dictum coelum: invocatum vero merito, quia in aëre et aethere sunt sidera: et Homerum dixisse Iovem in aliqua parte coelum: et ipse Aratus, quum dicit Herodotus Iovem dictum aëra. Et Crates quidem eiusdem est opinionis, testemque esse Philonem comicum dicit. hoc autem constat et ipsum dicere. Nam quia nihil aliud est vox quam percussus aër, videtur convenienter dixisse, quae rei praestent auctoritatem *plenais Iovis vias* referens, *et omneis hominum conventus.* Nihil eorum, quae in terra sunt, sine aëre est: ratione etiam, cuius omnes usum desideramus. nam cuncti mortales ostendunt usum suspirio: et cum vivimus, aëre indigemus." His iam ex adverso ponamus Graecam Vitam excerptam: Δία δὲ οἱ μὲν τὸν οὐρανόν· οἱ δὲ τὸν ἥλιον· οἱ δὲ τὸν μυθικὸν ἐξεδέξαντο. Οἱ μὲν οὖν τὸν οὐρανὸν λέγοντες παρατίθενται τὸν ποιητὴν λέγοντα·

ὡς δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται,

τουτέστιν ἐξ οὐρανοῦ. Καὶ Ἄρατον αὐτὸν ἐν τοῖς ἑξῆς λέγοντα περὶ τοῦ ἵππου· „ἐν Διὸς εἱλεῖται", ὅ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ. Οἱ δὲ Δία τὸν αἰθέρα παραλαβόντες, παρατίθενται Εὐριπίδην λέγοντα·

Ὁρᾷς τόνδ' ὑψοῦ, τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα

etc. Tum subiectis aliis de aethere eorumque sententia, qui solem interpretati essent: Οἱ δὲ Δία τὸν ἀέρα ἀκούσαντες φέρουσι μάρτυν Φιλήμονα τὸν Κωμικόν· φησὶγάρ· ὃν οὐδὲ εἷς λέληθεν etc. [v. Meinekii Philem. p. 391]. Διὸ καὶ τὸν Ἄρατον ἐπάγειν

μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί·
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί.

Πάντη γὰρ Διὸς κεχρήμεθα· σπῶντες γὰρ τὸν ἀέρα ἀναπνέομεν. Vides hanc esse utriusque exempli conditionem, ut quae illic ex Cratetis placitis Iovis de natura afferuntur, hic iterentur, Cratete non nominato, atque non solum ea universali appellatione τῶν μὲν introducta, sed etiam subinde aucta et amplificata. Sunt igitur in his sine dubio multa

Cratetis, sed non ab ipso conscripta, sed profecta a compilatore, qui commentariis aliquibus in Aratum scriptis usus, quae Cratetis nomine relata reperisset, huius placita quum a sectatoribus probata sciret, eorum iam non auctoris nomine, sed plurium qui eundem in modum sentirent, laudatione commemoraret. Etenim ista si sunt Cratetis, quod certo testatum habemus, ea Crates in ipsius opere tamquam aliorum sententias produxisse existimandus esset, quod nemo non absurdum dixerit. Quod vero Crates naturalem rationem sequutus Iovem eundem cum coelo accepisse dicitur, in hoc Stoicorum, vel ut accurate loquamur, Chrysippi disciplinam, cui adhaesit, [1]) sequutus videtur. V. Villoisoni Theol. phys. Stoicorum p. 429. sq. Tum non omnia quae a Graeco auctore referuntur Cratetis esse, manifestum est. Triplici modo Iovem ab interpretibus acceptum esse dixerat, videlicet ut intelligeretur vel coelum sive aether, quae Stoici, quorum sententia exhibetur, ad idem redire censebant, [2]) vel sol, vel denique secundum rationem mythicam, quae eadem est cum historica, ut in eodem argumento appellatur in apospasmatio Cornuti de N. D. libello inserto c. 2. p. 8: Κατὰ τὸν ἱστορικὸν μῦθον τῶν παλαιῶν ὁ Κρόνος συζευχθεὶς τῇ Ῥέᾳ ἐγέννησε τὸν Δία etc. Denique expositis tribus illis explicandi modis auctor, postquam tertium his verbis explanavit, οἱ δὲ Διὰ τὸν μυθικιόν, τὰν Κρόνου παῖδα νοοῦσιν, continuo ipse quid sentiat, his comprehendit: Ἡμῖν δὲ δοκεῖ τριχῶς ὑπὸ τοῦ Ἀράτου τὸν Δία προφέρεσθαι· μυθικῶς μὲν, ὡς ὅταν λέγῃ·

εἰ ἐτεὸν δὴ

Κρήτηθεν κεῖναί γε Διὸς μεγάλου ἰότητι.

---

1) V. Wegener De aula Attalica p. 223. Lehrsii Aristarch. p. 248. Preller De Praxiphane peripatetico p. 14. Laurentius Lydus de mens., ubi varias notationes Graeci nominis Iovis percursit p. 224. sq.; Cratetis binis locis iuxta aliorum et in his Chrysippi sententias mentionem facit.

2) V. Villoisoni l. l. p. 428.

ἔστι γὰρ καὶ φυσικῶς καὶ μυθικῶς ἐξηγήσασθαι τὸ προοίμιον. Τὸ δὲ

ὡς δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται

ἐξ οὐρανοῦ νοῆσαι, ὅλον ἐστὶ πλάσμα. Ὅμηρος γὰρ οἶδε τὸν Δία ὄμβρων παραίτιον. Καὶ πάλιν τὸ „ἐν Διὸς εἰλεῖται“ ὡσαύτως παραλαβεῖν, ἀνόητον etc. Haec deprompsisse sufficiet ad ostendendum, Cratetis sententiam, qualem quidem Interpres Latinus exhibet, longe diversam fuisse ab ea quam Vitae Graecae auctor sequutus deprehenditur. In re, ut mihi quidem videtur, manifesta omitto alia quae in eandem sententiam meam afferri possent, de ipso quidem Vitae auctore non sollicitus, quippe qui ita statuam, non tam de auctore, quem nemo umquam facile monstrarit, quam potius de fonte, quo compilator usus sit, quaerendum esse.

Excursus VI.

De Paterio philosopho.

Olympiodorus Scholiis suis in Platonis Phaedonem primum a Finckhio 1847 in lucem emissis Paterii philosophi cuiusdam Platonici, quem verbo tetigi §. 68. p. 211, aliquoties mentionem iniecit, p. 66. 82. 89, unde conicere licet, auctorem eum fuisse aut commentariorum in Phaedonem, aut scripti cuiuspiam philosophici, quo illius dialogi passim ratio habita esset. Accedit quod Scholiis suis Olympiodorus eclogam περὶ τοῦ ἀπὸ τῶν ἐναντίων λόγου inscriptam inseruit p. 104. sq. quae eidem Paterio praescriptione cod. Gud. vindicatur: Πατερίου τοῦ Ἀττικοῦ ἐξήγησις περὶ τοῦ λόγου ἀπὸ τῶν ἐναντίων idemque Paterii nomen sub finem eclogae p. 178 repetitur. De hoc philosopho Cousinus, quum aliquot Olympiodori locos ex codice Paris. depromptos examinaret Journ. de Sav. 1835, sibi non liquere confessus est p. 148. Neque quicquam lucis afferre contigit Finckhio: nam Paterium quendam, quem ex Anthol. Pal. VII, 343 excitat, cum scriptore illo nihil habere commune, eo patet, quod ille

quatuor et viginti annis natus diem supremum in epigrammate ipsi scripto dicitur obiisse. Quum iam ex adiecto patris τοῦ Ἀττικοῦ nomine proclive esset ad coniiciendum, Attici philosophi Platonici illius, de quo diximus §. 68 eum vel filium vel discipulum fuisse: nam et hac potestate passim eum nominis genitivum dici meminimus: tamen ad longe recentiora tempora eo ablegamur, quod in ecloga illa non solum Iamblichi (p. 104 ὁ δὲ μέγας Ἰάμβλιχος), Plotini p. 129, sed etiam Syriani et Procli p. 177. mentio fit.

EPIMETRUM

Anecdotum Parisinum

cum Isidoro de notis exhibens. *)

---

fol. 28. 29.

Notae XXI quae versibus apponi consuerunt.

— obelus ⁜ asteriscus. ⁜‾ asteriscus cum obelo. ⌐ simplex ductus. > diple. >̣ diple periestigmene.) an-

fol. 154. 155.

Incip. de notis sententiarum ¹)
(Isidor. I, 20.)

Praeterea quaedam scripturarum notae apud celeuerrimos auctores fuerunt quasque antiquis ad distinctiones

---

*) Libello meo typis ferme descripto, Theod. Bergkius amicus, quicum plagulas singulas, simulatque prelo exissent, communicaram, quum libello hocce meo veterum notationis documenta tantum non omnia comprehensa et vulgata animadvertisset, commode me admonuit, aegre in illis desiderari Anecdoti Parisini ab ipso primum editi exemplum (v. §. 11): cui admonitioni ita obtemperandum duxi, ut Isidori scriptionem de notis, qualem quidem ex eodem codice descriptam iuxta vulgarat, (v. §. 12) multis nominibus conspicuam, adiungerem, ordine singulorum articulorum eodem, quo apud Bergkium leguntur, servato. Repetendum igitur curavi utrumque opusculum immutatum ad exemplum Bergkio traditum, brevi subinde adnotatione instructum, qua quomodo unus alterque locus restituendus esset ostenderetur, simul adiecta Isidori exempli Ottoniani discrepantia potiore.

1) Isid. *scripturarum*. V. supra p. 38.

fol. 28. 29.

tisigma.) antisigma cum puncto. ͳ coronis 7— diple obelismene. ⩽ aversa obelismene. ⋇ ceraunion. ÷ obelus adpunctus. —< obelus cum aversa 7̄ diple superobelata. 7̄— recta et aversa superne obelata. ⚹ chi et

Φ (sic)
ro. ȹ fi et ro. ͳ anchora superior. ⊥ anchora inferior. alogus. [3])

His solis in adnotationibus hennii. lucii et historicorum usi sunt varros. hennius. haelius aequae [4]) et postremo probus, qui illas in virgilio et horatio et lucretio apposuit ut homero aristarchus.

— obelus versibus apponitur hac causa. Pisistratus quondam atheniensium tyrannus inordinata et confusa adhuc poesi homeri praemio sollicitare proposuit eos quia ordinassent iisque praemii nomine in singulos versus singulos obelos constituit. Mercede multi inducti pauperes,

fol. 154. 155.

scripturarum carminibus et historiis adposuerunt. Nota est figura propriae in literae modum positae ad demonstrandum quae unamquamque [2]) verbi sententiarumque ad versuum rationem. Notae autem versibus apponuntur numero viginti sex sunt quae sunt nominibus infra scriptis.

— obulus id est virgula iacens apponitur verbis vel in sententiis superflue iteratis seu in his locis, ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta iugulet supervacua atque falsa confodiat. Sagitta enim graece obulus dicitur. (2.)

---

2) Isid. *antiqui ad distinctionem — propria — ad demonstrandam unamquamque.*

3) V. p. 243.

4) *Ennii, Lucilii et historicorum usi sunt Varro, Ennius, Aelius, Aquila.* V. p. 285. sq. De Lucretio v. p. 254.

fol. 28. 29.

quibus ingenium affluebat, quoniam aut invenire aut disponere debebat non poterant, fingendo plurimos versus operis nobilitatem corruperunt. Unde evenit, ut postea prudentiores viri, quorum summus in hac re fuit aristarchus, quotiens inprobaret versus quasi aut malos aut non homericos obelum potissime notandum exhistimaret. [5]) Nam et ipsius homeri proprios et non eo dignos eadem hac nota condemnarunt.

⨳ asteriscum aristofanes apponebat illis locis quibus sensus deesset, Aristarchus autem ad eos qui in hoc puta loco positi erant. cum aliis scilicet non recte ponerentur. Item probus et antiqui nostri.

⨳ — asteriscus cum obelo propria nota est aristarchi. Utebantur [7]) autem ea in his versibus qui non suo loco positi erant. Item antiqui nostri et probus.

7 simplex ductus inter ver-

fol. 154. 155.

⨳ asteriscus adponitur in his quae omissa sunt ut inluciscant per eam notam quae deesse videntur. Stella enim aster dicitur graeco sermone a quo asteriscus dirivativus. [6]) (1.)

⨳ — asteriscus cum obulo. Hac proprie aristharcus utebatur in his versibus qui non suo loco positi erant (6.)

ſ paragraphus ponitur ad

---

5) *eos qui ordinarent — ut debebant — inprobarent — existimarent.* V. p. 183.

6) Isid. *derivatus est.*

7) *utebatur.* V. p. 187.

fol. 28. 29.

sus ponebatur ad separandas res a rebus quae in conexu currerent [8]) quemammodum catalogo cum loca a locis aut [9]) regionibus et in agone praemia a praemiis certamina adversis certaminibus separant.

> diplen aperistiktou primus leagoras syracusanus apposuit homericis versibus ad separationem olympi a coelo. proprie olympum ab eo pro monte positum adnotans nusquam prae [11]) celo, quod saepe ουρανον ευριν dicat et μακρον ολυμπον neque e contrario epitheta permutat. Ponebat autem tam ad montis significationes quam ad caeli utrumque manifestatur volun-

fol. 154. 155.

separandas res a rebus qui inconnexa concurrant quem ammodum in catalogo loca a locis et regiones a regionibus in agonem praemia a praemiis certamina a diversis certaminibus separantur. (7.)

˥ positurae figura paragrapho contraria et ideo sic formata quia sicut ille principia notae ita ista fines a principiis separat. [10]) (9.)

> diplae hanc scriptores nostri adponunt in libris ecclesiasticorum virorum ad separandam vel ad demonstranda testimonia scripturarum sanctarum. (13.)

> diplae praestichon [12]) hanc primus leogorus sciracusanus posuit homericis versibus ad separationem olympi a caelo. (14.)

---

8) L. *inconexa concurrerent* et mox *in catalogo*. Isid. *in connexu*. Ceterum noli tentare scripturam *inconexa* a Cod. traditam: v. ad Cic. de rep. p. 246. Adde *conivere* et *conixus* ex Edicto Diocletiani ed Mommsen p. 3 et 7. Haud magis quod hic et in Isidoro sequitur *quemammodum*, similiter scriptum ac *annos* pro *ad nos* in Varrone: v. Zeitschr. f. d. A. 1837. No. 6. p. 58.

9) Post *aut* exciderunt *regiones a*.

10) Isid. *Positura est figura — illa — notat*.

11) *pro* et mox *permutet*. V. supra p. 74.

12) Isid. περὶ στιγμήν. V. p. 73.

fol. 28. 29.

tas eius. Usus et in multis aristarchus nunc ea quae praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae apud eum invenirentur adnotans, nunc proprias ipsius figuras Interdum ea in quibus copiosus est rursus quae semel apud eum ponerentur. Similiter in nostris auctoribus probus.

⸖ diple periestigmene apponebatur quae zenodotus efesius non recte adiecerat aut detraxerat aut permutaverat. In his et nostri ea usi sunt.

⸌ antisigma ponebatur ad eos versus quorum ordo permutandus erat sic et in nostris auctoribus invenitur.

⸌ antisigma cum puncto ponebatur cum eiusdem sensus versus duplices essent et dubitaretur qui potius legendi. Sic et apud nostros.

fol. 154. 155.

⸖ diplae perstigmine [13]) id est cum geminis punctis. Hanc antiqui in his adponebant quae zenodotus ephesius non recte adiecerat at destraxerat at permutaverat. In his et nomini ea usi sunt. (15.)

⸌ antesymma ponitur ad eo versui post quando prae ordo praemutandus est. [14]) Sic et in antiquis auctoribus positum invenimus. (11)

⸌. antesymma cum puncto ponitur in his locis ubi in eodem sensu duplices versus sunt [15]) et dubitatur qui potius eligendus sit. (12.)

---

13) Isid. περιεστιγμένη.

14) Isid. *antisigma ponitur ad eos versus, quorum ordo permutandus est;* tum *invenitur.*

15) Isid. *sunt versus.*

fol. 28. 29.

Ϯ coronis autem in fine libri posita invenitur.

⁘ ceraunium ponitur quotiens multi versus inprobantur ne per singulos obelentur.

<— aversa obelismene in ore [18]) ponitur quae ad aliquid respiciunt ut nos. te. tibi. fluxas frygiae.

÷ obelus cum puncto ad ea de quibus dubitatur tolli debeant necne.

>— diple obelismene ad separandas in comoediis et tragoediis periodos.

—< aversa quotiens strofe antistrofos infertur.

>̄ diple superne obelata ponitur ad condicionem locorum

fol. 154. 155.

ɷ chronis [16]) nota tantum in fine libri adponitur. (26.)

⁎ ceraunium ponitur quotiens multi versus inprobantur nec per singulos obulatur. [17]) Ceraunium enim fulmen dicitur. (21.)

<— aversa cum obulo ad ea ponitur quae ad aliquid respiciunt ut nos ne tibi [19]) phrygiae res vetere fundo commanus nos an miseros qui troas achivi subegit. (18.)

— obulus superne adpunctum [20]) ponitur in his de quibus dubitatur utrum tolli debeant necne adponi (4.)

—> diplae holismene [21]) interponitur ad separandos in comoediis vel tragoediis periodos (16.)

ʅ aversa obolismene [22]) quotiens strophe et antistrofus infertur. (17.)

<̄ diplae superne obolatae ponitur ad condiciones lo-

16) Isid. *Coronis.* Ab Isid. abest *tantum.*

17) Isid. *ne per singulos obelentur,* et mox *significat* pro *dicitur.*

18) *ora.* Continuo exciderunt *ad ea.*

19) Post *tibi* excidit *fluxas.* Tum Isid. *vertere — conamur — Achivis.*

20) Isid. *appunctus* et *debeant tolli.*

21) Isid. ὠβελισμένη.

22) *obolismene* desideratur apud Isid.

fol. 28, 29.

vel temporum vel personarum mutatam.

>< recta et aversa superne obelatae ponuntur cum eadem significant similem que sequentem esse.

P
X chi et ro. Haec sola vix ad voluntatem uniuscuiusque ad aliquid adnotandum ponitur.

P
Φ fi et ro haec apponuntur quotiens vel emendatio vel eius versus sollicitius est inspiciendus.

Λ
| anchora superior ad aliquod praecipue dictum.

⊥ anchora inferior ad humilius vel inconvenientius quid enuntiatum.

fol. 154. 155.

corum ac templorum. [23]) (19.)

>< recta et adversa superne obulata ponitur finiatulocosuo monadae significantem similem sequentem quaeque esse. [24]) (20.)

P
X crimons hoc e sola ex voluntate unius cuiusque ad aliquod [25]) notandum ponitur. (22.)

P
Φ phi et ro id est frontes [26]) haec ubi aliquid obscuritatis est ob sollicitudinem ponitur. (23.)

Υ ancora superior ponitur ubi aliqua res magna omnino est. (24.)

⊥ ancora inferior ubi aliquid vilissime vel inconvenientius denunciatum est. (25.)

| ad alogus nota [27]), quae ad mendas adhibetur. (27.)

÷ liminisculus idem virgulam [28]) inter geminos punctos

---

23) Addit Isid. *personarumque mutatas.*

24) Isid. *finita loco suo monade, significatque similem sequentem quoque esse.*

25) Isid. *Chresimon. Haec sola — aliquid.*

26) Isid. φροντίς.

27) Hinc emendatur Isid. V. p. 246.

28) Isid. *Lemniscus id est virgula.* V. p. 222. Post *punctos* Isid. interponit *iacens, apponitur.*

fol. 28. 29.

NOTAE. SIMPLICES.

·> bis dictum. ·) alienus versus. F metafrasis latina. Φ metafrasis graeca. M malum metrum aut apraepes. [30]) Π contra historiam. Θ supervacuus. ∸ repugnans. H ⁜ recte positus et pugnanti contrarius — propositum sine consequenti. ∸ consequens sine praeposito –> alienus et supervacuus. Φ) Φ̄ 7 graeca metafrasis et bis dictum et repugnans. Φ F greca metafrasis et repugnans. Φ metafrasis greca et latina F. de notis probianis. EXPL. NOTAE.

fol. 154. 155.

in his locis quae sacrae scripturae interpretes eodem sensu sed diversis sermonibus transtulerunt. (5.)

Ẏ antigrafus cum puncto adponitur ubi in translationibus diversus sensus habetur. (6.)

◡̇ cryphia circuli pars inferior cum puncto ponitur in his locis ubi quaestio dura [29]) et obscura aperiri vel solvi non potuit. (9.)

Icunt [31]) et aliae notulae librorum per agnoscendis his quae per extremitates paginarum exponuntur ut lector inliminaret cum huiusmodi signum invenerit ad textum decurrens eiusdem sermonis vel versiculi sciat esse expositionem cuius similem superiacentem notam invenerit.

29) Isid. *dubia* pro *dura*, quod codd. nonnulli retinent. Tum Isid. *potest*.

30) *aprepes*. Mox *praepositum* legendum pro *prop*.

31) Isid. *Fiunt — notae — pro ag. — ut, ubi lector in limine signum huiusmodi invenerit, ad textum recurrens — positionem.*



Index.

A.

E. H.

F.

G. Γ.

H.

I.

L. A.

M.

N.

O. Ω.

P. Π. Φ.

Q.

R. P.

S. Σ.

T. Θ.

Υ.

V.

X.

Z.

...AE TYPIS G. D. BRUEHLI, L.,
...POGR. ACAD.

